APOLOGETICAE

DE AEQUIPROBABILISMO ALPHONSIANO

HISTORICO-PHILOSOPHICAE DISSERTATIONIS

A R. P. **J. DE CAIGNY** C. SS. R.

EXARATAE

# CRISIS

## JUXTA PRINCIPIA ANGELICI DOCTORIS

INSTITUTA

AUCTORE


**GUILLELMO ARENDT**

SOCIETATIS JESU SACERDOTE



BIBL. TH. P. R.


ACCEDIT

DISSERTATIO SCHOLASTICO-MORALIS

PRO USU MODERATO

OPINIONIS PROBABILIS IN CONCURSU PROBABILIORIS

A **S. ALPHONSO DE LIGUORI** E. D.

ANNO 1755 PRIMUM IN LUCEM EDITA


239.13
LIBRARY


*Cum approbatione Revmi. Magistri S. P. A., Revmi. Vicesger. SS. D. N. Revmi. Vic. Cap. Friburgensis, Superiorum Ordinis*


FRIBURGI BRISGOVIAE

B. HERDER, TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS

MDCCCXCVII

VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.



6151

FRANCISCUS M. CARINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS JESU

---

Cum opus, cui titulus « *Apologeticae de Aequiprobabilismo Alphonsiano historico-philosophicae Dissertationis a R. P. J. de Caigny C. SS. R. exaratae* **Crisis** *etc.*, a Guillelmo Arendt nostrae Societatis Sacerdote conscriptum, aliqui eiusdem Societatis theologi quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae in festo Desponsationis B. M. V. anno 1897.

**L. S.**

**Franciscus M. Carini S. J.**

Imprimatur
Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Mag.

Imprimatur
Franciscus Cassetta Patr. Antioch. Vicesgerens.

*Salvo penes Auctorem iure proprietatis et translationis.*

---

Romae, Typis Henrici Filiziani. - Via dicta *del Cancello*, n. 27.

# INDEX

## TOTIUS VOLUMINIS

CRISIS AEQUIPROBABILISMI HODIERNI

Elenchus bibliographicus
Prooemium

### *Disputatio I.*

De praenotionibus philosophicis.

SECTIO I.

Crisim complectens Capitis primi:
De veritate ejusque criterio.

Punctum I. In art. I. — Quid et quotuplex veritas. . *Pag.* 9
Punctum II. In art. II. — Quid sit veritatis criterium. » 12
Punctum III. In art. III. — Quotuplex sit veritatis criterium . . . . . » 14
Punctum IV. In art. IV. — De evidentia. . . . » 16
Nota. De auctoritate S. Alphonsi. . . . . » 16

SECTIO II.

Crisim complectens cap. II.
De mentis humanae statibus circa veritatem.

Punctum I. In art. I. — De statibus istis in genere. . » 19
Punctum II. In §. I. art. II. — De dubitatione. . . » 24
Punctum III. In §. II. art. II. — De divisione dubitationis. » 28

Punctum IV. In art. III. — De opinionis natura. . . *Pag.* 41
Punctum V. In art. III. — De probabilitatis natura. . » 43
Punctum VI. In art. III. — An probabilitas exigat motivum gravius. . . . . » 48
Punctum VII. In art. III. — Expenditur alterum Auctoris argumentum. . . . . » 53
Punctum VIII. In art. III. — An S. Thomas et Aristoteles Auctori suffragentur. . . . . » 55
Punctum IX. In art. III. — Quid senserit Claudius Buffier de Probabilitate. . . . . » 61
Punctum X. In art, III. — An S. Alph. th. m. l. 1. n. 71 Auctori faveat. . . . . » 65
Punctum XI. In art. III. — Alii textus S. Alph. expenduntur. . . . . » 70
Punctum XII. In art. III. — Epilogus. — Verus sensus alterius loci S. Alph. determinatur . . . . » 76
Punctum XIII. In art. III. — Aequivocationes Auctoris exploduntur in constituenda divisione opinionis. . » 81
Punctum XIV. In art. III. — De duplici divisione opinionis a S. Alphonso instituta. . . . . » 87
Nota. . . . . » 91
Schema duplicis divisionis a S. Alph. institutae . . » 97
Punctum XV. In art. IV. — De certitudinis divisione. Aliae aperiuntur aequivocationes . . . . » 98

## *Disputatio II.*

Crisis historica de systemate morali S. Alphonsi.

### SECTIO I.

An S. Alph. aequiprobabilismum reapse tenuerit.

Punctum I. In art. I. — Determinatur status quaestionis *Pag.* 102
Punctum II. In art. II. — An S. Alph. ante ann. 1762 Probabilismo omnino adhaeserit . . . . » 103

Punctum III. In art. II. — Animadversiones circa placita Aequiprobabilistarum. . . . . *Pag.* 107
Punctum IV. In art. II. — Analysis textus S. Alph. *th. m. l. 1. n. 54-56.* . . . . . » 109
Nota critica. . . . . » 119
Punctum V. In art. II. — Corollarium de dubio stricto et lato. . . . . » 123
Punctum VI. In art. II. — De systemate S. Alph. post ann. 1762. — Exploditur primum Auctoris argum. » 125
Punctum VII. In art. II. — Corollarium: qua ratione Auctor statum quaestionis perverterit. . . . » 132
Punctum VIII. In art. II. — Expenduntur duae epistolae S. D. ab Auctore allegatae. . . . . » 135
Punctum IX. In art. II. — Expenditur alia S. Alph. epistola ab Auctore non allegata . . . . . » 139
Punctum X. In art. II. — Tres aliae epistolae ab Auctore allegatae expenduntur. . . . . » 162
Punctum XI. In art. II. — Expenduntur textus ex *H. A.* et aliae epistolae . . . . . » 165
Punctum XII. In art. II. — Epistola alias allegata expenditur. . . . . » 168
Punctum XIII. In art. II. — Prima pars argum. secundi Auctoris dissolvitur. . . . . » 172
Punctum XIV. In art. II. — Secunda pars ejusdem argum. dissolvitur . . . . . » 177
Punctum XV. In art. II. — Tertia pars ejusd. arg. dissolvitur. . . . . » 179
Punctum XVI. In art. II. — Quarta pars ejusd. arg. dissolvitur . . . . . » 181

## SECTIO II.

### Aliorum Probabilistarum interpretatio vindicatur.

Punctum I. In art. III. — Duo praemonenda. . . *Pag.* 184
Punctum II. In art. III. — An opinio certe probabilior pro S. Alph. non aequipolleat moraliter

certae. — Expenditur primum Auct. argumentum. *Pag.* 189
Punctum III. In art. III. — Expenditur alterum Auctoris argum. . . . . » 192
Punctum IV. In art. III. — An opinio certe probabilior pro S. Alph. non recidat in probabilissimam. — Expenditur primum Auctoris Argumentum. . . » 193
Punctum V. In art. III. — Expenditur secundum Auct. argum. . . . . » 197
Punctum VI. In art. III. — Critica quaedam explicatio P. Antonii Ballerini non recipitur. . . . . » 203
Punctum VII. In art. III. — Coetera in argum. secundo Auct. allata dissolvuntur. . . . . » 207
Punctum VIII. In art. III. — Tertium Auct. argumentum diluitur . . . . . » 211
Punctum IX. In art. III. — Loca S. Alph. allegata in allegantem retorquentur . . . . . » 215
Punctum X. In art. III. — Vindicatur interpretatio P. Lehmkuhl . . . . . » 217
Punctum XI. In art. III. — Vindicatur interpretatio Jos. Frassinetti . . . . . » 221
Punctum XII. In art. III. — Reducitur in medium P. Lehmkuhl . . . . . » 225

## *Disputatio III.*

Crisis theologica Aequiprobabilismi.

Punctum I. In praenotanda Auctoris. — De statu quaestionis. . . . . *Pag.* 229
Punctum II. In art. II. Auctoris. — An opinio certe probabilior qua talis, certitudinem moralem late dictam efformet. — Expenditur I. arg. ex auct. S. Thomae. » 231
Punctum III. In art. II. — An Suarez Auctori faveat » 240
Punctum IV. In art. II. — Expenduntur alii textus ex S. Thoma allati. . . . . » 245
Punctum V. In art. II. — Quam incohaerenter Rassler in hac quaest. Script. S. appellet. . . . . » 251

Punctum VI. In art. II. — Quid de antiquis scholasticis quoad praesent. controv. generatim sit judicandum. — Quid de Christophori Rassler auctoritate *Pag.* 254
Punctum VII. In art. II. — An S. Antoninus merito afferatur pro Auctoris sententia. . . . . » 257
Punctum VIII. In art. II. — An Auctori prodesse possit Franc. Sylvius duacensis. — Quid de suffragio Ant. Mayr. e S. J. . . . . » 269
Punctum IX. In art. II. — Quid valeat ratio qua Christ. Rassler et Ant. Mayr aequiprobabilismum arbitrati sunt esse probabiliorem. . . . . » 279
Punctum X. In art. II. — An opinio minus probabilis in occursu probabilioris, ipso facto fiat subiective improbabilis . . . . . » 285
Punctum XI. In art. II. — Quid decerni possit de probatione ab Auctore desumpta ex relatione intellectum inter et voluntatem . . . . . » 292

## *Disputatio IV.*

Probabilismus a S. Alph. traditus a nonnullis Aequiprobabilistarum fallaciis vindicatur.

Punctum I. In art. I. cap. IV. — Perpenditur refutatio objectionis I. de mente S. Alphonsi circa Auctores saeculi XVII . . . . . *Pag.* 294
Punctum II. In art. I. — Perpenditur interpretatio ab Auctore S. Alphonsi verbis adhibita, in refutatione II. et III. objectionis . . . . . » 303
Punctum III. In art. I. — De principio Possessionis » 307

Epilogus totius Crisis . . . . . » 319

## APPENDIX

Ex opere **CH. RASSLER** cui titulus *Norma Recti:*
Disp. III. Articulus VII. — Quonam denique praecipue tota haec controversia devolvatur? Et quid de illa nobis verosimilius videatur? . . . . . *Pag.* 325
Disp. III. Articulus VIII. — An doctrina praecedente art. tradita sit universalis; an vero et ipsa exceptionem aliquam patiatur et qualem. . . . » 337
Synopsis conclusio. . . . . » 348

**DISSERTATIO** scholastico-moralis de usu moderato opinionis minus probabilis a **S. ALPHONSO** a. 1755 edita . . . . . » 353
Index capitum dissertationis alphonsianae . . . » 465

# CRISIS

## AEQUIPROBABILISMI HODIERNI

# ELENCHUS BIBLIOGRAPHICUS


S. Thomae Aquin. Opera. *Parmae, Fiaccadori.*

S. Alph. de Liguori Opera: theol. mor. *editio taurinensis stereotypica a. 1846-47 — Edit. mechlin. P. Mich. Heilig. 1852. — Editio 4. Romae 1760.* — Homo apost. *edit. taurin. 1848.* — Il confessore diretto etc. *ejusd. edit.* — Dissertazione dell'uso moderato dell'opinione probabile, *Napoli 1765.* — Dissertationes quatuor. — Cinque apologie *in vol. 15. 16. edit. taurin. operum S. A. 1829-30.* — Lettere di S. Alfonso volumi tre. *Tournai, Desclée, 1887-90.*

S. R. C. Concession. tit. Doct. in hon. S. Alph. un. vol. *Romae.*

Acta S. Sedis *vol. VI.* ab Avanzini illustrata.

S. Antonini, Summa. *Venetiis 1571.*

Fr. Suarez opera. *edit. paris. 1856.* — Paul. Layman, Th. mor. *Patav. 1733.* — Ferd. Castropalao. Opus morale *Lugd. 1645.* — Fr. Sylvii, Commentar. in S. Th. *Antwerp. 1698.* — Ioan. De Lugo, Opera. *edit. Paris. 1868.* — Sforza Pallavicini, In 1. 2. S. Th. *Lugduni, 1653.* — H. Busembaum. Medulla. *Romae 1844.* — Christ. Lupi, Dissertatio de antiquitate et legitimo usu sent. probab. Oper. *tom. XI Venetiis 1729.* — Ant. Terilli, De consc. probabili *Leodii, 1669.* — Ioan. Cardenas, Crisis bipartita. *Lugdun. 1670.* — Martin. De Esparza, Cursus theol. *Lugdun. 1685.* — Appendix ad quaest. de usu lic. op. probab. *Romae 1669.* — Iac. Illsung. Theol. pract. *Venetiis 1700.* — Anacl. Reiffenstuel, Theol. mor. *Bassani 1745.* — Jus canonicum. *Romae 1831.* — Thyrs. Gonzalez Tract. theol. de usu op. probab. *Romae 1694.* — Claud. Lacroix, Theol. mor. *Venetiis 1734.* — Christoph. Rassler, Norma recti. *Ingolst. 1713.* — Ant. Mayr, Theol. scholast. *Ingolst. 1730.* — Vinc. Patuzzi, Ethicae christ. compend. *Laude pompeia. 1835.* — Euseb. Amort, Theol. eclectica moral. dogm. *August. Windelic. et Wirdeburg. 1752.* — P. Scavini, Th. mor. *edit. 2. mediolan. 1865.* — Gury cum notis Ballerini. *Edit. 4. romana. 1877.* — Ballerini-Palmieri

Op. morale. *Prati. Edit. 2. 1892-94.* — Jos. Frassinetti, Comp. di teol. mor. *ediz. 8. Genova 1890.* — Lehmkuhl, Th. mor. *edit. 6. et 8. Friburgi 1896.* — Ian. Bucceroni, Inst. th. mor. *edit. 2. Romae 1893.* — Ejusdem casus. *Edit. altera. Romae 1895.* — Jos. Aertnys, Th. mor. *edit. 4. Paderbornae 1896.* — J. D'Annibale. Summ. *edit. 3. Romae 1888-92.* — Th. Bouquillon, Theol. moralis fundamentalis. *Edit. 2. Brugis 1890.* — Vindiciarum Alphons. editionis alterius praefatio apologetica. *Bruxellis, Vromant.* — Zeitschrift für Kathol. Theologie. *Innsbrück. 1895-96.*

Aristotelis opera. *Lugduni. Cardon. 1601.* — Sylvest. Mauri, Comment. in Arist. *Edit. parisiens. 1885-86.* — Claude Buffier: traité des premières vérités. *Paris Charpentier. 1843.* — J. B. Bouvier, Instit. philosoph. *9. edit. parisiens. 1850.* — Caes. Baldinotti, De recta hum. mentis institutione. *Romae. 1855.* — Sant. Schiffini, Disp. phil. mor. *Aug. Taurin. 1891.* — Principia Phil. *ibid. 1892.* — Vinc. Remer. Summa Philos. scholast. *Prati 1895.*

# PROŒMIUM

Non deerunt fortasse inter hodiernos Theologos, tum doctrina tum nomine eximios, nonnulli, quibus, solo titulo hujusce dissertatiunculae inspecto, labor meus inutilis, atramentumque dissipatum videbitur. « Lis, dicent isti, finita est: « nulli menti sanae atque a studio partium immuni evi- « denter in praesenti non demonstratur S. Alphonsum a pro- « babilismo, quem semel docuit, numquam in substantia « discessisse. Cœteroquin, quidquid de hac controversia « sit, parum interest: quandoquidem in opinionibus parti- « cularibus seligendis S. Doctor probabilista usque reman- « sit. Aequiprobabilismus igitur sibimetipsi relinquatur, « ut sponte sua marcescat atque interire sinatur in pace: « alia graviora urgent, quibus refellendis quisque theolo- « gicarum rerum cultor utilius se convertet. »

Libenter equidem tantorum virorum placitis fuissem obsecutus, nisi, dum varia revolvebam de hoc argumento opuscula, animadvertissem aliqua subinde a probabilistis minus accurate dicta ansam aequiprobabilistis praestitisse, ut ab adversariorum conclusione alioquin vera et legi-

time deducta, in sensum qui perperus est, merito sese posse divertere censerent.

Ut omnem itaque aberrandi occasionem justumque dissentiendi praetextum, quantum per me licuisset, removerem, hanc Crisim praetuli aggrediendam atque per singulos aequiprobabilistici tramitis anfractus lentiori pede perducendam, spe fretus non minima fore ut, quicumque iter mecum patienter prosequi atque conficere voluerit, sive probabilista exstiterit sive aequiprobabilista, omnibus aequo animo perpensis, veritatem in quaestione historica et theologica se fuisse assecutum sibimet saltem congratularetur.

Tria de hoc uno argumento opuscula ab aequiprobabilistis in hisce ultimis annis prodierunt. Porro, tertium [1] tantummodo pensandum suscepi; atque potius, quam brevi ratiocinio fictitia aedificii fundamenta divellerem (quod alii jam perfecerunt), resumendam censui ab initio cl. Auctoris disceptationem, ne quispiam, apparentia rectitudinis illusus, in forma syllogistica, qua, optimo quidem consilio, Auctor utitur, aequivocatione neglecta, conclusionibus nihil haesitans assentiret. Ea methodo servata, singulae fallaciae, ubicumque occurrerint, ibi admota luce detectae apparebunt, novisque effugiis viam invenient sibi undequaque praeclusam.

---

[1] Apologetica de Aequiprobabilismo Alphonsiano historico-philosophica Dissertatio juxta principia Angelici Doctoris, auctore P. J. de Caigny C. SS. R. - 1 vol. in-8. (192. pag.) - Tornaci, Casterman, 1894.

Non ideo tamen illi solummodo, qui opusculum R. P. de Caigny versaverint integrum, utiliter poterunt hanc meam perlegere Crisim. Sed disserendi modum et contextum ita composui, ut quemque, dummodo in re morali omnino peregrinus non sit, etiamsi P. de Caigny prius non audierit disserentem, ipsum audivisse confutatum non pœnituerit.

Unum denique monitum esse vellem: me scilicet Auctoris, quem revereor quemque optima scio intentione scripsisse, personam, nedum Congregationem ullatenus impetere: ejus tantum impeto argumenta. Quo arbitror me causam et honorem sanctissimi et humillimi Doctoris Alphonsi validiori defensione tuiturum, quam si gravioris erroris, ac ferat historia, ipsum participem effecerim.

Hisce igitur, Lector benevole, occasionem, methodum et finem sequentis dissertationis tibi aperui. Si vero, dum eam totam benigne et patienter perlegeris, me ipsum, aliis indicare viam praetendentem, a recto tramite aberrasse detexeris, ne omittas, enixe te rogo, errantem commonere, ut veritati, quam unice requiro, valeam plena evidentia adhaerere.

Romae, Calendis August. anni 1896.

A. M. D. G.

# DISPUTATIO PRIMA.

## *De Praenotionibus philosophicis.*

### SECTIO I.

### *Crisim complectens Capitis primi de veritate ejusque criterio.*

#### PUNCTUM PRIMUM

***In Art. I. -- Quid et Quotuplex sit veritas.***

Articulus iste totus est in statuenda multiplici significatione qua veritas dicitur. Porro de hisce auctor cui nec omnino tacere nec quidquam dissonum ab aliis tradere conveniebat, breviter et dilucide eas notiones proponit quae apud quemque philosophum bonae notae ex S. Thoma depromptae inveniuntur. Idcirco non esset cur in hoc articulo immoraremur si n° 4. adnexa non fuissent verba quaedam S. Alphonsi quae, sane prout hic jacent, a cauto lectore non possunt sine distinctione transmitti. « Adverte etiam, ait auctor, quod evidens et clara « *veritatis apprehensio* desideratur sapcissime cum « in hac vita « omnis speculatio nostra, quadam caligine non careat » (de « Imit. Ch. l. 1. c. 3). Hinc sapienter S. Alphonsus : Ubi *veritas* « clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem *opinionem* il- « lam quae propius ad veritatem accedit (Theologiae moralis « lib. 1. n. 56). »

Porro hoc verum quidem est si sermo sit de *adhaesione mentis per judicium :* quatenus contra naturam ageret ille qui assereret ut evidenter veram, propositionem cui adhaereri non

potest sine formidine errandi, vel qui affirmaret ut magis accedentem ad certitudinem, opinionem quae reapse ei appareret magis ab ea recedere. Veritati enim sua iura sunt servanda : violarentur autem, cum sive rei, sive ipsi probabilitati in majori minorive suo gradu tribueretur evidentia qua caret. [1]) At quandoquidem ut saepe docet S. Thomas, sola evidentia vel visionis vel demonstrationis immediate cogit intellectum ad firmum assensum; ubi ea desit, assensus quidem dari poterit non coactus objecto sed sola voluntate imperatus; et in hoc *tenetur* voluntas lege non imperandi assensum magis firmum quam valeant motiva requirere : idcirco assensum imperatum alterutri parti comitatur semper formido proportionata motivis in altera parte deprehensis. Unde, nisi ex extrinseca quacumque ratione bonum voluntati sit, assensum imperare parti intrinsece minus probabili, irrationabiliter utique imperaret hunc in istam assensum, quippe quem comitaretur formido *major* quam esset ipsa vis intrinseca motivorum partis minus probabilis. [2]) Quare si uni parti de facto mens sub imperio voluntatis assentit, ideo assentit quia ex ratione sive intrinseca sive extrinseca eam judicat probabiliorem, atque ei adhaeret cum formidine oppositae partis, semper *minori* quam sit vis motivorum quibus assentit. — In hujusmodi autem assensu imperato, neque voluntas physice cogitur neque intellectus : judicia tamen certa quae praecedant de ipsa vi motivorum utriusque partis, *normam* praebent cui voluntas *rationabiliter* tenetur se conformare in eligenda parte cui assensum imperat. [3])

Ita sane, si intelligamus illud « tenemur amplecti » de adhaesione mentis per judicium alicui propositioni opinabili.

---

[1]) Cf. A. explicationem in ipsius dissert. n. 18. 3.

[2]) Cf. Buffier traité des pr. vérités num. 162, 163. ab Auctore relatum num. 128.

[3]) S. Th. 1, 2. Q. 9. a. 1. ad 3. ait voluntatem movere intellectum quoad exercitium, intellectum vero voluntatem quantum ad determinationem actus ». Quod bene explicat Sf. Pallavicini (*in 1, 2... disp.*

At si intelligatur de obligatione *conformandi nostram operationem huic opinioni tamquam normae*, negandum prorsus est adesse hanc obligationem, nisi vel 1) alia adsit certa lex quae in casu vetet usum principiorum reflexorum ad efformandam conscientiam practice certam de honestate actionis; vel 2) existentia illius normae et ipsa norma in se sit manifesta et saltem adeo moraliter certa ut opinioni oppositae nullum satis grave remaneat fundamentum prudentis adhaesionis.

Porro hoc et non alio sensu etiam S. Alphonsum illa verba scripsisse in dissertatione ann. 1767 inserta theol. morali l. I. n. 56, manifestum fit legenti integrum textum quem, utpote omnibus obvium non transcribo. Ibi enim quoad primum quidem, sub n. 57 in fine dicit esse *supponendum* ut certum, conscientiam efformari posse ex principiis etiam reflexis jamque paulo ante docuit (n. 42 sqq.) quibus in casibus teneamur sequi tutiorem. — Quoad alterum vero ipso n. 56, loquens de « opinione quae propius ad veritatem accedit » intelligit talem accessum quo opinio fiat *certe probabilior*: nam de *certe probabiliori* est thesis quam proponit sibi probandam in ista paragrapho: idcirco nisi in ipsa probatione ubi dicit « opinionem quae propius ad veritatem accedit », intelligeret *certe probabiliorem*, quatuor terminos in syllogismo adhiberet. At vero *certe probabiliorem* statim explicat « moraliter aut quasi moraliter certam » ; et quae « certum habeat fundamentum quod ipsa sit vera ». In quibus verbis sedulus lector advertet S. Alphonsum non dixisse: « . . . . quod ipsa sit probabilior » quo significasset tantum excessum probabilioritatis esse certum; sed dixisse: « quod ipsa sit vera ». Unde voluit significare certitudinem fundamenti eo pertingere ut propositio possit dici nedum mere probabilior *sed vera*. Quam interpretationem iterum

---

*VIII. Q. VI, a. 4. n. 9)*: « voluntas potest facere ut intellectus operetur vel non operetur potius hunc actum quam illum ; at diversa cognitio intellectus movet voluntatem ad actus *specie* diversos et oppositos ».

promunt verba sequentia: « unde tunc fit quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris etc. »

Nam haec depressio infra solidam probabilitatem propositioni oppositae non contingit ex quocumque prioris excessu quo valeat dici probabilior sed tantummodo ex excessu quo valeat dici moraliter certa aut (quandoquidem in hujusmodi mathematica discrimina non dantur) quasi moraliter certa. Quocirca in his ultimis verbis, quando S. D. dicit: « opinio minus tuta quae certo fundamento caret... » non tantummodo significare vult: « quae certo fundamento caret, *quod sit vera* (nam supponit admissum ab omnibus duas oppositas propositiones non posse simul ambas esse moraliter certas); sed per verba immediate sequentia significat hanc propositionem etiam certo fundamento carere « quod *possit* esse vera » i. e. *quod sit solide probabilis*.

Ista omnia revera nondum erant hujus loci, [1]) sed volui ea notare ut averteretur a primis definitionibus, quibus convenit maxima praecisio, praejudicium caliginis, quam secum fert sententia ambigua. Coetera quae hic assumpta sunt, serius, demonstratione firmata consistent.

## PUNCTUM II.

### *In Art. II. -- Quid sit veritatis criterium.*

Duabus propositionibus Cl. A. determinat ubinam inveniatur veritatis criterium: 1) Adaequatum veritatis criterium est objectivo-subjectivum; — 2) cujus tamen elementum objectivum praecipuas sibi vindicat partes. — Idem aliis verbis docuit S. Thomas: esse rei causat veritatem intellectus; esse tamen rei non materialiter sed formaliter spectatum i. e. propor-

[1]) Cf. de Caigny. nn. 42. 48. 74. 81. 82.

tionatum potentiae prout cognoscitiva est aptumque ad ingerendam sui similitudinem intellectui. Ea autem similitudo non per se sed per accidens occasionem dat falsitatis. — Criterium dicitur subjectivum tantummodo ratione aptae dispositionis subjecti.

Testimonia ex S. Alphonso ab auctore subjiciuntur unde constet quanta rectitudine S. D. hujusmodi objectivo usus criterio, mente purgata et libera, veritatem inquisiverit. Hisce quidem libentissime subscribo. Ne tamen excedamus, affectu que nimio judicii praepediamus sinceritatem, et nos maxime decet hanc sanam animi mentisque libertatem ab Alphonso servatam sancte imitari in ipsiusmet perpendenda recipiendaque doctrina, Decreta sane et encomia ab Ecclesia ejus doctrinae merito attributa, ipsum non eximunt e numero eorum de quibus scripsit S. Thomas: (1 p. Q. 1. a 8. ad 2.) « ( sacra « disciplina utitur) auctoritatibus aliorum doctorum Ecclesiae « quasi arguendo ex propriis *sed probaliter*..... Unde dicit Au« gustinus in epistola ad Hieronymum 19. cap. 1. prop. fin.: « *solis iis Scripturarum libris qui canonici appellantur, didici « hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eo« rum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios « autem ita lego ut quantalibet sanctitate doctrinaque prae« polleant non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt (vel « scripserunt).* »

Haec caeterum et ipse de se professus est Alphonsus in eodem illo *monito* sive praefatione annis 1753-55 theol. mor. primum affixa, unde praecipue A. hic transcripta excerpsit: « Non« nullas etiam, ait, opiniones (temporis decursu rebus ad uti« liorem trutinam revocatis) hominem me agnoscens, refor« mavi. » Porro in editionibus anno 1755 posterioribus profecto non desiit agnoscere se hominem; atque nunc unius aevi decursu, multa tum in re morali, tum in historicis monumentis circa vicissitudines Ecclesiae sub PP. Clemente XIII et Clemente XIV, fuerunt, nemine diffitente, *ad utiliorem trutinam revocata.*

## PUNCTUM III.

### *In art. III. — Quotuplex sit veritatis criterium.*

Hic, sepositis criteriis veritatis particularibus ordinis sive naturalis sive supernaturalis et criterio universali ordinis supernaturalis, quaestio restringitur ad criterium universale quoad nos in ordine naturali, quae est evidentia. In fine innuitur S. Alphonsum vario modo esse locutum circa quaestionem quae profecto fundamentum est ex praecipuis, totius praesentis controversiae. Lex nempe ut obliget, necesse est ut promulgatione innotescat. Porro ad ipsam promulgationem, manifestationem, notitiam requisitam et sufficientem ut lex obliget, S. Alphonsus, ut scribit P. de C. « nonnunquam docet expostulari *evidentiam:* « Requiritur *manifesta* praecepti cognitio..... cum lex sit regula actionum, opus est ut homo eam intueatur. » (theol. mor. lib. I. n. 65); — alibi: « secus autem esset (nempe lex obligaret), quando excessus ( *probabilioritatis*) esset *evidens.* » (H. A. tr. I, n. 77.); — aliquoties vero eam non requiri: « At saepius dixi ad legem servandam teneri non solum eum qui *evidentem* legis cognitionem habet, sed illum etiam qui rationis ductum lumine, opinionem legi suffragantem notabiliter vel certe probabiliorem esse existimat. » (*Dissert.* ann. 1765. c. 3. n. 81). »

At vero ne ex istis simul congestis S. D. textibus aliquantula confusio conceptuum doctrinam ejus coeteroquin perspicuam conturbet, duo liceat advertere; 1) illis verbis (ex H. A. tr. 1. n. 77), si spectentur in se, non significatur *evidentia promulgationis sed evidentia excessus probabilitatis* pro sententia quae dicit legem existere promulgatam. [1]) — Porro aliud est ipsam legis promulgationem esse evidentem, et aliud, probabilioritatem promulgationis esse evidentem. Ergo iste locus

---

[1]) Cf. dissert. P. de C. n. 18-3.

non videtur opportune citatus ad ostendendum S. Alphonsum expostulasse evidentiam ipsius promulgationis.

Quod confirmatur: auctor ipse ad ostendendum S. D. aliquando non requirere evidentem legis cognitionem, affert verba dissert. ann. 1765. c. III. n. 81, quibus, etiam illa lex obligare dicitur, cujus notitia est *certe* probabilior. — Atqui esse certe probabilior et esse evidenter probabilior est unum et idem: nam certitudo de probabilioritate non habetur sine evidentia (utique vel quasi evidentia) de probabilioritate nec evidentia habetur sine certitudine. Ergo locus ex H. A. ubi asseritur evidentia probabilioritatis allegandus fuisset pro secundo S. Alphonsi asserto, non pro primo: — Imo id ipsum significavit S. D. hoc eodem textu ex H. A. tr. 1. n. 77, quia non apposuit punctum, ut auctor noster, verbulo *evidens;* sed adiunxit: *atque certus* etc. Quare apparentia contradictionis (cfr. A. n. 20) non verbis S. Alphonsi sed incongruae et truncatae eorum citationi videtur esse referenda. 2). Brevissime igitur potest proponi distinctior S. Alph. mens in illa quaestione, juxta ea quae tradit in theol. mor. l. I n. 65 et in H. A. tr. 1. n. 77. 31: in lege distinguere oportet *objectum* sive materiam et *obligandi vim*. Vis obligandi legi perfecte inest ex *promulgatione:* promulgatio perfecta non habetur nisi sit vel manifesta et omnino evidens, vel saltem de ea ita constet ut nonnisi imprudenter denegaretur. Cum cognitione hac ultima non omnino evidenti *obligationis* legis, potest consistere cognitio omnino manifesta et evidens *objecti* legis.

Aliis verbis: ut obliger aliqua lege satis non est ut *objectum* ejus sit mihi manifestum sed omnino requiritur ut sim vel *omnino certus* vel saltem *moraliter* sive *quasi moraliter certus* legislatorem reapse *manifestare voluntatem obligandi* me per eam. Haec in praesenti sufficiunt.

## PUNCTUM IV.

### *In Art. IV. - De evidentia.*

Distincte explicat hoc articulo egregius auctor naturam, divisionem evidentiae atque practica adminicula quibus virum doctum uti convenit ad eam tutius perspiciendam.

NOTA. — DE AUCTORITATE S. ALPHONSI

Tandem concluditur caput I, opportune conserta S. Alphonsi laude cui toto animo plaudimus. Menti tamen quieta speculatione veritatem inquirenti congruum erit jam nunc revocari vim praecisam decretorum Sedis Apostolicae circa moralem doctrinam S. Doctoris Alphonsi, statuto limite ultra quem decreta illa *extendi nimia interpretatione non debent.* Quod securissime pro ipsomet P. de C. praestabo si verba et sensus usurpaverim Vindiciarum Alphonsian. in dissertat. prooemiali, § 2. edit. 2.

Hunc adiens locum perspicax Lector copiosam segetem inveniet ex qua paucas sufficit seligere spicas.

1. (Diss. prooemial § 2. n. 59.) « Certum est Sedem Apost. *minime declarasse* omnes et singulas S. A. sententias *absolute veras* esse atque adeo ab omnibus *necessario amplectendas.* — Nec pronuntiavit omnes quascumque ipsius opiniones *semper remansuras* esse sanas et tutas, aut vere probabiles. — Nec ullatenus demum intendit quaestiones inter theologos legitime controversas dirimere, aut opiniones ab opinionibus S. Alphonsi alienas ipsisve contrarias improbare. »

2. (L. c. n. 61.) « *Cuivis semper liberum erit a Doctrina S. Alphonsi recedere* aliasque amplecti opiniones ab Ecclesia toleratas solidoque fundamento innixas..... » -- « Cuivis insuper plane licet sententias S. D. examinare..... earumque argumenta sive intrinseca sive extrinseca ad trutinam revocare *de majori minorive earum probabilitatis valore seu gradu disceptare imo et illas impugnare.....* tamen..... cum reverentia..... ac..... *bonis rationibus.....* » — infra n. 75. adjungitur : « proinde impossibile non est, ut earum aliquae falsae aut improbabiles demonstrentur: siquidem ad probabilitatis rationem pertinet ut subesse possit falsitas. »

3. (L. c. n. 67) « Si quis (itaque) *ex propria scientia et investigatione* persuasum habeat opinionem suam opinione S. Alphonsi *probabiliorem* esse, ... hoc in casu valet tritum adagium: *Quisque suo sensu abundet.* Huic itaque opinioni, si lubeat, insistat; caveat tantum ne fucum sibi faciat... »

4. (L. c. n. 66) Ex opusc. D. De Wit de studio ac usu theol. mor. S. A. Buscoduci 1867, edit. 2. « S. Poenitentiaria prohibens inquietari hunc confessarium (de quo, in notissimo illo decreto) non declaravit nihil a quoquam fieri posse quod melius sit, sed ostendit id ab eo fieri quod bonum sit, quod reprobari non possit. »

5. (L. c. n. 73.) « Exinde (i. e. ex decretis S. Ap.) non sequitur *exclusivam* esse S. Doctoris Alphonsi auctoritatem » (cfr. Resp. S. Poenit. 1851).

Porro ex hisce per V. A. concessis et statutis tria Corollaria videntur posse deduci:

Coroll. I. *Auctoritati intrinsecae* opinionum et assertionum S. Alphonsi nihil per Ecclesiae decreta ante concessionem tituli Doctoris, fuisse additum nisi *a*) *Approbationem* negativam: quod nempe immunes repertae fuerint a quacumque *theologica* censura. (Cf. L. c. n. 38-41.); — *b*) quod a labe imprudentiae sint quacumque tandem ratione ita exemptae ut potuerit constare de virtute heroica. (cf. L. c. n. 47.)

Hoc igitur solo sensu intrinsecus *sanae et tutae* (cf. L. c. n. 64.) vi illorum decretorum dici possunt.

Coroll. II. Auctoritati *extrinsecae* praedictarum opinionum in eo ante causam Doctoratus fundatae quod ab omnibus *de facto* habebatur ut auctor *classicus et insignis*, adjunctum fuit novum magnumque pondus ex praerogativa Doctoris qua auctor earum ab Ecclesia est honoratus.

Causae autem Doctoratus fundamentum praescindit a quaestione systematis quam hac dissertatiuncula agitamus; est autem « universale fere episcoporum suffragium » cujus causae reperiuntur « non quidem in uno alterove S. Alphonsi opusculo; non in una alterave ejus opinione, non in nonnullis disputabilibus quaestionibus; sed in tota ejus practica doctrina, qua perniciosissimos jansenisticae doctrinae fructus ubique magis minusve diffusos, valuit insectari et subripere; praesertim vero in ejus morali doctrina, quae universalis evadens jam nostra aetate practicum jansenismum universim fere extinxit. » (Acta S. Sedis, a P. Avanzini illustrata V. VI. pag, 289.)

Idcirco ex concesso Doctoris titulo, arguere possumus ad *eminen-*

*tem* Alphonsi doctrinam, non quidem *absolute*, sed *relative* tantum ad magnum illum effectum, quem pro Ecclesiae conditione, S. Alphonsus praeclaro ingenio, sanctimonia et doctrina est assecutus. (cf. eadem act. S. S. ibid. pag. 317.) Cf. et decret. 11 — 23 Mart. 1871 et litt. Apost. *Qui Ecclesiae suae.* Pii P. IX s. m. (Ibid. pag. 320 sqq.)

Ex honore tamen inde a scholis catholicis S. Doctori universaliter tributo, non sequitur singulas ejus opiniones posse hoc solo jam dici *communes* (Cf. L. c. n. 74. 76 in fine). Nam istae scholae ejus auctoritatem eo modo amplectuntur quo ab Ecclesia proponitur; proponitur autem ita ut *cuique* relinquatur libertas ponderate ab ea recedendi, praesertim ex momento intrinseco. Cum vero aliunde, (ut nos docet ipse S. Alph. cum S. Th. et S. Augustino) constat quamcumque Doctoris particularis auctoritatem rationibus intrinsecis esse subordinatam, ut S. Alphonsi opiniones singulae dici possent nunc factae communes ostendere necesse esset scholas catholicas eis singulis accessisse *spectato etiam momento intrinseco.*

Porro in praesenti statu theologiae quis hoc dicet?

Coroll. III. Rite scripsit cl. Bouquillon (Inst. th. m. fund. Brugis 1873. n. 311.), l. c. n. 76, a V. A. relatus: *Publice* probabilis dicitur illa sententia quam communiter viri probi et docti uti talem habent; *private* autem illa vocatur, quae viro prudenti, postquam diligenter ac sine inordinato affectu rem examinavit, gravibus rationibus innixa apparet.»

Quo posito Vind. Alph. (L. c. n. 78.) dum videntur asserere nullum auctorem posse sua opinione *elidere* opiniones singulas S. Alphonsi nisi sit « omni exceptione major »; id intendere debent vel de sola S. Alphonsi, auctoritate extrinseca (tunc profecto nonnisi alius Doctor Ecclesiae, v. g. Thomas, Augustinus tantum valebit;) vel de tali elisione, qua opinio S. Alphonso opposita fiat *publice* probabilior et quidem statim solo facto quod is alter demonstraverit suas rationes. — Si enim aliter rem intelligerent, destruerent libertatem illam quam asserunt quamque retuli supra n. 2.

Quare cum opinio S. Alphonso opposita possit revera fieri *private probabilis* poterit etiam reapse fieri private probabilior; atque si novae et solidae rationes pro ea militantes publicatae fuerint, mox ei alii plures adhaerebunt, ipsaque fiet publice probabilis imo et publice probabilior praesertim ex motivis intrinsecis; imo quid vetet? Si tanta fuerint ea nova motiva, fieri poterit publice probabilissima, publice vera, atque

hoc concedere debet quicumque admittit ex una parte in S. Alphonso multa inveniri quae sunt tantum *opinabilia*, ex altera vero, scientiam theologicam singulis aevis progredi in melius nec S. Alphonsum in ea apicem insuperabilem omni ex parte attigisse perfectionis.

Hisce itaque quae utpote indubitata, extra omnem controversiam consistere, debent, in memoriam revocatis, cum auctore nostro ad majoris momenti quaestiones indagandas festinemus.

---

## SECTIO II.

### *Crisim complectens Capitis II.*

### *De mentis humanae statibus circa veritatem.*

—

### PUNCTUM I.

#### *In art. I. - De statibus istis in genere.*

Hoc capite agitur de dubio, de opinione et de certitudine qui sunt praecipui status mentis relate ad cognitionem veri. — Art. 1. generalia quaedam adnotat auctor, utpote singulis istis statibus communia. Ast inter plura ab ipso rectissime dicta, aliqua sunt quae confusionem ingerere possent. Nonnulla itaque et mihi liceat adnotare:

I. quidem paritas inter potentiam intellectivam et voluntatem quae ab initio n. 28 asseritur, sub hoc respectu valet quod ens sive modus entis, non in quantum *in se* absolute est movet intellectum et voluntatem, sed in quantum *dicit ordinem ad aliud*, scilicet in quantum est *verum*, i. e. intelligibile et conveniens intellectui et in quantum est *bonum*, i. e appetibile et conveniens voluntati. (Cf. S. Thomae QQ. DD. de verit. Q. 1. a. 1). At vero ipse ordo entis ad intellectum, in praesenti quaestione nequit comparari cum ordine entis ad voluntatem: nus enim ab altero est omnino diversus, unde etiam ratio

desumitur qua motus intellectus in verum differt a motu voluntatis in bonum.

Sane intellectus est facultas cognoscendi: « omnis autem « cognitio perficitur per assimilationem cognoscentis ad rem « cognitam ». (S. Th. l. c.) Per hanc autem assimilationem non trahitur intellectus ad objectum, sed objectum potius trahitur ad intellectum quatenus novum esse, intentionale scilicet, obtinet in intellectu: nam « omne intellectum, in quantum intellectum oportet esse in intelligente; significat enim ipsum intelligere, *apprehensionem* ejus quod intelligitur per intellectum ». *(4 cont. Gent. c. 11. manifestum est [enim.)* Idque valet tam de judicio, imo magis de judicio quam de simplici apprehensione: quia, ut ait Angelicus (de verit. Q. 1. a 3. — 1. p. Q. 16 a. 2) veritas proprie loquendo est in intellectu componente et dividente non autem in sensu neque in intellectu cognoscente quod quid est (cf. etiam 1. Dist. 19. Q. 5. a. 1. a 3. 7). Ergo proprie res obtinet in intellectu, perfectum esse intentionale quando intellectus componit vel dividit.

E contra voluntas est potentia appetitiva et « potentia appetitiva est potentia passiva quae *nata est moveri* ab apprehenso ». (1 p. Q. 80 a. 2. corp;) — et 4 c. gent c. 19: « amatum in amante existit ut *inclinans* et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam ». — Cf. etiam. Q. *D. de anima a. 13. in corp.* § *altior autem.* Statuto itaque hoc discrimine inter motum intellectus et motum voluntatis, evidens fit indoli intellectus repugnare illam spontaneam inclinationem [1]) quam indeliberate patitur appetitus rationalis a proposito sibi bono, ante liberam electionem.

Praeterea, seposita nunc determinatione quae a voluntate provenit, et spectata solum determinatione ab objecto, si deest

---

[1]) Haec indeliberata inclinatio voluntatis et ipsa est actus psychologice completus complacentiae vel desiderii, nec potest dici imperfecta nisi relate ad actum liberum electionis, quem antevertit: Motus enim voluntatis est *actus perfecti* sicut et intelligere. (S. Th. 1 p. Q. 59 a. 1. ad 3).

evidentia impossibile physice est intellectum ad actum judicii ne imperfecte quidem et inchoate per objectum inclinari. Ratio est clara: primo quia verum non determinat intellectus actum nisi in quantum apparet; apparet autem evidentia: si ergo latet perinde est ac si non esset ideoque nullatenus determinat ne inchoate quidem. — Secundo quia omnis actus intellectus vel est apprehensio, vel judicium, ut saepe docet S. Th. [1]) Praeter istos, intellectus remanet in potentia: igitur vel apprehendit vel non apprehendit, vel judicat vel non judicat: medius sane quidam incompletus actus physice repugnat potentiae cognoscitivae a materia immuni: intellectus sane motus est *actus perfecti* i. e. proprie *operatio* cujus idem est fieri et factum esse, non vero proprie *motus* qui definitur *actus existentis in potentia.* (Cf. S. Th. 1. p. Q. 59 a. 1. ad 3. — l. 3. de Anima. lect. XII sub initio). Quare si distinguantur in intellectus operationibus perfectae, et imperfectae, haec distinctio locum tantum habere potest sub ratione *assimilationis intellectus* cum objectiva veritate: hoc pacto imperfectus est *apprehensionis* actus, perfectus actus *judicii,* rursus ratione *firmitatis* actus imperfectus est iudicium opinativum, perfectus, judicium certum (cf. S. Th. 1. p. Q. 85. a. 5.)

Quare verba illa Auctoris n. 28 pag. 34: «.... (intellectus) sponte quidem, sicut coeterae potentiae, [2]) naturali conatu *inclinetur*.... ad actum et objectum sibi proprium.... » et infra haec alia: «.... licet naturali *conatu* ad actum *propendeat* et vitali motu ad objectum *magis vel minus inclinetur*.... » de motu illo

---

[1]) Cf. v. g. Post analyt. L. 1. lect. 1. — Tertia quidem operatio est ratiocinium, sed non intellectui potius rationi tribuitur perficitur que discursu ab uno *judicio* in aliud.

[2]) Utique « quamlibet formam, ut dicit S. Th. 1. p. Q. 80. a. 1., sequitur aliqua inclinatio. » Sed inclinatio sequens formam intellectivam, alia non est praeter ipsam potentiam animae appetitivam et intellectivam, i. e. ipsa voluntas; lege integrum hunc S. Th. articulum et sequentem.

incoepto nequeunt intelligi. Cavendum itaque est a nimis materiali et phantastica intelligentia motuum spiritualium.

II. Quando in apprehensione comparativa, deficiente evidentia ipsius *rei*, rationes tamen adsunt plus minusve probabiles pro affirmatione, primus transitus de potentia ad actum judicii fit per hoc quod intellectus necessario determinatur evidentia ipsiusmet *probabilitatis* vel saltem *incertitudinis* rei, ad judicandum « probabilitatem rei dari; » — « rem *apparere* tantum; » — « constare de incertitudine » vel alia hujusmodi. — Si autem aliae contrariae rationes plus minusve probabiles simul etiam appareant pro neganda re, intellectus necessario determinabitur ad eliciendum plura similia judicia in contrarium, quorum singula affirmant pondus singularum rationum. (Cf. S. Th. de anima, lib. 2. lect. 53. « Cum aliquid intelligimus..... »)

Porro quisque videt ista singula judicia, si comparentur cum judicio certo de ipsa re, ad quod voluntas dirigit intellectus inquisitionem, posse dici *inclinare* intellectum plus minusve ad veritatem rei, prout affirmant majorem minoremve dari probabilitatem. At ista non est inclinatio proprie *actus intellectualis* subjective spectati, sed est potius inclinatio *rei judicatae*, quae objective et repraesentative spectata, magis vel minus *accedit* ad objectivam veritatem.

In tali statu itaque intellectus relate ad *rem ipsam* quae non se manifestat evidentem, ex se remanet suspensus seu in potentia: ideo locus hic datur imperio voluntatis cui competit movere intellectum ut omnes alias vires (S. Th. de verit. Q. 14. a. 1. corp. ab initio — 1. 2. Q. 17. a. 6. — in 3. D. 23. Q. 2. a. 2.)

III. Voluntas equidem recte et absque ulla culpa movebit intellectum ad assensum *rei ipsi* praebendum, si non imperaverit assensum firmiorem quam valeant motiva exigere; culpabiliter vero si induxerit intellectum ad assentiendum *ipsi rei* sive firmius quam motiva ferant, sive absque ulla formidine perinde ac si res esset objective evidens.

Ut clare intelligamus quomodo hujusmodi aberratio produci possit imperio voluntatis, juvat cum A. nostro meminisse

(n. 28 ab initio) intellectum nonnisi sub specie veri falso posse per judicium adhaerere; et quidem firmiter, absque formidine oppositi, tantummodo « in errore materiali actualiter invincibili: » quando nempe nullum prorsus apparet motivum contrarium et falso videtur suffragari argumentum evidens: v. g. testimonium sensuum in illo errore qui tamdiu invaluit de motu solis circa terram. — At vero si appareat motivum contrarium vel si ratio pro re militans non appareat evidens, vel si nulla datur *extrinseca* ratio certa quae excludat rationabilem formidinem de opposito (sicut fit judicio credibilitatis in assensu fidei): voluntas non poterit, dum actu motivum contrarium apparet (cf. heic n. II.), imperare assensum *ipsi rei*, non proportionatum motivis apprehensis.

Secus enim falsum esset illud principium psycologicum paulo ante enuntiatum, ut per se satis patet et fatetur ipse auctor dicens n. 28 in fine : « (intellectus) licet sit potentia necessaria non tamen est caeca; hinc majorem verisimilitudinem *necessario* et videt et in hanc propendet » [1])

Idcirco voluntati, unde assensum obtineat quem vult, necesse erit ut attentionem mentis quomodocumque tandem avertat a motivis contrariis, curetque deleri memoriam probabilitatis antea judicatae istorum motivorum, simulque aliunde augeri pondera pro parte cui ipsa voluntas favet.

Quo pacto si totaliter omnino e mente evanuerint per oblivionem rationes oppositae, obtinebitur firma adhaesio mentis isti parti ; si non totaliter evanuerint, mens cum *minore* tantum formidine quam res objective ferat, proebebit assensum. [2])

Igitur hoc solo sensu dici potest intellectum « vim » a voluntate pati ; — « invitum inflecti » — « voluntate moveri per modum impulsionis »; (apud P. de C. n. 28.); quod volun-

---

1) *Propendet,* scilicet actu completo judicii determinato ab ipsa evidentia ipsius verisimilitudinis, ut paulo ante declaravi.

2) Cf. Martinum de Esparza, *Append. a. 154.*

tas *indirecta* causa fit eliciti assensus, auferendo vel minuendo *causam* formidinis in eo ; et relinquendo intellectui praesens illud solum objectum cui ipsa vult intellectum assentire. Nullatenus vero haec possunt intelligi de *directa* et immediata coactione intellectus per voluntatem ; licet possit os voluntate cogi ad mentiendum.

Hinc non sine distinctione permitti potest ultima A. assertio in fine articuli : « Manifeste patet, hoc genus movendi non terminari *proprie* ad actum, sicut fit per ea qua dicuntur motiva sive *rationes formales* assensuum, sed terminari potius ad ipsum intellectum qui ad operandum et assentiendum applicatur. » — Respondeo : voluntas non movet intellectum ad actum, sicut objectum verum eum movet et determinat ad actum *conc.* non movet intellectum mediante propositione objectorum verorum vel apparenter verorum, ad quae eum convertit vel a quibus divertit pro lubitu juxta assensum quem vult obtinere pro fine suo, *nego.* — Intellectus enim non movetur nisi a vero vel a specie veri ; voluntas intellectum quidem *applicat ad assentiendum*, sed nonnisi circa aliquod objectum intellectui naturaliter proprium, quod est vel verum objectivum vel apparentia veri, quam voluntas procuravit intellectui praeferri.

## PUNCTUM II.

### *In § I. Artic. II. — De dubitatione.*

Ex doctrina S. Thomae art. praecedenti sub. n. I explicata, satis apparet quo sensu Angelicus, tum Q. D. de veritate Q. 14 a. 1., tum 2, 2. p. Q. 2. a. 1. debeat intelligi, dum loquens de *actibus* intellectus (ut expresse dicit l. c. in summa) sermonem facit de *inclinatione* sive *declinatione* intellectus, de majori vel minori inclinatione, de ejus *mutatione* ; vel dicit intellectum *tentari* aliquo levi signo sicut accidit suspicanti.....

Loquitur nempe 1°) de intellectu *in actu*; qui, uti vidimus, duplex tantum est : apprehensio vel judicium ; 2°) de actibus qui eliciuntur a mente dum *cogitat*; et cogitationem dicit proprie esse « motum animi deliberantis nondum *perfecti per plenam visionem* veritatis. » (l. c. in summa); et paulo infra, « informem (cogitationem) *absque* firma assensione. » et paulo supra : « esse considerationem intellectus cum quadam inquisitione, antequam perveniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem visionis. » — Porro ista inquisitio fit per successiva judicia, quorum aliqua sunt necessaria (heic art. praeced. II), alia voluntate imperata. Describit ergo Ang. illis modis loquendi varia *judicia* intellectus ea spectando *comparata ad judicium certum* visionis vel scientiae (ut explicat Q. D. de verit l. c. circa med.), in cujus perfectione quiescit mens; ideoque sub respectu quod accedat, magis vel minus ad istam metam inquisitionis, prout magis vel minus excludunt formidinem de veritate partis oppositae, pro varietate motivorum quibus nituntur. — 3). Iste major vel minor accessus, vel etiam aequalis accessus ipsius judicii ex motivis, ad alterutram partem (compositionem vel divisionem i. e. judicium certum affirmativum vel negativum), *metaphorice* tribuitur ab Angelico ipsi intellectui ut inclinatio, fluctuatio, tentatio ipsius, scilicet id quod causae i. e. motivorum proprium est, attribuitur primo effectui, i. e. judicio, per metonimiam, deinde ipsi intellectui (cf. P. de C. n. 35). Comparatio desumitur ex libra, ut explicat Auctor noster. Cavendum tamen est ne nimis urgeatur; comparatio enim omnis, cum semper aliqua ratione deficiat, juxta tritum proverbium, ad illustrandum explicandumque valet, non vero ad probandum : Quod meminisse juvabit.

Valde refert hic prae oculis habere integrum S. Thomae locum qui praecipuus est in quaestione nostra: scribit igitur de Veritate Q. 14 a. 1. explicans quidnam sit credere: « Intellectus.... nostri, secundum Philosophum in lib. de Anima (3. comm. 21, 22.) duplex est operatio. Una qua format simplices rerum quidditates: ut quid est homo vel

quid est animal: in qua quidem operatione non invenitur verum per se nec falsum, sicut nec in vocibus incomplexis. Alia operatio intellectus est secundum quam componit et dividit, affirmando et negando: et in hac jam invenitur verum et falsum, sicut et in voce complexa quae est ejus signum. Non autem invenitur credere in prima operatione sed in secunda: credimus enim vera et discredimus falsa... Intellectus autem possibilis, cum quantum sit de se, sit in potentia respectu omnium intelligibilium formarum... est etiam quantum sit de se non magis determinatus ad hoc quod adhaereat compositioni quam divisioni, vel e converso. Omne autem quod est determinatum ad duo, non determinatur ad unum eorum nisi per aliquid movens ipsum. Intellectus autem possibilis non movetur nisi a duobus: scilicet a proprio objecto, quod est forma intelligibilis, scilicet quod quid est, ut dicitur in 3. de Anima (comm. 26) et a voluntate quae movet omnes alias vires ut dicit Anselmus (lib. de similit. c. 2.) Sic igitur intellectus noster possibilis respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem, et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum: sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet in ipsum unam partium totaliter; unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita: et haec est dispositio opinantis qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius. Quandoque vero intellectus possibilis determinatur ad hoc quod totaliter adhaereat uni parti; sed hoc est quandoque ab intelligibili, quandoque a voluntate etc... ».

Veniamus itaque ad auct. nostrum; praesenti art. II. proponit definitionem et divisionem dubitationis, recteque monet dubitationem importare *actum* intellectus. Qui porro actus, ut paulo supra innui et patet ex citatis S. Th. verbis, non potest esse nisi judicium et quidem multiplex: primum, necessario determinatum ab evidentia *ipsius incertitudinis* rei, i. e. ab evidentia apparentis defectus rationum evidentium ex utraque parte: dixi: necessario determinatum, si quidem plena appa-

reat haec evidentia; secus vero judicium erit voluntate imperatum; et hoc judicium sic a mente effertur: « constat rem ipsam nulla ex parte esse evidentem « vel: « incertitudo rei est evidens ». — Alterum judicium pari modo poterit necessario determinari a percepta apparenti aequalitate rationum: et hoc ita effertur: « pro utraque parte rationes aequales (utique vel fere aequales) apparent. » — Inde statim deducitur aliud: « rationabile non esset spectatis tantum rationibus quae pro utraque parte militant adhaerere potius uni parti quam alteri. » — Ultimum tandem: « assensus suspendendus est. »

Haec sane analysis facile deducitur ex descriptione dubitationis a S. Th. in textu transcripto proposita, collata ejus doctrina quam art. I. hujus capitis explicavi. Revera Angelicus in isto textu [1]) *prius* dispescit status omnes mentis relate ad veri consecutionem, bifariam: vel enim est status in quo mens *totaliter* adhaeret uni parti sine formidine de opposita; vel est status in quo *non* habetur haec totalis adhaesio. Deinde subdistinguit hunc alterum statum, iterum bifariam: vel enim ita mens caret totali adhaesione ut nequidem cum aliqua prudenti formidine unam partem accipiat, vel ita caret totali adhaesione ut unam tamen partem cum formidine alterius accipiat. — Bifariam rursus primum istud membrum subdividit: nempe « non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel *propter defectum* moventium, vel propter *apparentem aequalitatem* eorum. » i. e. propterea quod utraque pars ingerit prudentem sui formidinem *aequalem* motivis alterius.

Unde evidens fit dubitationem positivam et opinionem, juxta Angelicum, convenire in nota ista generica quod formido prudens errandi excludit totalem adhaesionem ab utroque statu; differentiam vero specificam pro opinione esse acceptationem unius partis, pro dubitatione neutrius acceptationem. Formido prudens idcirco, quod sedulo retinendum, essentialis est tam opinioni quam dubio positivo.

---

1) Collato art. 1. Q. 2. 2. 2. p. in corp.

Porro cum in dubitatione eliciatur aliquod judicium, uti supra didicimus ex S. Th. nec tamen possit esse totalis ipsi rei adhaesio, neque ejusdem rei receptio cum formidine, nihil superest nisi quod sit judicium vel determinatum vel imperatum circa *ipsam inevidentiam* rei; et quandoquidem status dubitationis tribuitur menti in relatione ad rem ipsam, voluntas rationabiliter non potest aliud judicium imperare circa rem, quam illud ultimum: suspendendum esse assensum.

Unde remanet declarata ex S. Th. descriptione analysis supra instituta. [1])

## PUNCTUM III.

### *In §. II. art. II. de divisione dubitationis.*

Auctor subdit consuetas divisiones dubitationis « majorisque momenti in morali S. Alphonsi systemate » dicit esse distinctionem dubitationis *strictae* et *latae*. Nimirum juxta Auctorem, dubitatio *stricto* sensu dicta, vocatur illa suspensio assensus quam hucusque descripsimus, et locum habere diximus quando intellectus neutram partem accipit contradictionis, quia non posset alterutri inclinari quin aequaliter formidaret alteram. *Lato* sensu dubitatio dicitur ab Auctore alius ille status mentis, in quo « mens quidem accipit unam partem tamen semper dubitat de opposita: et haec est dispositio opinantis » (S. Thom. de Verit. l. c.): scilicet ratione istius dubii de opposita defectusque totalis adhaesionis uni parti, vocatur *dubitatio*; ratione

1) Hisce suffragantur nedum obstant verba quae subjicit S. Thom. in citato art. Q. 14 de Verit. « Patet ergo ex dictis quod in illa operatione intellectus qua format simplices rerum quidditates, non invenitur assensus, cum non sit ibi verum vel falsum: non enim dicimur alicui assentire nisi quando inhaeremus ei quasi vero; similiter dubitans non habet assensum, cum non inhaereat uni parti magis quam alii; similiter nec opinans, cum non firmetur ejus acceptio circa alteram partem. Sententia autem, ut dicit Isaac et Avicenna (l. 2. Me-

vero inclinationis in unum, dicitur *lato sensu* dubitatio et proprie opinio.

At mirum sane est S. Alphonsum nullam mentionem fecisse hujus distinctionis dubii *stricti* et *lati*, praecise in illis locis ubi ex professo proponit conscientiae dubiae definitionem et varias distinctiones: conferat Lector per semetipsum th. mor. l. 1. n. 20 sqq. — H. A. tr. 1. n. 12. 13.: quomodo enim, si tanti referret hanc scivisse distinctionem, quomodo eam omisit? — Imo in utroque citato loco, aperte sub una denominatione dubii positivi, comprehendit dubium ab auctore vocatum strictum et dubium latum: nam « positivum est, ait, quando pro *utraque* parte vel saltem pro *una* adest grave motivum sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito; ideo dubium positivum fere semper coincidit cum opinione probabili.... » Hisce, inquam comprehendit utrinque dubium ab Auctore distinctum nam:

1) non distinguit casum aequalis probabilitatis utrinque recurrentis a casu inaequalis probabilitatis, ideoque voluit tradere rationem communem utrique. Atqui ratio communis utrique casui est ut habeatur *prudens errandi formido*, quae in opinante impedit *totalem* assensum, in *dubitante* impedit etiam rationabilem *acceptionem* unius prae altero, rationabilemque efficit judicii suspensionem. Ergo pro Sancto Doctore definitio

---

taph. cap. 4 et l. 8. cap. 6.) est *conceptio distincta* vel certissima alterius partis contradictionis; assentire autem a sententia dicitur etc. »

Nempe cum in summa L. c. Angelicus intellectui dubitanti vel opinanti tribuat *actum*, qui ut vidimus, debet esse judicii, omneque judicium sit *assensus* in compositionem vel divisionem; in praesenti textu ubi Ang. dicit nec dubitantem nec opinantem habere assensum, evidenter significat assensum firmum *ipsi rei* ab istis tantum non haberi: secus sibi non cohaereret. — Non excludit ergo ab opinante vel dubitante assensum etiam firmum non *ipsi rei*, sed vel *inevidentiae* ejus vel *probabilitati* ejus: imo hunc assensum in ipsis supponit. Cf. etiam loc. parall. in 3. Dist. 23 Q. 2. A. 2. ubi scribit: « opinans habet cogitationem sine assensu perfecto; sed habet aliquid assensus, in quantum adhaeret uni magis quam alii. »

dubii positivi logice comprehendit tam dubium quod Auctor strictum appellat, quam quod appellat latum, atque hoc, pro parte qua ipse S. Thomas expresse dicit intellectum opinantis « *dubitare* tamen de opposita ».

2) Dicit S. Alphonsus dari dubium positivum etiam quando ex una tantum parte adest grave motivum sufficiens ad formandam conscientiam probabilem licet cum formidine de opposito. Atqui hic certe non est casus opinionis *unice* probabilis : tum quia in ea desunt motiva formidandi, ex parte oppo sita; tum quia S. Alphonsus opinionem unice probabilem, quam aestimat moralem directe facere certitudinem, non potuit sine contradictione comprehendere in definitione dubii positivi quod certe nunquam eam directe inducit. — Ergo nihil superest nisi quod voluerit significare casum in quo rationes sunt utrinque graves quidem sed inaequales, quando nempe, ut ait S. Thomas, « intellectus accipit quidem unam partem (quia inclinatur magis ad eam) tamen semper dubitat de opposita; et haec est dispositio opinantis. »

3) Dicit S. Alphonsus, heic et *H. A. tr. 1. n. 12*, dubium positivum coincidere cum opinione probabili, quae esset juxta Auctorem, dubium latum. Ergo sub unica denominatione dubii positivi dubium illud latum etiam comprehendit. Nec admitti potest S. Alphonsum in isto textu opinionem probabilem intellexisse latiori quodam sensu qui non sit probabilitas proprie dicta, ut ex sequentibus punctis fiet evidens, et jam nunc assumi potest ut certum cum ipse S. Alphonsus in th. m. l. 1. n. 20, (cf. et H. A. tr. 1. n. 12), addat verbis citatis: «.... coincidit cum opinione probabili *de qua in capite sequenti* loquemur. » Porro argumentum praecipuum capitis sequentis est probabilitas *proprie* dicta, tam in *Th. mor.* quam in *H. A.*

Satis evidenter itaque constat quod S. D. Alphonsus, ubi notionem et divisionem conscientiae dubiae tradidit, dubium latum et dubium strictum ideo noluit expresse distinguere, quia utrique convenit exclusio totalis adhaesionis propter prudentem formidinem errandi quae in utroque persistit. Porro haec

proprietas utrique communis, praecipue attendenda est in statuendis regulis de licito usu principiorum reflexorum. Satis erat igitur mentionem utriusque facere sub unico nomine dubii positivi, quo haec proprietas exprimitur.

Verum, licet ex professo non tradiderit S. D. hujus distinctionis definitionem, exercite tamen utitur denominatione dubii stricti et dubii lati, ubi praecipue, sermonem facit de licito usu principii reflexi: legem dubiam non obligare. Ex contextu itaque nobis est requirendus sensus quo eam usurpaverit. Primo quidem, l. l. n. 56 pro significatione intelligenda dubii *stricti*, nos remittit ad n. 57, sqq. in quibus dicit quod, duabus aeque probabilibus concurrentibus,.. opinio quae stat pro libertate... *grave* immittit *dubium*, an existat lex; et n. 71 docet in casu aeque probabilium, non promulgari sufficientem notitiam sed promulgari *dubium*, sive *meram haesitationem* an adsit lex vel non. N° autem 57 ab initio jam innuerat et alibi saepe docet casum in quo partes sunt *fere* aequalis ponderis, sive in quo excessus unius prae altera non est certe notabilis, sed dubius, aequiparari casui in quo essent aeque probabiles. — S. Doctor idcirco dubium strictum adesse intellexit quoties mens judicat rationabiliter non posse nisi *suspendi* assensum firmum in rem ipsam, eo quod alterutri non posset adhaereri sine aequali vel fere aequali formidine oppositi.

Jamvero infra videbimus S. Doctorem a posteriori habuisse tanquam certum et in praxi retinuisse in ordine ad practicum et licitum usum principiorum reflexorum, motiva probabilia, *utrinque haberi posse ut aequalia vel fere aequalia, quoties non sunt saltem adeo notabiliter probabiliora ut fiant moraliter certa vel fere moraliter certa.* Ergo dubium *strictum* adesse intellexit in *tota extensione* solidae probabilitatis quae non pertingat ad hanc moralem certitudinem, i. e. in tota extensione *dubii positivi* quod definiverat ab initio, l. c.

Inde sequitur quod denominationem dubii *lati* quod ipse l. c. *opponit* dubio stricto ita intellecto, adhibuerit non praecise juxta Auctoris interpretationem pro opinione graviter probabili, sed

pro significando motivo quod *non parit prudentem sui formidinem:* sane ipse scripsit (l. 1. n. 67 in fine): in casu certe i. e. notabiliter probabilioris quae sit moraliter certa seu fere moraliter certa, « remanet tantum eo casu QUODDAM DUBIUM LATUM QUOD AB OPINIONE TUTIORE DISCEDERE NON PERMITTIT »; et ibidem n. 56 explicaverat ideo istud remanens dubium non permittere ut a tutiore discedamus, quia tunc « opinio minus tuta quae certo fundamento caret, remaneat aut *tenuiter aut saltem dubie probabilis* respectu tutioris. » E paulo post eam dicit « partem quae... vera non apparet, imo quae videtur nec certum fundamentum habere quod *possit esse vera.* »

Huic interpretationi Auctor objiciet S. Doctorem praesumendum non esse, voluisse in usu hujusce denominationis recedere a sensu quem th.th. ipsi communiter tribuunt, quem que ita satis recte refert. v. g. Ant. Mayr qui opus theol. edidit ann. 1730: *tr. IV. n. 241:* « Dubium *late* sumi potest pro omni judicio incerto; et sic etiam opinio, seu sententia tantum probabilis, quandoque vocatur dubia. At si dubium *stricte* sumatur est *haesitatio,* vel *suspensio mentis neutri parti assentientis ob formidinem erroris:* vel ut definit Bardi *de consc. disc. V. C. 1. n. 1.* est *suspensio intellectus manentis in aequilibrio, inter duo contraria et non assentientis neque dissentientis;* ita communius Auctores contra aliquos etc. » Quae profecto consonant descriptioni dubitationis a S. Thoma traditae. Imo et ipse P. Ballerini, perget Auctor, scribit in Op. mor. edit. 2ª vol. I. tract. de consc. n. 53.: « Unde apparet (et hoc alte menti defigendum) non idem esse *dubitare* et *opinari.* Opinio adhaeret alterutri parti dubium vero nulli parti inclinatur. Ita S. Th. etc. » Atque cl. Editor in notula (a) huic loco subjecta: « Advertendum quosdam ita deformasse naturam dubii, ut non sit amplius *dubium.* Nam dubii proprium est ut *fluctuet inter duas partes contradictionis* et in hoc differt ab *opinione* quae alterutri parti adhaeret. etc. »

Porro haec ratio loquendi evidenter significat opinionem solide probabilem spectatam in mente, non esse dubium *stricte*

*dictum*, ideoque *lato* quodam sensu tantum hoc sibi mereri nomen.

Verum difficile admodum non est hanc solvere difficultatem, si advertatur S. Alphonsum distinctionem dubii *stricti* et *lati* unice et exclusive adhibuisse relate ad usum practicum principii reflexi : *legem dubiam non obligare ;* non vero ad *statuendam notionem duplicis status mentis* essentialiter diversi, dubitationis scilicet, et opinionis : de hoc enim utriusque discrimine ex professo S. D. non agit sed ipsum supponit ex notionibus communiter receptis post S. Thomam.

Jamvero relate ad *usum practicum* hujus principii reflexi, lex ut obliget debet esse *moraliter certa*, idque fuse probat eodem loco S. Doctor ex S. Thoma et aliis [1] : quoties igitur, pensatis utrinque rationibus, intellectus rationabiliter judicat *suspendendum* esse judicium de *certitudine morali legis*, per hanc judicii surpensionem habebitur in mente status dubii *stricti circa legis existentiam*, qualis requireretur ut lex practice obligaret : dubium enim *strictum* in eo ab opinione differt quod *suspendit* assensum alterutri parti. — E contra, si perpensis utrinque motivis, lex apparet moraliter certa (non quidem certitudine stricta de qua controversia non erat), sed certitudine morali lata quae exurgit ex *probabilioribus coniecturis*,

---

1) Sic R. P. J. Aertnys (th. mor. edit. 4ª vol 2ª pag. 473 : « S. Thom. *(de verit. Q. 17. a. 2. ad 2.)* explicat qualem scientiam intendat [ut, ea mediante praeceptum liget, a. 3] : « cum dico conscientiam non dico vel implico scientiam solummodo *stricte* acceptam, prout est tantum verorum, sed scientiam *largo modo* acceptam pro quacumque notitia, secundum quod omne quod novimus, comuni usu loquendi scire dicimur ». Si quaecumque notitia sufficit ad ligandum, sufficientem habemus in sententia pro lege, QUAE PRUDENTEM DUBITATIONEM EXCLUDIT, uti dicimus. » Habemus itaque R. P. Aertnys confitentem quod, donec pars contra legem gravem suae *veritatis* formidinem ingerit, sive, uti scribit S. Thomas (*de verit.* Q. 14. a. 1,) describens statum opinantis, « tamen semper *dubitat* (opinans) de opposita (parte) » ; tamdiu lex nequit sufficere ad ligandum, quantavis probabilitate praevaleat.

nulla gravi ratione ex opposito persistente, pro lege habetur *opinio* proprie dicta, quia ei mens *adhaeret* non tamen firmitate orta ex evidentia, ideoque nec *suspendit* judicium. Ergo hic status in oppositione ad alium statum dubii *stricti*, potest appellari *dubium latum*, juxta divisionem ex Anton. Mayr supra explicatam.

S. Alphonsus idcirco sub speciali illo respectu de legis obligatione, complectens sub dubio *stricto*, etiam opinionem probabilem quae alterutri parti adhaeret cum *formidine prudenti oppositi*, non « deformavit naturam dubii, ut non sit amplius dubium » quia *hujusmodi* OPINIONEM SEQUITUR RELATE AD OBLIGATIONEM LEGIS, EADEM SUSPENSIO ASSENSUS, quae sequitur etiam in mente, FLUCTUANTE inter AEQUALES rationes. Relate igitur ad judicium practicum moraliter certum de legis existentia, tam in casu rationum utrinque aequalium quam in casu utrinque solide probabilium sed vere inaequalium, mens vere et *stricto* sensu *dubitat*.

Quae responsio certe debet valere pro illis probabilistis qui admittunt praeter opinionem certe et notabiliter probabiliorem quae recidat in moralem certitudinem, dari certe probabiliorem quae in hanc non recidat.

Pro auctore autem nostro debet etiam valere eadem responsio, cum S. Doctor Alphonsus, ut infra videbimus, teneat omnem opinionem quae *non est notabiliter* probabilior, esse *dubie* probabiliorem, ideoque posse haberi ut *aeque probabilem* ac oppositam, eo quod parum pro nihilo reputatur. Unde alia via eam S. D. reducit ad dubium *strictum*.

Pro certo teneri itaque potest S. Doctorem Alphonsum in ista controversia de usu principii reflexi circa legis existentiam, dubium *strictum* extendisse ad totam latitudinem definitionis quam dederat dubii *positivi;* atque nomine dubii *lati* intellexisse eam opinionem notabiliter probabiliorem quae contra se tantum *leves* vel *dubie graves* habet rationes.

Caeteroqui quae heic assumpsimus, decursu nostrae crisis fient evidentiora et data occasione critice confirmabuntur.

Hisce rite intellectis, nullam potest amplius facessere difficultatem id quod Auctor n. 32 advertit: « juxta S. Alphonsum, nonnisi dubium strictum obstat sufficienti legis promulgationi, minime vero dubium latum cum proprie dubium non sit. » De mente S. Alphonsi in hac re, nisi jam ex dictis satis constaret, decursu sequentis disputationis sensus quem ipsi tribuimus, undequaque demonstrabitur, ab ipso constanter fuisse retentus. — Nunc uno ictu sufficiat rescindere ipsam radicem. Sane, ut supra monuimus ex aperta doctrina S. Thomae, dubitatio stricta et lata, sensu Auctoris intellectae, conveniunt in nota generica, defectus *totalis adhaesionis* quae sit *absque prudenti formidine de opposito*. Atqui praecise propter hunc defectum totalis adhaesionis et persistentiam gravis formidinis errandi, dubium strictum obstat legis promulgationi, quae non habetur, ubi motivum grave superest formidandi legis existentiam.

Ergo si velimus logice procedere necesse erit fateri dubium *latum* sensu Auctoris intellectum, quippe cui convenit defectus totalis adhaesionis, prudensque oppositi formido, et ipsum obstare legis promulgationi. Quare transmittere licet ea quae subdit auctor noster ad probandum dubium latum non esse proprie dubium: « Et sane dubitatio lata caret *ratione formali* dubitationem stricte dictam constituente: nam juxta D. Thomam, dubitationis status tunc *proprie* habetur « quando intellectus non inclinatur magis ad unum quam ad aliud ». Atqui in dubitatione lata mens inclinatur magis ad unum, eique etiam adhaeret licet cum formidine alterius. » (n. 32). Porro haec dixi posse transmitti: nam probant tantum opinionem sive dubium latum non esse dubium strictum: non autem probant *opinionem* pertingere ad illam perfectionem *scientiae et notitiae* quae essentialis est promulgationi, ut docet S. Thomas. Jamvero hoc esset praecise probandum, si probari posset: verum, est satis aperta contradictio cum *opinio* sive dubium quod auctor vocat latum importet semper *prudentem* formidinem ex vera probabilitate oppositi, scientia e contra sive notitia, legis promulgationi essentialis vel omnem formidinem vel saltem pru-

dentem excludat. [1]) — Quare et egregius A. n. persensisse videtur suae ratiocinationis insufficientiam, concludens: « dubitatio late dicta proprie est status opinativus, *ita tamen ut minus interdum consideretur mentis adhaesio uni parti prae alia, quam formido remanens et aliquam in mente dubitationem ingerens.* » (n. 32).

Ideo enim in ordine ad legis obligationem et existentiam stabiliendam, non consideratur adhaesio uni parti, quae habetur in opinione proprie dicta, quia ea non sufficit ad inducendam obligationem, donec persistit prudens formido.

Haec inquam fundamentalis confutatio pro hujus loci opportunitate abunde sufficit: alia enim argumenta quibus suam in posterum firmare doctrinam conabitur auctor, singula suis locis diluentur.

Duo subnectit cl. P. de C. n. 33. Primum: S. Alphonsum « saepenumero asserere *tale* solummodo expostulari motivum ad *strictum* solvendum dubium, *quale* analogice loquendo requiritur pondus ad staterae lancem ab aequilibrio deflectendam. (*Corr. Spec.* Epist. CCXIX.). » — Porro haec jam semel confirmant quanta veritate dixerim ab initio hujus articuli istam staterae comparationem nimis non esse urgendam: hic sane non sine aperta contradictione ab *auctore* urgetur: nam ad staterae lancem ab aequilibrio deflectendam sufficit pondus *leviter* superans alteram lancem; dum e contra S. Alphonsus 1°) non admittit, sicut continuo advertit A. noster, pondus rationis *levis* stans pro una parte contradictionis prae altera removere mentem a dubitatione stricta (cf. etiam P. de C. n. 31. 1.);

2°) expresse dicit dubium *negativum* esse quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. Atqui dubium negativum est *strictum*. Ergo vel falsum est generale illud assertum: « tale solummodo expostulari..... », vel quod

---

[1]) i. e. saltem excludat prudentem formidinem quod, opposita sit *vera;* quia si lex est *probalissima*, quamvis sententia opposita sit *dubie* probabilis, lex censetur satis promulgata. (Prop. 3. Alex. VIII).

verius est, S. Alphonsus non intellexit dubium latum sensu quem fingit R. Auctor, sed potius de casu tenuis probabilitatis vel dubiae. Adeo verum est non probabilisticam interpretationem esse eam quae S. Doctori turpes attribuat contradictiones!

— Coeteroqui S. Alphonsus in citata epistola aliud omnino dicit quam significetur in versione latina auctoris nostri: scribit enim: «.... quella certezza della maggior probabilità prova che quella probabilità è talmente preponderante che basta per far traboccar la bilancia: e così dico essere la stessa la sentenza certamente più probabile che la notabilmente più probabile; perchè se non fosse notabile l'eccesso, non potrebbe far traboccar la bilancia. » — Porro verbum « traboccar » non significat simpliciter sensu *activo ab equilibrio deflectere*, — sed usurpatione *intransitiva* significat *totaliter decidere*, procumbere; italice « cader a precipizio: » et tunc profecto comparatio valet et ita quidem ut retorqueri possit contra auctoris nostri sensum de dubio lato: nam juxta ipsum, dubium latum tunc solum habetur quando motivum comparatur a S. Alphonso ponderi quod totaliter inclinat lancem in alteram partem. Atqui motivum comparatur a Sancto, hujusmodi ponderi, quando ejus probabilitas est notabilis et certa, ita ut oppositum sit vel tenue vel dubie probabile. Ergo dubium latum in sensu S. Alph. non est nisi ex motivo levi inductum.

Alterum quod notat Auctor, videtur omnino esse verum neque in hisce verbis (th. mor. l. 1. n. 20) S. Alphonsus dissentit a S. Thoma, ut urgere voluit Ballerinius noster (op. mor. vol. 1. de consc. n. 53 (a). — Sane S. Thomas describens dubitantis statum (L. c. de verit. Q. 14) certissime intelligi debet de defectu moventium non tam *totali* et *absoluto*, ut v. g. in problemate num numerus stellarum sit impar, sed potius de casu quo deficiant *gravia* moventia licet adsint alterutra ex parte *levia*.

Nam 1°) si totaliter deficiant moventia etiam levia, mens potius quam *dubitet* proprie *ignorat*, ut recte advertit Baldinotti in opere citato, n. 137 (1) cum multis theologis; et S. Tho-

mas jam *in 3. Dist. 23. Q. 2. a. 2. q. 1.* dixerat quod, *nescientis* est ad neutram partem contradictionis habere rationes. — 2) Ex levi ratione mens non opinatur, sed tentatur tantum atque *suspicatur*, juxta S. Th. (2. 2. Q. 2. a. g.)

In dubio vero positivo, ideo haeret absque assensu, quia ex aequalitate moventium irrationabiliter uni prae altera contradictionis parti adhaereret : ergo *supponitur* ab Angelico quod spectato movente, *posset* adhaerere : atqui si motivum est leve, ne quidem *adhaesionis* dignum est, sed tantum *suspicationis*. Ergo in dubio positivo describendo non curantur a S. Th. motiva levia sed sola gravia; atque si adsint motiva levia, et aequalia quidem utraque ex parte, mens suspendet non adhaesionem cum formidine (huic enim locus nullatenus est) sed *suspicationem*; si autem inaequalia, poterit *suspicatione*, inclinari in unam partem. — E contra vel dubium *negativum* non distinguitur a nescientia, vel si distinguitur, distinctionis ratio debet desumi a motivo levi quod aequale adest pro utraque parte : nam si assumatur a motivo gravi jam habetur vel dubium *positivum* vel *opinio*.

Idcirco rectius assecutus esse videtur mentem Angelici S. D. Alphonsus cum scripsit: « dubium *negativum* est quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles sed tantum leves. »

De opinione *unice* probabili quam heic etiam indicat Auctor, commodius infra.

Verba S. Alphonsi ab auctore relata: « dubium positivum fere semper *coincidit* (et in Hom. Ap. tr. 1. n. 12. dicit absque restrictione *idem est*) cum opinione *probabili* » (th. mor. l. 1. 20) occasionem mihi praebent unum animadvertendi, quod maxime conducet ad intelligentiam articuli proxime sequentis.

Nimirum si in istis S. D. verbis sumantur opinio et dubium *sensu subjectivo*, pro statu mentis accipientis cum formidine alteram contradictionis partem vel suspendentis assensum; contradictorium et falsum esset, ut patet ex ipso modo loquendi S. Thomae in textu supra transcripto, asserere dubium positivum idem esse ac opinionem probabilem. Verum tamen exprimunt illa verba, si dubium positivum et opinio probabilis intelligan-

tur *sensu objectivo*, nempe de ipsis motivis quae in causa sunt cur mens dubitet vel opinetur. Sane evidens est S. Thomam, dum dicit: « quandoque intellectus..... non inclinatur magis ad unum quam ad aliud... propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem... » implicite significare motiva esse et *remanere* relative probabilia et quidem ex *utraque parte*: si enim una pars adeo elideret alteram ut ejus probabilitatem perimeret, nulla superesset ratio cur mens potius suspenderet assensum, quam partem elidentem acciperet saltem sub motione voluntatis; actumque esset de statu dubii nec S. Thomas adjunxisset « hanc esse dubitantis dispositionem, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. » Idcirco ut mens possit anceps fluctuare inter duo, oportet ut motiva unius partis 1) absolute sint gravia 2) comparata ad partem oppositam, ea non elidantur neque ipsam elidant; 3) neque sint convincentia; insuper oportet ut idem omnino possit dici de motivis alterius partis. Cuius rei exempla sane non pauca occurrunt in theologia scholastica et in morali, dum ambae partes ex diversis proficiscuntur principiis: equidem apud S. Thomam aliqua; multa vero apud S. Alphonsum. Sed de hoc infra.

Quae cum ita sint, citatis verbis S. D. Alphonsi subest sequens sensus, isque verus; quod nempe diligenti inquisitione peracta, objectiva probabilitas possit in mente gignere tum statum positivae et proprie dictae dubitationis, tum statum opinionis; dubitationis quidem, solum quando mens judicet rationes omnes sive intrinsecas sive extrinsecas, absolute et relative spectatas aequaliter esse utrinque probabiles; statum vero opinionis *ex solo facto* quod intellectus voluntate moveatur ad accipiendam unam partem quamvis non sine formidine de opposita, quia ratio major undecunque tandem sit, illi acceptationi suffragatur: Porro cum acceptatio intellectus rem opinantis voluntate imperetur, haec ad imperandum induci potest rationabiliter, duplici ex causa [1]): 1) vel ex eo quod intellectus judicaverit majorem

1) Cf. Rassler, norma recti, disp. III. n. 118.

pro una contradictionis parte militare rationem licet totaliter non convincentem, quam pro altera; 2) vel ex eo quod ratio *ipsi rei extrinseca* [1]) voluntati suadeat ut imperet acceptationem unius partis ex se aeque probabilis ac altera. In hoc sane casu adhuc verificatur intellectum « magis inclinari uni parti quam alteri » juxta descriptionem opinionis a S. Thoma datam: nam haec suasio fit ope *judicii* de acceptationis convenientia, quum caeteroquin pars aeque probabilis supponatur in se vi movendi intellectum non destituta, juxta ea quae de dubio paulo ante diximus; ideoque ex se sit apta quae possit accipi si aliunde rationabile sit imperari ejus acceptationem.

Hanc autem explicationem S. Thomae congruere, nedum adversari, patet: Sane voluntas rationabiliter poterit imperare acceptationem unius partium ex se aeque probabilis, si quandoque potest firmum etiam assensum imperare uni parti quae *ex se nullatenus sufficit* ad movendum intellectum. Atqui quandoque potest rationabiliter voluntas firmum etiam assensum imperare uni parti quae ex se nullatenus sufficit ad movendum intellectum: ut expresse docet S. Th. de verit. Q. 14. a. 1. in textu subsequenti verba a nobis suprà transcripta, et alibi [2]) de analysi actus fidei. Ergo a pari rationabiliter poterit voluntas imperare quandoque si hoc ipsi aliunde conveniat, acceptationem unius partis *ex se* aeque probabilis, non tamen sine alterius formidine. Valet profecto consequentia hujus argumenti: cum probabilitas quae ex se competit adhuc parti aeque probabili *ita* faciat rationabile ejus acceptationis imperium, *sicut* judicium credibilitatis facit rationabile obsequium fidei et assensum: et ratio illa extrinseca voluntati suadens imperium aequivaleat judicio *credenditatis*, ut aiunt, in fide. Imo nedum a pari sed aliqua ratione etiam a fortiori valet consequentia, cum probabilitas quae posi-

---

1) v. g. voluntas alicujus superioris qui possit rationabiliter praecipere acceptationem unius probabilis prae altera aeque probabili. (cf. Rassler. norma recti. disp. III. n. 219. 117.)

2) cf. v. g. in 3. Dist. 23. Q. 2. a. 2. q. 1.

tive apparet subsistere adhuc in parte aeque probabili, positive etiam fundet ejus acceptationem cum formidine, dum judicium credibilitatis nullatenus faciat *apparere* positive sed negative tantum et analogice motivum *intrinsecum* fidei divinae. Quare, ut docet Angelicus (in 3. D. 23. Q. 2. a. 2. q. 1.) intellectus in fide ad assensum *captivatur*. — In illa autem acceptatione proportionata probabilitati ex se apparenti, intellectus dici nequit vere captivari.

Verum pedem jam induximus in campum articuli sequentis qui agit de opinione et probabilitate.

## PUNCTUM IV

### *In art. III. — De opinionis natura.*

Recte proponitur ab auctore n. 34, opinionis definitio.

Nobis ideo sufficit ut, perspicuitatis gratia, explicita distinctione juxta praemissa art. anteced., sensum declaremus verborum S. Alph. quae hic citantur: « Ex quo constat opinionem non posse esse judicium *certum*, cum oriatur ex motivo fallibili ». Concedo quidem non posse esse judicium certum de *ipsa re*: nihilominus judicium opinativum supponit judicium de ipsa probabilitate, si nempe haec ipsa non sit tantummodo dubia. Eodem sane sensu intelligenda sunt verba adnexa S. Bernardi.

Ad monitum n. 35., adverto 1) motiva objective probabilia non esse causam unicam et *determinantem* statum opinionis in mente, sed ad hunc effectum concurrere voluntatem quae motum imperat, ut ab Angelico discimus 1, 2. Q. 17. a. 6. Quare ea quae motivo objectivo conveniunt ratione suae infirmitatis ratione majoris vel minoris accessus ad evidentem veritatis demonstrationem, poterunt quidem ipsi mentis opinioni legitime transferri, quippe quae sub hoc respectu est motivo proportionata; atque e converso ea quae ratione formidinis de opposito conveniunt menti opinanti possunt transferri objectivo

motivo: neutiquam vero opinioni tribui potest relate ad motiva probabilia, illa *determinationis* relatio, qualis intercedit inter motivum objective evidens et statum certitudinis: hanc enim relationem opinio habet erga voluntatem. Praeterea, ut vidimus, opinio non est unicus actus quem voluntas intellectui imperare rationabiliter possit relate ad motivum objective probabile; quandoque enim rationabiliter imperat assensus suspensionem; imo quandoque, ut infra a S. Alphonso docebimur, imperat rationabiliter assensum cum morali certitudine, in casu nempe quod motiva sint unice probabilia. Ergo non sine cautela admitti potest quod auctor hic dicit: germanam « opinionis naturam rite jam perspectam ad probabilitatis cognitionem intimam egregie conducere: siquidem inter elementum subjectivum et objectivum cognitionis nostrae habetur proportio *causalitatis*, ita ut *status* mentis ceu *effectus* a *motivis* objectorum gignantur. » Hoc nempe ultimum simpliciter verum est de statu certitudinis relate ad objectivam evidentiam; partim vero falsum partim verum, de statu opinionis relate ad objectivam probabilitatem, juxta praemissam explicationem. Pariter verum quidem est omnia quae probabilitati objectivae conveniunt proportionate applicari posse statui in mente ipsi respondenti; non vero e converso omnia et *sola* quae opinioni conveniunt posse proportionate applicari objectivae probabilitati, tanquam ejus causae: nam praeter ea quae opinioni conveniunt, quaedam, quae dubitationi conveniunt, proportionate tribuenda sunt etiam objectivae probabilitati, quandoquidem relate ad ea quae vere sunt probabilia identidem contingat mentem dubitare.

Adverto 2) ad verba Baldinotti ab auctore citata: « si utramque rationes oppositae, et *aequales* suadeant, ea se mutuo elidunt nosque in dubio versamur » — *Distinguo*: se elidunt quatenus unius *probabilitas* destruat probabilitatem alterius, *nego*; quatenus utriusque probabilitas impedit quominus voluntas, spectatis solis istis motivis utrinque aeque probabilibus, rationabiliter possit imperare acceptationem alterutrius partis, *concedo*. Sive uno verbo: se elidunt in formali utriusque probabilitate, *nego*; in

effectu *opinandi* producendo, *concedo*. Haec intelligenda sunt juxta explicata in fine artic. praecedentis. (Cf. etiam ipsum Baldinotti in notula (3) ad n. 157 operis a P. d. C. citati. Caeteroquin de hac elisione sermo mox recurret fusior. (n. auctoris 4. (3.)

## PUNCTUM V.

### *in Art. III — De probabilitatis natura.*

Thesim subjicit auctor noster; *Illud proprie dicitur et est probabile quod motivo nititur fallibili quidem sed absolute gravi et relative graviori.*

Et quoad primam quidem partem « *de natura probabilitatis in genere* », ut ait auctor: Descriptio probabilitatis ex Topic. lib. 1. c. 1. Aristotelis deprompta: « probabile est quod probatur omnibus, vel sapientibus, hisce vel omnibus vel plurimis vel maxime notis et illustribus: » exhibet potius *nominalem* quam *realem* probabilitatis definitionem; et ab extrinseco, i. e. ab aliquo effectu desumptam. Cf. etiam Punct. VIII. ex quo fiet manifestum Aristotelem noluisse hisce verbis excludere a motivis quae sunt vel *aeque* probabilia vel *minus* probabilia quam opposita, rationem proprie dictae probabilitatis quam ipse potius *supponit consistere infallibilitate* motivi digni quod probetur, per hanc enim fallibilitatem, tamquam per differentiam specificam, opponit probabilitatem evidentiae immediatae vel mediatae. (Cf. Top. l. 1. c. 1. n. 3. et Sylv. Maurum in h. l.) Hoc loco admittit in latitudine omnium *huiusmodi* motivorum, illud quod *maxime* convenit *fini speciali* persuadendi ad quem dirigitur dialectica et ars rhetorica quae exercitium circa materiam contingentem. Quum nempe sciamus sensa communiter ab omnibus hominibus, ut plurimum esse vera, sciamusque sapientes ut plurimum non moveri nisi ratione cui prudenter assentiri valeant; arguimus ex hujusmodi hominum vel sapientum judiciis motivum sufficiens grave licet non omnino convincens, quod inde vocamus *probabile*. Quocirca ratio generica probabilitatis est objectiva

quid dignum in se quod probetur; signum vero extrinsecum quo hujusmodi motivi existentia nobis manifestatur est approbatio sapientum:

Haec sane et non alia vis est auctoritatis humanae in re nostra, adeo ut ipse S. Alphonsus verbo et exemplo saepe nos doceat « rationem auctoritati praeponere » [1]) et Baldinotti (quem tanti facit auctor noster) in opere citato n. 150 dicat: « Qui auctoritatem faciunt, aut aliqua aut nulla ratione moventur; si secundum, nulla ex iisdem probabilitas..... » Quae aliis verbis significant ideo auctoritati sapientum nos deferre, quia merito praesumimus assensum eorum, in aliquod placitum, signum esse nobis objectivae veritatis aut saltem probabilitatis. (Cf. auctoris n. 47.)

Probabilitatis itaque realem et essentialem definitionem non ingreditur assensus sapientum, nisi ut signum ipsius manifestativum. Quare ex professo in definitione opinionis probabilis, eam in obliquo significans S. Alphonsus non dixit: grave, illud fundamentum esse, quod ad se *reapse trahit* assensum viri prudentis.... sed, *Th. mor. l. 1. n. 40.* loco omni ex parte parallelo cum textu ex H. A. ab auctore citato: « Probabilis (opinio) est, quae gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod *valet* ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. » Imo apertius in ipsis verbis ab auctore citatis (*H. A. tr. 1. n. 29*) «... ita ut *capax sit flectere* assensum viri prudentis.... »

Porro haec definitio convenit perfecte motivo illi cui ita opponitur alia ratio usque probabilis ut mens in dubio haereat. Nam, ut art. praec. explicavimus, hoc motivum absolute et relative spectatum, necessarium omnino est ut habeat ex se vim movendi virum prudentem ad assensum cum formidine. Quod autem vir prudens revera non assentiat sed anceps haereat,

---

[1]) Cf. v. g. n. LXXXIII. dissert. ann. 1763 adhuc per accidens insertae 5. edit. theol. mor. — et praefat. quae legitur in praesenti, in th. mor.

hoc fit non ideo quia motivum vi careat, sed quia, dum ipsum cum sua integra vi subsistit, alia surgit ratio opposita quae aeque tanti valet in contrarium, unde irrationabiliter imperaretur assensus potius uni parti quam alteri. Objective idcirco res *positive dubia* exsurgit non ex *defectu* probabilitatis proprie dictae, sed ex *aequalitate* probabilitatis proprie dictae, ab utraque parte contradictionis concurrentis. — Iterum ergo fit evidens statum mentis objectivae probabilitati respondentem non esse solum opinionem, sed quandoque etiam dubium: consequenter, etiam si desit sapientum opinio sive suffragium in unam contradictionis partem, non potest inde statim concludi eam objective, absolute et relative spectatam, ex se non esse probabilem. Unde rursus recta est animadversio paulo ante facta descriptioni probabilitatis objectivae quam S. Alphonsus l. supra a nobis citato adhibuit in sua definitione opinionis probabilis.

Inde patet etiam quod in definitione ejusdem opinionis probabilis quam auctor ex H. A. (tr. 1. n. 29.) desumpsit, quaeque sic se habet: « probabilis opinio est quae innititur fundamento gravi *tam intrinseco* rationis, *quam extrinseco*, nempe auctoritatis DD., ita ut capax sit flectere assensum viri prudentis, licet cum formidine de opposito. », in ista definitione, inquam, illud « *tam... quam...* » debet intelligi sensu disjunctivo, sicut « *vel.... vel....* » in praecedenti S. D. definitione; non sensu copulativo, quod scilicet utrumque et extrinsecum et intrinsecum semper et in omni casu requiratur; nam auctoritas quidem in tantum valet in quantum supponit motivum intrinsecum: hoc e contra quandoque habetur praeter auctoritatem, imo elidit eam.

Caeteroquin ne Baldinotti quidem definitio, ab auctore relata, ipsius interpretationi suffragatur: « Cognitio probabilis, scribit Baldinotti, non est ex simplici intuitu, nec ex demonstratione; sed ex rationibus quae sive cum veritate, sive cum illa cognitione necessarium nexum non habent aut non habere videantur: is tamen sit hic nexus, qui virum prudentem ac doctum in affirmationem vel negationem *adducat.* » (L. c. n. 138.). Sane 1°) Bal-

dinotti hic non probabile objective spectatum, directe definit, sed *cognitionem* probabilem: haec porro est opinio et opinione mens *actu* unam partem *acceptat* cum formidine alterius. Ergo opinionem praecise definiens potuit in fine dicere « *adducat* » potius quam « adducere valeat. » 2°) nisi verborum grammaticali constructione ludere velimus, mens Baldinotti hic est, ut *vim* describat et determinet fundamenti, sicuti patet ex oppositione quam inducit fundamenti opinionis cum *vi determinandi* assensum, quae est propria evidentiae immediatae vel mediatae: ad hoc autem prorsus per accidens habetur quod dixerit: adducat vel adducere valeat: si discrimen in hoc significare voluisset, expressis verbis monuisset. Sed ista operam et tempus non valent, ut in eis insistamus, dum contenti sumus definitione a S. Alphonso probata. [1])

---

1) Consonant optimi quique philosophi, qui communi suffragio censentur generatim et optime assecuti esse in suis doctrinis mentem Angelici Doctoris. Unum retulisse sufficiat, ex recentissimis: (V. Remer. Summa. Log. mai n. 81). « Constituitur probabilitas per pondus motivi vel motivorum, quae *fallibilia* quidem esse possunt (secus dicerentur certa) sed *gravia* sunt. Et hoc est definire probabilitatem *secundum se*. *In ordine autem ad assensum*, definitur probabilitas per pondus motivorum sufficientium ad suadendum *prudentem* assensum. Et quia sunt quaedam motiva quae aliquos duntaxat pro peculiari eorum ingenio aut studio movent, et quaedam quae omnes vel fere omnes, spectata humanae mentis natura, movent, ideo probabilitas solet distingui etiam in *relativam* et *absolutam*. Hanc definivit Aristoteles quum ait: 1. Top. c. 1. etc. » ut supra in textu nostro et auctoris.

Et in III parte ejusdem suae propositionis, idem Pater Remer ibidem: « Probabilitas opinionis pendet a motivo quo fulcitur: atqui in motivo possunt dari gradus; ergo et in probabilitate. Hinc est ut distinguamus opinionem *probabilem*, *probabiliorem*, *probabilissimam*. »

Porro qui ita loquitur, profecto agnoscit opinionem probabilem, in conflictu cum probabiliore, esse intra *proprie dictae probabilitatis* fines constitutam, quam definiverat in 1. parte et subdividit in 3. Caeteroqui et subjungit 4. partem: « minor probabilitas a majori non eliditur: —

Subjungit auctor in fine n. 36: « sicut dubium intelligi potest sensu proprio seu stricto, vel sensu improprio seu lato, ita probabilitas. » — Ex dictis profecto sequitur hanc paritatem, sive extensionem divisionis quae dubio juxta auctorem, convenit, ad ipsam probabilitatem, nullatenus admitti posse, istis terminis, si loquamur de dubio et probabilitate objective spectatis. Dubium sane objective spectatum includit objectivam proprie dictam probabilitatem: *dubiumque* vocatur tantummodo sub respectu status mentis quem rationabiliter inducit: nequit ergo vocari probabilitas improprie dicta et lato sensu: neque cum veritate nomen probabilitatis *proprie dictae* reservatur illi objectivo fundamento quod virum prudentem inducit in opinionem. Quocirca, si ea quae hucusque diximus, accurate teneantur, omnes a S. D. Alphonso traditae probabilitatis definitiones in idem tandem aliquando logice recident. nec nisi illi qui rem ex concepto praejudicio perperam intelligere voluerit, poterunt videri « dissimiles. » (cf. quae infra P. X et sqq. dicemus ad nn. A. 43. 45.).

De secunda thesis parte nihil dicendum occurrit: recte statuitur probabile dici quod motivo nititur fallibili quidem sed absolute gravi.

Porro defectus iste firmitatis in motivo probabili plerumque provenit ex vi motivi oppositae parti faventis, (ut statim dicetur) quam formidat intellectus alteri assentiens. Unde si motivum adversum adeo minuatur ut non possit amplius *certo* judicari dignum quod probetur, sed vel *levem* tantum suae veritatis suspicionem ingerat vel ad summum, in *dubitationem* intellectum inducat circa suum verum pondus; intellectus firmius et absque prudenti et certa errandi formidine, alteri mo-

---

Ut minor probabilitas a majori elideretur, deberet illius motivum destrui per hujus motivum. Atqui id non contingit saltem semper: nam 1. oppositarum opinionum probabilium motiva non semper sunt contradictoria: 2. etiamsi sint contradictoria, quum non constet certo et determinate de veritate unius, non potest inferri falsitas alterius. »

tivo, sub imperio voluntatis adhaerere poterit: atque in scientiis, quarum materia ut plurimum est contingens, hujusmodi assensus valet pro certitudine stricta. Patet ergo quod in scientia morali praecipuum discrimen inter certitudinem quae ad obligandum sufficiat, et probabilitatem quae ex se obligare nequit, desumitur ex formidine prudenti quam *certo ingerit vel non*, pars opposita. Ista fient inferius manifesta, praesertim ex S. Thomae doctrina et Aristotelis.

In tertia parte duo demontrare intendit P. de C. primum est probabilitatem proprie dictam exigere comparationem. — Ad hoc statuendum, quidquid tandem dixerint *Vindiciae Ballerinianae*, quod nunc non interest nec curamus rescire, profecto opus non erat recurrere ad auctoritatem *cordatiorum Ballerinianorum*, dum explicitum extat ipsius Ballerinii testimonium, in opere morali: *vol. I. tract. II. cap. II. n. 105* definiens ex Reiffenstuel et explicans opinionem probabilem, « Porro, scribit ipse, grave motivum apparere debet non solum *absolute*, verum etiam *relative* ad rationes, quae stant pro parte opposita; si enim inspectis contrariae partis rationibus vis motivi cessat, non potest dici probabilis. »

## PUNCTUM VI.

### *in Art. III - An probabilitas exigat motivum gravius.*

Hic pace R. P. de C., omnia nobis sunt diluenda.

Primum itaque argumentum « ex intima relatione probabilitatis cum opinione » desumitur:

Sicut se habet opinio ad dubitationem et certitudinem, ita se habet objective probabile ad objective dubium strictum et positivum atque ad objective certum, (i. e. evidens.).

Atqui opinio relate ad veritatem consequendam, extollit mentem supra dubitationem non tamen usque ad certitudinem.

Ergo objective probabile relate ad objective certum, magis

accedit quam objective dubium strictum et positivum, non tamen ad certum pertingit. Atqui dubium illud objectivum datur quoties tam pro re quam contra rem militant motiva *aeque* gravia.

Ergo probabile datur quoties vel pro re vel contra rem militant motiva «relative» *magis* gravia. — Q. E. P.

Ad hujusmodi ratiocinium profecto reducitur totus auctoris discursus sub n. 40.

Si quis vero majorem forte negaverit, ex iis quae ibidem vel dicuntur vel recoluntur, potest construi sequens probatio:

Dubitatio se habet ad objective dubium sicut effectus ad causam, mensuratum ad mensuram; opinio se habet ad objective probabile sicut effectus ad causam, sicut mensuratum ad mensuram; certitudo se habet ad evidens sicut effectus ad causam, mensuratum ad mensuram.

Atqui ex effectus et mensurati natura optime dignoscitur natura causae.

Ergo ex natura dubitationis, natura dubii; ex natura opinionis, natura object. probabilis; ex natura certitudinis natura evidentiae dignoscitur.

Atqui suapte natura opinio aliqua ratione *refertur* hinc ad dubitationem illinc ad certitudinem.

Ergo ex relatione opinionis ad dubitationem et ad certitudinem, optime dignosci potest relatio objectivae probabilitatis hinc ad objective dubium illinc ad objective certum i. e. evidens.

Ita porro logice concluditur ex iis quae ponit ibi P. de C.

At vero si comparemus hanc ultimam conclusionem cum prima illa majori probanda, in hac inveniemus asseri non tantummodo ex relatione quae intercedit inter opinionem ex una parte et dubitationem certitudinemque ex altera, optime *dignosci posse relationem* probabilitatis ad dubium objective spectatum et ad evidentiam; sed insuper asseri hanc relationem *esse eamdem* utrinque: sane in majori illa affirmatur *paritas relationis;* in conclusione vero ista affirmatur tantum unam rela-

tionem dignosci ex natura alterius, quod locum habere etiam potest ubi relationes non sint pares, sint tamen aliqua causalitatis ratione ita conjunctae ut ex cognitione unius inferatur altera.

Itaque ut possimus exinde etiam *paritatem* relationum inferre, opus est non tantummodo ut opinio sit effectus probabilitatis; dubitatio, dubii objectivi; certitudo, objectivae evidentiae; sed etiam ut opinio praecise in quantum extollit mentem supra dubitationem et infra certitudinem, sit effectus probabilitatis secundum se, ut sic, et praecise in quantum probabilitas relationen haberet excedentiae supra dubium et inferioritatis, infra evidentiam: tunc enim haec ipsa probabilitatis relatio esset causa illius relationis in opinione omnino paris ideoque ex cognitione unius legitime duceremur in cognitionem alterius.

Atqui hoc ultimum praecise quod supponitur, jam demonstravimus esse falsum: nam non est probabilitas *ut sic* quae excedit dubium objectivum: quandoquidem dubium objectivum et ipsum probabilitate constituitur, duplici et aequali in utraque parte opposita. Sed est *major* unius partis probabilitas quae excedit dubium, praecise quia *aequalitas* probabilitatis in utraque parte, constituit dubium.

Proinde falsum et contradictorium est istud auctoris assertum: *probabilitas proprie dicta exigit motivum relative gravius.*

Nam conclusio recta ejus argumenti est: *major probabilitas* exigit motivum relative gravius: et reapse ubi inter DD. occurrit opinionum dissensus, utraque litigantium pars ideo in unam inclinatur, prae altera, quia eam censet *probabiliorem*, quantumvis solidam alterius probabilitatem proprie dictam agnoscat, ut centies facit ipse S. Alphonsus.

Idcirco qui opinando unam contradictionis partem cum alterius formidine acceptat, triplex elicit judicium: unum de *probabilitate* majori unius partis; alterum de *probabilitate* minori alterius partis; tertium de *ipsa re*, juxta motiva majora. Duo priora judicia possunt esse etiam certa, siquidem probabilitas sit utrinque evidens, tertium est assensus cum formidine cau-

sata a judicio certo illo de probabilitate minori alterius partis. Haec certissime est doctrina S. Thomae, ut paulo infra declabimus, quamvis jam ex antea dictis satis constare possit.

Immerito igitur ratio proprie dictae probabilitatis objectivae tribuitur exclusive parti probabiliori.

Pariter dubitatio positiva in triplex resolvitur judicium: duo de aequali *probabilitate* utriusque partis, tertium circa *ipsam rem*, de assensu suspendendo et duo priora fundamentum praebent cur rationabiliter imperetur tertium.

Allegantur hic Baldinotti verba: « a dubio tanquam a puncto quodam probabilitas et improbabilitas procedunt » (op. citato n. 159). Ad haec 1° advertimus jam Baldinotti dum tenet (n. 158) duas probabilitates, quatenus sunt aequales, se mutuo destruere, ludere in ambiguo. Quocirca ejus auctoritas in hac quaestione est nulla, si ipsa metimur eam mensura quam nobis dedit in suo n. 150, supra relato.

2° Respondemus distinguendo illam improbabilitatem: sumendo eam sensu *relativo* tantum pro « minor probabilitas » concedimus a dubio i. e. ab aequali utriusque partis probabilitate tanquam a puncto procedere et majorem probabilitatem unius partis et hoc ipso, minorem alterius. — Sumendo improbabilitatem sensu *absoluto*, i. e. absolute excludente grave motivum et vim ex se movendi virum prudentem: *subdistinguimus*: a dubio infra procedit tantum improbabilitas *nego*; a dubio infra procedit improbabilitas, ubi descensum fuerit ad motivum in se et relative leve. *conc.* — Coeterum innuitur hic rursus comparatio puncti, quae eadem est ac staterae: unde iterum demontratur ipso facto, periculum errandi si nimis urgeatur comparatio ista.

3° Coeteroquin ipse Baldinotti hanc suam mecanicam comparationem temperasse videtur dum statim ante verba supra allegata, dicit: « improbabile illud est *quod aliqua saltem ratione* impugnatur: a dubio ergo tamquam etc. » Qua declaratione, nomine « improbabilis » comprehendere potest tum motivum minus grave licet adhuc grave, tum motivum leve; ideo-

que hac parte accedere videtur ad sensum a nobis concessum, licet ex altera recedat.

Redeundo tandem ad auctoris verba : « ergo, subjungit ipse, si quaedam opinio (voluit forte dicere quaedam objectiva ratio) ob oppositam suam aeque gravem, mentem nec supra nec infra dubitationem extollit, neutra stricto sensu probabilis dici meretur, sed dubia ». Jam diximus : motivum hujusmodi dubium tantummodo dicitur relate ad statum quem in mente causat, non eo quod ejus probabilitas proprie dicta destruatur, sed quia irrationabiliter ipsum mens acceptaret prae opposito aeque probabili. Ideirco probabilitas non definitur ex opinione : sed opinio et dubitatio ex definita probabilitate; nec dubitatio et opinio *specifice* distinguentur ex eo quod objectum formale opinionis sit *probabile*, objectumque formale dubitationis sit *non probabile*, sed primo et praecipue eo quod opinio sit mentis inclinatio, dubium e contra sit negatio sive suspensio hujus acceptationis, quemadmodum homo et brutum specifice distinguuntur quia homo est rationalis, brutum est irrationale : spectato enim objecto formali, distinguuntur tantum per plus et minus : dubium objectivum enim est probabilitas proprie dicta » sed utrinque aequalis ; objectum vero formale opinionis proprie dictae est probabilitas major. Quamvis et in hoc si vellemus, possemus specificum discrimen intelligere, dicendo objectum formale opinionis proprie dictae esse probabilitatem *non utrinque aequalem* : quia duo adjuncta contradictoria possunt ea ratione probabilitatem, spectatam in ordine ad statum mentis quem inducit, specifice distinguere. Sed tunc probabilitas ab istis differentiis praecisa, relate ad eas quidem *generica* sumitur, relate vero ad evidentiam et ad ignotum vel etiam ad leviter movens est quid *specifice* diversum, ideoque jam *proprie* omnino dictum.

Quare logicus processus quo invenire possumus propriam probabilitatis notionem est ut secernamus eam ab evidentia ab ignoto et a leviter movente, rationemque verae probabilitatis ita constitutam consideremus relate ad duplicem actum

quem pro diversis adjunctis circa eam imperat voluntas: dubitationem scilicet et opinionem.

Sed de primo auctoris argumento satis superque diximus.

## PUNCTUM VII.

### *In art. III. — Expenditur alterum Auctoris argumentum*

Alterum argumentum sub n. 11. proponitur « ex reali ac propria probabilitatis significatione. » Quod hujusmodi est:

« Probabile, juxta Card. Gonzalez, si rem ipsam significatam attendamus, illud dicitur, quod verum *apparet*. » — Aliquid porro verum *apparet*, seu verisimile est, secundum quod magis vel minus ad perfectam certitudinem accedit, juxta S. Thomam (Poster. Anal. l. lect. 1), ab auctore relatum; sive ut ait ipse auctor: « per accessum ad veritatem et recessum a falsitate »

Quo posito, sic argumentatur: « Nemo non videt *minorem* alicujus opinionis ad certitudinem *accessum prae majori* opinionis oppositae, relative ac proprie loquendo non esse *accessum* sed *recessum* a certitudine, ac proinde *improbabilitatem* constituere. » Sistamus ad distinguendum: in hypotesi quod jam certo vel fere certo, aliunde (v. g. ex fidei testimonio) cognoscatur quanam ex parte contradictionis se teneat veritas, ex quanam falsitas, *concedo minorem* accessum esse recessum a certitudine ac improbabilitatem constituere, vel etiam operire falsum. — Ubi hoc adhuc in incerto sit positum, ita ut tum in una, tum in altera contradictionis parte, veritatem reapse subesse, ideoque et *apparere*, conjici hinc et inde possit ex gravi quantumvis inaequali fundamento; in hac, inquam hypothesi *nego* prorsus *minorem* accessum hoc ipso quod minor est, esse *recessum* a certitudine: adhuc quippe ex altera parte potest subesse falsum, atque ex hypothesi, agimus de

« processu rationis qui non est cum omnimoda certitudine » ut scribit S. Thomas, loco ab auctore nostro citato.

Sed ultra audiamus ipsum: « etenim si ambae opiniones in *eamdem* vergerent *partem*, utraque dici posset, etiam proprio sensu, licet inaequaliter ad certitudinem accedere. » — *Concedo* quidem, si jam sciverim in ea parte subesse veritatem, cujus tamen evidentem *demonstrationem* adhuc inquiram; sed si ignoraverim adhuc qua parte certo se teneat veritas, ipsa ejus apparentia quae in una parte major est, in opposita minor, adhuc tamen gravis, mihi fundamentum praebet *conjecturandi* disjunctim, tum in hac, tum in altera eam reapse latere, ideoque ambas partes, proprio sensu, licet inaequaliter ad certitudinem accedere. Propterea S. Thomas in textu citato penes Auctorem, in accessu ad certitudinem, dicit dari *gradus*, gradumque *minorem* significat et ipsum *accedere* ad certitudinem.

Sed cum in contrarias, pergit auctor, rapiantur partes, una nimirum affirmando, altera negando, necesse est ut uni tantum accessum, alteri vero recessum adscribamus. » — *Distinguo:* necesse est ut uni tantum accessum, alteri recessum, *disjunctim et indeterminate* adscribamus *concedo:* nam certe alterutra est falsa et altera vera. Sed quum, utra sit vera, utra falsa, hucusque ignoremus et quum uni prae altera nonnisi major probabilitas non vero evidens ratio militet, non possumus sine periculo erroris asserere uni parti prae altera subesse veritatem, aut etiam uni prae altera accessum potiusquam recessum adscribere.

« Atqui, prosequitur ipse, accessus profecto adscribendus est opinioni, quae oppositam suo motivorum pondere superat. » — *Distinguo:* exclusive et certo adscribendus est..... *nego suppositum:* nam supponitur nobis jam aliunde saltem notum esse in hac parte consistere veritatem, quod e contra supponimur adhuc ignorare. — Potiori jure licet non exclusivo, adscribendus est accessus ad veritatem certam, probabiliori, *transeat.*

« Ergo altera opinio proprie dicenda est a certitudine rece-

dere ac proinde illa sola stricte probabilis est quae magis ad certitudinem accedit. » — Sub data distinctione *nego* consequens et consequentiam. [1])

## PUNCTUM VIII.

***In art. III. — An S. Thom. et Aristoteles Auctori suffragentur.***

Tertium argumentum sub nn. 42. et 43. desumitur ex auctoritate.

Allegantur ab auctore S. Thomas, Aristoteles, Buffier, Bouvier, S. Alphonsus. Citatur et Baldinotti de quo tamen propter rationes jam allatas non curamus.

Quod itaque S. Thomam spectat, quamvis ex dictis satis constare possit eum paradoxali illi thesi repugnare nedum suffragari, ut ejus mentem tamen expressius declaremus, refert ex professo ostendisse qua ratione a sensu communi DD. ipse certissime non discrepet.

1° Itaque aperte DISTINGUIT Angelicus a parte rei motiva LEVIA quae solam inducunt suspicionem, a motivo GRAVI quod dignum est ut acceptetur, licet cum formidine: *2. 2. Q. 2. a. 1.* « quidam actus intellectus habent quidem cogitationem informem absque firma assensione... sive in unam partem magis declinent sed tententur aliquo *levi* signo, sicut accidit suspicanti, sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti. »

2° Distinguit etiam a parte rei motiva LEVIA quae solum inducunt suspicionem a MOTIVO FORMIDINIS quam opinando patimur: Nam de illis et de suspicione ex ipsis orta, dicit quod sunt materia rhetoricae et quod licet ad ipsa non totaliter declinetur mens, sicut declinatur opinando tamen *magis declinatur*

---

[1]) Cf. Cardenas. Crisis theol. bipartita disp. XV. n. 307. — S. Alph. dissert. a. 1749. pag. 20.

*quam ad opposita.* — Et quidem hoc dicit statim postquam explicaverat rationem opinionis quae cum suis motivis est materia Topicae, sive dialecticae: — At qui ita loquitur, certe intendit significare duplicem statum mentis diversum, ortum a motivis a parte rei diversis: nam de formidante nequit dici ipsius mentem *magis declinare in partem* quam formidat; — nec erat cur distingueretur formido a suspicione, si utraque a motivo levi oriri censeretur.

En Angelici verba: *Poster. analyt. l. 1. lect. 1.* « In processu rationis qui non est cum omnimoda certitudine, gradus aliquis invenitur secundum quod magis et minus ad perfectam certitudinem acceditur. Per hujusmodi enim processum, quandoque quidem etsi non fiat scientia, fit tamen fides vel opinio, vel probabilitas, propter probabilitatem propositionum ex quibus proceditur; quia ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius; et ad hoc ordinatur topica sive dialectica. Nam syllogismus dialecticus ex probabilibus est, de quo agit Aristoteles in libro Topicorum. Quandoque vero non fit complete fides vel opinio, sed suspicio quaedam quia non totaliter declinatur ad unam partem contradictionis, licet magis declinetur in hanc quam in aliam. Et ad hoc ordinatur rhetorica. »

3° Motivum grave Angelicus positive agnoscit etiam ex parte quam intellectus opinando, formidat.

Nam in casu quod intellectus opinetur, S. Thomas non dicit ipsum simpliciter inclinari in unam partem, nec ullatenus moveri altera vel tantum suspicari de altera; sed *comparative* dicit inclinari *magis ad unum quam alterum;* ideoque implicite significat aliqua ratione *inclinari ad utramque*, majori tamen inclinatione ad primam quam ad secundam. — Quod explicat, *in 3 Dist. 23. Q. 2. a. 2. q. 1.* «... *quia semper remanet motus ad contrarium:* accipit enim (intellectus) unam partem cum formidine alterius... » Et ibidem paulo infra: « opinans habet *cogitationem* sine assensu perfecto; sed habet aliquid assensus in quantum adhaeret uni magis quam alii. » — Et in 1. de Anim. lect. 1.

« Opinio est de uno ad duo, est enim de principiis ad conclusionem cum formidine alterius et sic sunt ibi tria, principium et duae conclusiones, una concluса et alia formidata. » Revera clarius innui gravitatem motivi a quo formidatur, difficile poterat. — Tandem de Verit. Q. 14. a. 1. de intellectu opinante dicit quod « accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita. ».

Igitur juxta S. Thomam, haec aliqualis inclinatio ad partem contrariam ei quam opinando intellectus accipit, est *motus* in eam, est motus *cogitantis*, est *formido* ab ea, *dubium* de ea.

Atqui : quamvis motus cogitationis habeatur etiam de motivo levi inducente solam suspicionem, (ut aperte significat etiam Angel. in summa th. loc. cit.) tamen formido et dubium positivum de quo ipse loquitur in hoc textu, non habentur juxta ipsum nisi de motivo gravi. Ergo.

Probatur *a*) quoad formidinem: — formido formaliter spectata est passio appetitus ex apprehensione mali imminentis orta; unde in intellectu est causaliter seu *effective*, quia in intellectu per opinionem adhaerente alicui parti contradictionis, est cognitio de periculo errandi (Cf. Remer, Logic. maj. n. 62.)

Iam vero motivum leve, quamvis impediat evidentiam propriе dictam contrarii, ideoque totalis assensus determinationem, non significat tamen malum erroris esse *imminens* ; nec vir prudens formidat a levibus, etiamsi de iis cogitet. Ergo.

Probatur *b*) quoad dubium. — Primo quidem istud dubium re nascens, non est dubitatio ex defectu *motivi*, ut per se patet; de defectu quippe motivi, non datur formido; sed dubitatio illa est de qua Angelicus paulo ante dixerat eam induci ex *aequalitate* rationum.

Atqui ex hypothesi, rationes utrinque *gradu* sunt inaequales. Ergo nihil remanet nisi ut sint aequales in *ratione formali communi* utrique parti, *solidae probabilitatis*, praecisione facta a majori minorive gradu.

4) In loco supra citato ex *Post. Analyt. l. 1., lect. 1.* S. Thomas distinguens gradus quibus acceditur ad certitudinem, com-

memorat in eadem linea cum opinione, ipsique opponit sicut fidem, ita et *probabilitatem*. Intelligit ergo probabilitatem aliam a motivo *probabiliori* quod, juxta ejus descriptionem saepe relatam, opinando acceptamus. — Rursus non intelligit motivum *leve* inducens suspicionem, quia de hoc immediate postea expressum sermonem facit. Ergo nihil remanet nisi quod intelligat probabilitatem solidam et gravem praecisione facta a gradu probabiliori : quam probabilitatem minorem affirmando intellectus, poterit quandoque constituere praemissam in syllogismo dialectico, cujus conclusio erit probabilis et ipsa.

Quibus itaque perpensis, nisi vim velimus Angelici verbis inferre, mens ejus videtur omnino haec esse, ut etiam parti *minus probabili*, in concursu probabilioris cui opinando adhaeremus, rationem tribuat *proprie dictae probabilitatis* quae est ut relative etiam spectata, ex se capax sit movendi virum prudentem. — Dico parti *minus probabili* quia non semel jam dixi et demonstravi quid sentiat ipse de aeque probabili.

Verum quidem est quod propositionem quam opinando acceptat intellectus, Angelicus Doctor plerumque non curat vocare *probabiliorem*, sed simpliciter vocat probabilem, v. g. in illa *l. 1. lect. 1. Post. Anal.* superius citata : « syllogimus dialecticus ex probabilibus est. » Porro potest agi hic etiam de probabilioribus.

Atvero in istis locis opinio, non praedicatur sensu *exclusivo* probabilis sed sensu *praecisivo* a maiori minorive gradu, ad significandum gravem in communi probabilitatem. Hoc porro exinde contigit quod, quum illa aetate nemo paradoxum quod in praesenti thesi confutamus, excogitasset, nulla necessitas aderat, polemice et pressius distinguendi sensum exclusivum a praecisivo quem omnes, naturali logica suadente, in illa loquendi ratione intelligebant. Coeteroqui quando opportuna se obtulit occasio, ipsemet Angelicus Doctor non semel in quaestionibus controversis, inter relatas dissentientium doctorum opiniones, unam quam coeteris praefert, *probabiliorem* appellat, dum e contra in aliis apud scholas suo tempore dispu-

tatis, saepe unam sententiam, coeteris confutatis, dicit esse veram, esse tenendam, etc. Quo loquendi discrimine ostendit ex una parte se opiniones *probabiliori* oppositas habere ut graviter et satis probabiles; cum vero in oppositis sententiis fundamentum non invenit nisi *leve*, eam quam amplectitur *noluisse vocare probabiliorem* tantum: unde manifestum fit probabilioritatem apud ipsum non aequivalere morali certitudini, late sumptae, ut apud auctorem nostrum (n. 45) jam innuitur. Haec quidem de modo loquendi S. Thomae in speculativis et necessariis.

In quaestionibus vero facti et in contingentibus liberis, quandoquidem saepius omnimoda certitudo haberi non potest, id quod est probabilius facit probabilem certitudinem; nempe sufficit, ut ait, S. Th. *2. 2. Q. 70. a 2.*, probabilis certitudo quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.

Unde in istis Angel. vocat *probabile*, id quod habet hanc probabilem certitudinem. Exemplum sane hujus acceptionis vocabuli « probabile », statim sequitur eodem loco: « est autem *probabile*, quod magis veritatem contineat dictum multorum quam dictum unius. » — Hoc porro principium est fundatum in hac lege morali quod eo difficilius conveniunt in mentiendum, quo plures sunt qui idem asserunt; istud autem non est in omni casu infallibiliter verum, sed tantum in pluribus casibus, at in paucioribus deficit.

Atvero asserere omnia probabiliora esse probabilia (tantum reapse valet ille modus loquendi S. Thomae), non aequivalet alteri: omnia et sola probabilia esse omnia et sola probabibiliora, qualis est thesis auctoris. Sed, quandoquidem praedicatum propositionis universalis affirmativae est particulare, conversio legitima propositionis S. Thomae, quae veritatem habet, est: *aliqua* probabilia sunt omnia probabiliora.

Haec autem locum relinquit aliis probabilibus, quae sint minus probabilia vel aeque probabilia ac opposita eorum.

Idcirco ex illo modo loquendi S. Thomae *nihil* pro sua thesi

concludere auctor noster potest. Sed dicendum potius videtur hanc *probabilis* acceptionem, pro moraliter certo, impropriam esse, et ab Angelico ideo fuisse adhibitam ut apertius excluderetur omnimoda certitudo, et denotaretur certitudo latissimo sensu, ea parte expressa, quae ab ista deficit. Haec sufficiant de auctoritate S. Thomae.

Alter ab auctore allegatus est Aristoteles: duae afferuntur ejus definitiones: *Topic. l. 1. c. 1.* — « Probabile est quod probatur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, hisque vel omnibus vel plurimis, vel maxime notis et ilustribus. » — Rhetor. ad Theodectem. l. 1. c. 2. « probabile est quod fere semper solet fieri. » — At eadem valet hic animadversio quam nunc fecimus de eodem modo loquendi S. Thomae. Loquitur sane in istis textibus Philosophus de iis quae utiliter adhiberi possunt ad persuadendum, circa materiam Topicae et Rhetoricae, quae sunt de contingentibus: dicitque ex iis quae ut plurimum contingunt, legitime concludi in ista materia, ideoque ea ipsa, *ad hunc finem* vocari et esse probabilia. — Sed absonum esset exinde concludere non posse proprio sensu probabile dici, quod minus vel aeque ac oppositum, probabile est; nam ab hac quaestione *praescindit Aristoteles*, et determinare tantum vult materiam dialecticae et rhetoricae in oppositione ad materiam quae *demonstrari* potest ex praemissis *veris* et *primis* vel ex praemissis quae sint *probatae* per *vera* et *prima*. Unde probabile in istis duobus locis definit potius ex oppositione quam habet ad evidentiam quae strictam parit certitudinem: et in ista *probabilis* latitudine, indicat maximum gradum qui possit attingi: quippe ad persuadendum, *maximam* probabilitatem motivis nostris inesse volumus.

Ad mentem ejus cognoscendam circa proprie dictam probabilitatem eruditus Auctor noster etiam adire potuisset lib. II de anima, c. 20. n. 7. ubi Philosophus scripsit: « Quod namque recte percipit, id est prudentia et scientia atque opinio vera; at quod non recte, id est nimirum his dictis contrarium. » Heic contradistinguens opinionem a scientia et prudentia quibus in-

telligimus cum certitudine stricta (in scientia) et cum *certitudine probabili* (in prudentia), satis innuit opinionem proprie dictam non coincidere cum certitudine ista probabili, sed esse potius assensum inferioris firmitatis qui idcirco non excludit prudentem oppositi formidinem, dum illa eam excludit saltem ex motivo certe gravi. Atque hoc modo intellecta opinio subjectiva relationem habet ad probabilitatem objectivam *adaequate* spectatam in motivis *utriusque* partis contradictionis: cum, prout dicit mentis *assensum*, respondeat motivis partis probabilioris, prout vero dicit *prudentem formidinem* in mente persistentem, respondeat gravibus motivis partis minus probabilis. — Inde ex verbis illis Aristotelis de opinione, possumus legitime deducere quid senserit ipse de probabilitate objectiva atque logice devenimus ad notionem illam motivi *gravis sed fallibilis* quam communissime tradunt, juxta ea quae supra explicavimus. — Caeteroqui Silvester Maurus, egregius ille Philosophi interpres ita etiam hunc textum intellexit et perspicua brevitate exposuit dicens: « Recte igitur intelligimus tum scientia per quam certo judicamus de speculabilibus, tum prudentia per quam certo judicamus de agibilibus, tum opinione per quam probabiliter judicamus cum formidine oppositi; tribus contrariis intellectionibus intelligimus non recte. » Multi alii textus Philosophi afferri possent, ex quibus mens ejus in hac re clare manifestaretur. Qui ampliora cupit, adeat Martin. de Esparza in Append. art. 89-102. ubi egregie hanc quaestionem agitat.

## PUNCTUM IX.

***In art. III. — Quid senserit Claudius Buffier de probabilitate.***

3), Claudium Buffier appellat auctor pro thesi sua: « La vérité est quelque chose de si important pour l' homme qu' il doit toujours chercher des moyens surs pour y arriver, et quand il ne le peut, il doit s' en dédommager en s' attachant à ce qui

en approche le plus, qui est en ce qu'on appelle *vraisemblable.* » (Traité des premières vérités c. 21. n. 156.).

In hoc primo testimonio, sermonem facit de inquisitione veritatis, ideoque voluntati normam tradit recte dirigendi mentem in objectivam veritatem inquirendam. Significant ergo ista verba, quod mens, quando de ipsa *rei* veritate certitudinem consequi non potest, debet consistere in judicio eliciendo de *probabilitate* rei, conforme gravitati motivorum, prout ista ei se manifestant: unde si ex una parte agnoscat praeponderare motiva, non potest judicare motiva praeponderare ex altera. Hoc profecto jam concessimus ab initio (p. 10.). Sed hujusmodi judicium de ipsa probabilitate, respondens motivis prout apparent, non est assensus exclusivus motivis unius partis, sed aequivalet duplici judicio, quorum utrumque respective respondet gradui agnito gravitatis motivorum utriusque partis. Imo si velimus etiam de *ipsa re opinari*, rationabile omnino erit imperare opinionem conformem parti probabiliori, sed non sine altera conclusione *formidata*, respondente scilicet motivis partis minus probabilis. — Buffier itaque nihil dicit istis verbis, quod jam non audiverimus a S. Thoma.

Si autem eius verba, intelligenda sint de conformitate actionis cum norma agendi, sicuti capitis titulo innui videretur [1]); tunc sensus erit: a) nobis agendum semper esse secundum conscientiam practice certam de honestate actionis. — Non dicitur tamen hic a Buffier conscientiam subjective certam efformari posse tantummodo *directe:* hoc enim esset falsum, cum edoceamur a S. Alphonso ipso, principia *reflexa* eo etiam conducere (th. mor. lib. 1. n. 57. 69.).

b.) Quando locus non invenitur consequendi certitudinem nec directae nec reflexae conscientiae, tutius esse nobis eligendum. Atvero haec quae sunt asserta ab omni schola catholica, nondum confirmant thesim auctoris, probabilitatem objectivam

---

[1]) Titulus est hujusmodi: Des régles et des espèces de vraisemblable, qui suppléent aux premières vérités dans la conduite de la vie.

proprie dictam esse tantum ex parte probabiliori contradictionis.

Sed sequentia audiamus ex eodem descripta; ibid. n. 165. « Au reste, puisque l'usage, dans les occasiõns mêmes où il se trouve de côté et d'autre des raisons de juger, autorise le mot de *vraisemblable*, nous consentirons à le voir employer; pourvu qu'on se sonvienne que le *vraisemblabe*, en ce sens-là ressemble autant au mensonge qu'à la vérité. Cependant j'aimerais mieux l'appeler par cet endroit, *douteux*, que *vraisemblable* ou *probable* ».

Hucusque transcripsit et vertit auctor noster; Buffier vero ita prosequitur; « Mais le langage ordinaire ne se réformera pas sur ma réflexion ni sur les précisions de la métaphysique. » Quibus confitetur suam animadversionem contraire modo communi loquendi. Ideo non videmus qua ratione auctor noster n. 44 scribere potuerit: « ex vulgari modo loquendi, non secus atque Aristoteles, assertum nostrum deduxit laudatus Buffier S. I. » De hoc tamen infra; nunc sistamus in citato textu examinando. Advertimus itaque 1) in casu quo utrinque habeantur rationes ad judicandum, ex hypothesi nos adhuc latere qua contradictionis parte se teneat veritas.

2) de *utraque* parte dici reapse posse, *veritatem* in ea *apparere*, sicut de *utraque* dici reapse etiam potest propter apparentes rationes quae militant in oppositum, *mendacium* in ea *apparere*.

3) non nisi disjunctim et indeterminate posse asseri in alterutra parte subesse mendacium, subesse veritatem; quandoquidem scimus ambas contradictorias non posse simul esse veras; nescimus tamen utra determinate sit reapse vera.

Porro Propositio Buffier: « Le vraisemblable en ce sens là, ressemble autant au mensonge qu' à la vérité. » ista tria significat et nihil aliud.

Verisimilitudinis igitur ratio propria hoc ipso quod non excludit formidinem falsitatis prudentem, non excludit apparentiam mendacii sive falsi; donec ista non eo usque creverit ut in al-

tera parte levis tantum veri apparentia supersit. Unde cum gradus non mutet speciem neque definitionem, quocumque gradu intra illos limites, augeatur vel minuatur apparentia falsi, verisimilitudo alterius partis semper erit propria, poteritque semper judicio affirmari. Haec sane sensui communi congruunt. Si autem sermo sit de adhaesione ipsi rei praestanda, aequalitas vel diversitas gradus locum dabit vel dubitationi vel opinioni: idcirco magis proprie diceremur opinari *probabiliora* quam probabilia. Ideo Buffier ibid. n. 161. «... l'esprit ne se portant nécessairement qu'au vrai, dès qu'il ne l'aperçoit point dans tout son jour, il peut suspendre sa détermination; mais supposé qu'il ne la suspende pas, il ne saurait pencher que du côté de la plus grande apparence du vrai. »

Sed inde non sequitur sola probabiliora proprie loquendo esse *objective* probabilia. Nec Buffier censendus est dixisse sensu exclusivo:

J'aimerais mieux l'appeler par cet endroit *douteux* que *vraisemblable* ou *probable*: » cum ipse (n. 158 162) fateatur in objecto verisimili quosdam respectus apparere veritati congruentes, dum alii apparent ab ea discrepantes.

Caeteroquin distinctionem inter assensum ipsi rei per opinionem et ipsius probabilitatis affirmationem, idem Buffier paulo supra tradiderat: « n. 162. — L'esprit ne pourrait-il pas se déterminer pour une opinion vraisemblable en ne la regardant que par les endroits qui approcheraient du vrai, quoiqu'elle en eût beaucoup davantage qui approcheraient du faux, auxquels on ne ferait point actuellement attention? Tel est le mobile sur lequel roule la fameuse question de l'opinion probable dont tout le monde parle et que peu de gens entendent bien. — Je réponds, que l'esprit pourrait alors se déterminer pour les endroits qui approchent du vrai dans cette opinion, mais non pour cette opinion même.» Nempe posset judicando affirmare ipsam probabilitatem non rem juxta partem minus probabilem. — Jam vero sufficit ut prudenter possit affirmari ipsa probabilitas partis minus pro-

babilis, ut inde ope principii reflexi conscientia efformetur subjective certa.

Ex Buffier itaque nihil contra nos logice concludi potest, nec thesi quam impugnamus, expresse favet, quidquid prima fronte dixisse videatur.

4) loco succedit Bouvier. Qui verbis ab auctore relatis, immediate subnectit haec alia: « Probabilitas igitur recte definitur: ratio intensius vel remissius nos impellens ad judicandum veram esse propositionem quae non demonstratur. » Quae definitio erat profecto citanda. Sed opportune eam omisit egregius auctor, quippe qui in sua thesi non inseruerat illud *remissius*, quo Bouvier sua definitione etiam minus probabile comprehendit. Equidem haec pro Bouvier est definitio distincta proprie dictae probabilitatis; nam adjungit: « in usitato tamen loquendi modo, id probabile dicitur quod gravi sed fallibili nititur fundamento. » Quo eamdem sed confusam habemus ipsius probabilitatis notionem. Et philosophus, dum definit, non sensum rei latum, sed proprium et strictum exhibere solet.

## PUNCTUM X.

***In Art. III. -- An S. Alph. th. mor. l. 1. n. 71. Auctori faveat.***

5) loco veniamus ad S. Alphonsum, cujus auctoritate, ait auctor, « assertum ipsius certissime communitur, cum S. Doctor aequiprobabilitati deneget proprie dictam probabilitatis rationem formalem, eamque essentialiter ad dubitationem stricte et positive sumptam reducat. »

R 1). Stricte loquendo *nego* assertum ejusque suppositum, S. Alphonsum nempe probabilitatem *objectivam* proprie dictam definire formaliter ex respectu ejus ad *actualem* opinionem: nam eam definit ex *intrinseca capacitate* quae ei competit, ut moveat virum prudentem; quod vir prudens, reapse non eam acceptet, hoc aliunde provenit, juxta ipsum, scilicet non ex *defectu* probabilitatis proprie dictae in objecto, sed ex *aequalitate*

ipsius utrinque persistente. Quam sententiam tenet S. Doctor, Divo Thomae assentiens, quem constanter citat. Nec intelligenda est vox opinio quam adhibet in definitione, sensu subjectivo, sed sensu objectivo, pro causa *objectiva* ex se capaci movendi, ut satis evidenter constat legenti totum contextum. [1])

---

[1]) Praesumptio inde maxima oritur contra thesim R. P. de C., quod S. Alphonsus nullibi tradiderit hanc auctoris nostri definitionem probabilitatis proprie dictae nequidèm ubi maxime referebat eam tradidisse ne ansam adversariis praeberet subsumendi responsionibus quibus eorum difficultates dissolvebat. v. g. th. mor. l. 1. n. 76. objecerant sub voce *scientiae*, quando a S. Thoma docetur scientiam legis esse necessariam ut ipsa obliget, non intelligi cognitionem certam sed tantum probabilem sufficere. — « Respondeo, scribit S. D., et dico primo: quod sub nomine scientiae intelligatur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio etc. » — Et n. 65 postquam docuerat ex S. Th. nullum ligari per praeceptum, nisi mediante scientia hujus praecepti, subjungit; « ab omnibus philosophis cum D. Thoma docetur distinctio inter opinionem et scientiam: opinio denotat cognitionem dubiam aut probabilem alicujus veritatis: scientia vero cognitionem certam ac patentem significat. »

Porro si *sensu proprio et rigoroso probabilitas*, ut tenet auctor, etiam juxta S. Alphonsum, consisteret in opinione probabiliori, imo certe probabiliori, ideoque moraliter lato sensu certa (recole n. 45 auctoris nostri): profecto nomine notitiae vel scentiae deberet etiam intelligi cognitio probabilis proprie dicta, eaque significatio exulare dici non posset a vocabulariis, cum esset significatio *maxime propria* vocabuli probabilitas; vel saltem haec S. Doctoris arguendi ratio ex proprietate verborum Angelici, esset valde inepta.

Imo alibi, aperte docet tunc *tantum* verbum *probabiliter* significare persuasionem moraliter certam, quando se tenet *ex una sola parte* (th. mor. *l. III. n. 562. § secunda sententia vero.*) Quod R. auctor noster explicat (n. 52) de opinione unice probabili, cui nempe *non apparent rationes oppositae nisi fortasse admodum leves et spernendae.* — Igitur pro S. Alphonso, non est haec probabilitas *proprie dicta*, sed minus proprie dicta vel potius est probabilitas proprie dicta, spectata tamen sub respectu alicujus specialis circumstantiae unde fit quod pariat as-

R. 2.) *Distinguo* auctoris assertum: aequiprobabilitati objectivae denegat intrinsecam capacitatem utrinque persistentem, ut moveat virum prudentem ad judicandum grave rationis pondus utrinque adesse, quae juxta ipsum et juxta omnes qui logica utuntur, est formalis ratio probabilitatis - *nego.*

Denegat aequiprobabilitati objectivae, vim movendi virum prudentem ad assentiendum *rei ipsi* juxta alterutram partem, *subdistinguo*: ex defectu, vel mutua elisione ipsorum motivorum in se, *nego*; - ex *aequalitate* gravitatis persistentis utrinque, istorum motivorum, *concedo.*

Unde ad ea quae adduntur : « aequiprobabilitatem essentialiter ad dubitationem stricte et positive sumptam reducit: » *distinguo:* ad dubitationem, prout dicit *statum mentis*, *subdist.* reducit *formaliter*, *nego*; *effective, transeat.* — Ad dubitationem prout significare potest *causam objectivam* status dubitationis in mente: *subdistingo:* reducit, supponens eam constitui formaliter ex *defectu* vel mutua elisione probabilitatis proprie dictae, in utraque parte, *nego;* supponens eam constitui formaliter ex *aequalitate* persistentis probabilitatis, *concedo.* Porro, has distinctiones, quae caeteroquin ex supra explicatis, in suo proprio sensu intelligi possunt, ut appareat etiam a S. Alphonso fuisse in locis ab auctore allegatis intentas, sufficit ea ipsa loca paulo diligentius perpendere.

Numerum itaque 71. l. 1, theol. moralis adeunti sequentia fiunt manifesta:

---

sensum firmiorem quam aliunde posset, nisi deesset nempe ex parte opposita causa conclusionis formidatae (ut audivimus a S. Thoma); quapropter relate ad assensum aequivalet certitudini objectivae, morali latae. Porro etiamsi concedatur auctori (quod nullatenus potest concedi, ut vidimus) S. Doctorem definivisse probabilitatem ex opinione, in oppositione ad dubitationem et certitudinem, esset contradictorium deinde dicere *proprie dictam* probabilitatem haberi tantum quando opinio vertitur in certitudinem (etiam latam tantum.) Melius certe noverat logicam S. Doctor Alphonsus.

1.) S. Alphonsum *restringere* ibi controversiam ad quaestionem utrum in casu duarum opinionum aeque probabilium, lex probabiliter nota sit sufficienter promulgata. Ex professo enim dicit antequam ratiocinium suum concludat: « Itaque respectu ad nostram controversiam in qua de duabus opinionibus aeque probabilibus agitur, dici non valet probabilem legis notitiam sufficere ad eam promulgatam efficiendam. »

2). S. Alphonsus nn. antecedentibus statuerat corollarium: lex dubia non obligat: contra quod sic inducit P. Patuzzi objicientem:

Lex probabiliter nota est sufficienter promulgata.

Atqui lex dubia est probabiter nota.

Ergo est sufficienter promulgata.

Respondet S. Alponsus: distinguo majorem: lex unice probabilis est sufficienter promulgata; *transeat.* — Lex cujus existentia est aeque probabilis ac ejus non existentia, est sufficienter promulgata, *nego majorem.*

Atqui quando lex est dubia est probabiliter nota: *contradistinguo* minorem: est unice probabilis, *nego* minorem; — est ejus existentia aeque probabilis ec ejus non existentia, *concedo* minorem.

Sub data distinctione nego conseq. et consequentiam.

Firmat autem suam distinctionem sequenti probatione:

Quando legis existentia est aeque probabilis ac ejus non existentia, locus non datur *opinioni*, i, e. assensui opinativo circa legis existentiam, sed soli dubitationi, i. e. suspensioni assensus circa legis existentiam vel non existentiam.

Atqui ubi locus non datur opinioni circa legis existentiam, haec non est sufficienter promulgata, sed promulgatur tantummodo dubium objectivum de legis existentia. Ergo quando legis existentia est aeque probabilis ac ejus non existentia, lex non est sufficienter promulgata.

Majorem verò hujus argumenti probat S. Doctor, 1) verbis expressis S. Th. in Q. D. de Verit. Q. 14. a. 1. a nobis saepe relatis; — 2) testimonio P. Berti, de aequilibrio staterae cui ae-

qualia pondera imponuntur; — 3) imo, ipsius P. Patuzzi, et communiter omnium Probabilistarum et probabilioristarum.

Ad haec itaque reducuntur omnia quae dicuntur in isto n. a S. Alphonso.

Quibus positis adverto 1) consequentiam istorum argumentorum in eo niti, quod in casu dubii objectivi, mens nequit *opinari* pro legis existentia.

Atqui haec consequentia currit sive dicatur mens non posse opinari, ex *defectu* probabilitatis proprie dictae ut dicit auctor, ab initio n. 43, sive propter *aequalitatem* rationum probabilium subsistentium, qua posita, irrationabiliter mens adhaereret potius uni parti quam alteri, ut tenent probabilistae.

Ergo ex illa S. Alphonsi ratione arguendi, nihil exclusive concludi potest pro thesi auctoris.

2) Ipse S. Doctor agnovit suum argumentum valere etiam si teneatur sensus probabilistarum in hac re: firmat enim consequentiam communi eorum auctoritate.

3) Imo, quandoquidem appellat etiam ad auctoritatem probabilioristarum, vim facit in eo, in quo conveniunt cum probabilistis. Atqui conveniunt nec plus nec minus in hoc quod irrationabile est opinari pro lege, si aequalia sint pondera pro ea et contra eam. — Ex hoc autem nihil sequitur pro sententia auctoris. Rursus ergo.

4) Nequidem *ipsa illa verba* S. Alphonsi, ab auctore recitata, quidquam faciunt: nam S. D. statim explicat quo sensu dicat: in casu dubii objectivi, nullam posse *superesse probabilitatem*, subjungens alia, quibus ostendit se non spectare probabilitatem *in se*, sed *relate ad assensum moraliter certum* pro existentia legis potius quam non existentia; imo aperte dicit subsistere utrinque probabilitates, et ex aequalitate tantum earum effici ut sola mentis dubitatio resultet. Idem deinde repetit verbis P. Berti, quibus non dicitur, *non superesse probabilitatem*, sed *perinde esse ac si nulla* esset, scilicet relate ad effectum opinandi.

5) Tandem nisi S. Alph. tenuerit in dubio objectivo stricto,

rationem verae et propriae probabilitatis subsistere ex utraque parte, non vero in seipsa elidi, argumentum ejusmodi esset ineptum contra Patuzzi nec ipsius syllogismo responderet. Nam in eo casu satis erat simpliciter negare minorem Patuzzi. Itaque admittit potius fundamentum ejus hypothesis: legem scilicet stricte dubiam esse proprio sensu probabilem, sed negat *inde sequi esse sufficienter promulgatam*, quia, ait, ex aequalitate proprie dictae probabilitatis utrinque subsistentis, sequitur nos non posse opinari pro ea, sed tantum dubitare de ea; sicchè, scribit ipse, *(dell'uso moderato. Napoli 1765, c. 3. n 29.)* parlando della nostra controversia in cui trattasi di due opinioni egualmente probabili, non vale il dire che basta la notizia probabile della legge a renderla sufficientemente promulgata, perchè in tal caso non vi è notizia *sufficiente a render promulgata* la legge ma *solo sufficiente* a render promulgato un dubbio ossia una mera esitazione se vi è, o non vi è legge; giacchè quando le opinioni sono di ugual peso, avviene (come si è detto) che niuna di esse ha più peso. »

Idemque latine translatum legitur l. c. th. mor.

Negat itaque S. D. solum consequens et consequentiam argumenti Patuzzi in casu ae que probabilium. At vero inde non potest deduci ipsum tenuisse thesim Auctoris, nisi supponatur quod est in quaestione et undequaque jam ostensum est falsum, S. Doctorem definisse probabilitatem ex opinione atque ex oppositione cum dubio objectivo.

## PUNCTUM XI.

***In art. III. — Alii textus S. Alphonsi expenduntur.***

Exinde intelligitur quid sibi voluerit S. Doctor in *append.* opusculi ab Auctore heic etiam citato: *Dichiaraz. del sistema n. 20. 21.* Scribit enim ibi: « A chi poi dicesse, che nel concorso delle due opinioni probabili la legge, se non è certa-

mente promulgata, almeno è promulgata probabilmente, e perciò deve preferirsi l' opinione che sta per la legge; per prima si risponde che per questo *per ciò*, o sia per questa conseguenza non vi è ragione che la sostiene; perchè la retta ragione detta che dovendo essere certo l'obbligo che impone la legge, non basta che la promulgazione della legge sia probabile, ma siccome è certo l'obbligo, così anche deve essere certa la legge e certa la promulgazione della legge. Ma la seconda risposta più convincente si è, che quando l'opinione che sta per la libertà è di peso eguale a quella che sta per la legge, allora l'opinione per la legge neppure è probabile, ma solamente è dubbia, poichè, le due opinioni in tal caso non partoriscono probabilità ma solamente un mero dubbio, perchè allora l'una opinione toglie la forza all'altra di probabilità. »

Et paulo infra, revocato textu S. Thom. de venit Q. 14. a. 1. quem saepe explicavimus, subdit: «... quando le opinioni sono di peso uguale, benchè ciascuna di loro avrebbe forza di muovere l'intelletto a l'assenso, se l'una non si opponesse all'altra: nondimeno essendo esse direttamente opposte, niuna di loro ha più forza di tirar a se l'assenso, giacchè essendo le forze uguali, l'una elide l'altra: onde ambedue altro non pastoriscono che un mero dubbio.... Sicchè per concludere la controversia proposta, quando l'opinione che sta per la legge fosse più probabile, allora concedo che la legge è probabilmente promulgata; ma quando le due opinioni sono di peso uguale, allora l'opinione che sta per la legge, neppure è probabile, come abbiam veduto, di sopra; e se neppure l'opinione che sta per la legge è probabile come può dirsi che la legge sia probabilmente promulgata?... Allora appena è promulgato il dubbio, ma non promulgata la legge..... nel confiitto delle due opinioni..... non vi è alcuna probabilità (della promulgazione) ma solamente un mero dubbio. »

Haec quantumvis fusiora, integra voluimus referre, ne quidquam videremur dissimulasse, cum in isto loco S. Doctor magis quam in quocumque alio, aestimari primo aspectu possit

tradidisse doctrinam de elisione quam fortiter propugnat auctor noster tanquam validissimum fulcimentum thesis suae criticae et theoreticae.

In isto loco itaque eidem difficultati quam supra a Patutio propositam audivimus, S. D. duas adhibet responsiones: in prima transmittit antecedens, in conflictu scilicet duarum opinionum aeque probabilium, legem esse saltem probabiliter promulgatam; negat vero consequens et consequentiam, eam nempe certo obligare. Altera responsio quam magis convincentem dicit, fit negando illud antecedens: ratio autem negationis datur quia, ut sit probabiliter promulgata lex, opus est ut intellectus possit rationabiliter *opinari* legem esse promulgatam; atqui in conflictu aeque probabilium, intellectus non potest rationabiliter *opinari* legem esse promulgatam. Ergo. — Major est evidens; minor declaratione fit manifesta: sane in casu aequeprobabilium, rationabiliter non datur locus nisi dubitationi sive suspensioni assensus circa legis promulgationem: idque S. Doctor in sequentibus declarat dicens opiniones aequalis ponderis se invicem *elidere*, quoad nempe *assensum rationabiliter imperandum*, ut supra jam demonstravimus; non vero quoad propriam utriusque probabilitatem, quod sane involveret contradictionem, cum *mutua* hujusmodi clisio dari non possit, ut innuit heic ipsemet S. Doctor: « quando le opinioni son di peso uguale, benchè etc. » quibus verbis evidenter supponit *utramque* opinionem alteri contraposita, vim suam movendi *servare:* secus quomodo posset dici *impedire* quominus assensus oppositae imperetur? Idcirco asserenti hujusmodi opiniones *mutuo* se *elidere* distinctione respondendum: mutuo se elidunt, quatenus altera *impedit* quominus alteri assensus praebeatur, et vice versa; *concedo:* — mutuo se elidunt, quatenus probabilitas alterius destruit probabilitatem alterius, *nego:* Patet autem S. Doctorem illo sensu non hoc altero intellexisse heic elisionem, ex verbis additis: rationem enim quam dat, cur unaquaeque istarum opinionum vim amittat inclinandi mentem in assensum, est *vis aequalis* oppositae opinionis, idque

valet de utraque invicem: quando ergo dicit unam *elidere* alteram, adhibet verbum elidere in sensu *aequipondii* (contrappesare, contrebalancer) non in sensu eliminationis ipsius probabilitatis. — Idcirco subjungens: « quando l'opinione che sta per la legge fosse più probabile, allora concedo che la legge è probabilmente promulgata » evidenter significat non quidem solam *majorem* probabilitatem constituere *proprie dictam* probabilitatem, quemadmodum interpretatus est Auctor noster, sed tantummodo, in solo casu majoris pro lege probabilitatis, rationabiliter posse imperari assensum probabilem de legis existentia, quia tunc probabilitas quae forte militat contra legem, non facit aequipondium (non fa contrapeso uguale, ne contrebalance point,) ideoque non impedit quominus rationabiliter imperetur assensus legis existentiae, saltem cum formidine oppositi. — Idcirco etiam, dicens in principio et in fine « in conflictu aequalium, opinionem pro lege ne *probabilem* quidem esse, » negat hujus *probabilitatem, relate* ad *assensum* saltem formidatum, qui necessario debet posse rationabiliter imperari ut lex dicatur probabiliter promulgata; non vero hoc sensu quod *probabilitas illa in se destruatur.*

Confirmatur haec interpretatio, ex aliis S. Doctoris verbis, in dissert. italica ann. 1765 *cap. 5. n. 25, in fine :* « l'opinione veramente probabile è quella *sola*, che ha fondamenti intrinseci, ed estrinseci, egualmente o quasi egualmente validi che non ha la contraria per la legge, in modo che la legge apparisce certamente e strettamante dubia. »

Quamvis enim in hoc casu, ut paulo antea audivimus ab eo, « opinio pro lege ne quidem probabilis sit » tamen, heic asseritur *sola vere* probabilis; quae flagrans esset contradictio, nisi intelligeretur opinio pro lege ideo dici ne quidem probabilis quia, quantumvis *in se* non destruatur per probabilitatem oppositae, tamen *relate ad mentis assensum* remanet inefficax nec rationabiliter potest parere nisi dubium; atque ideo dici sola vere probabilis, quia 1) hanc suam intrinsecam movendi vim servat alteri contraposita ; 2) quia caret tam notabili et

certo probabilitatis excessu ut oppositam infra solidae probabilitatis limitem deprimere possit.

Coeteroquin, in hoc sensu verbis S. Doctoris vindicando, immorari diutius non indigemus, cum infra (n. 124, 125) egregius Auctor noster idipsum quod heic diximus, et ipse sponte fateatur: « Elisio concipi non debet per modum destructionis virium oppositarum etc. — Aequiprobabilistae..... arbitrantur opinionem oppositam (certe probabiliori) non equidem *in se*, sed in *subjecto* fieri improbabilem, ita ut quamvis objective remaneat *speculative* seu *improprie* probabilis (cf. n. 40. sqq.) subjective tamen ejusmodi esse practice desinat, utpote destituta vi movendi intellectum ad *prudentem* assensum. ».

Quae profecto valent etiam in casu aequiprobalium.

Habemus itaque P. de C. consentientem in nostram interpretationem loci quem ipse ex S. Alphonso pro sua thesi deprompsit.

Atqui si ita est, qua ratione, quaeso, poterit ex isto loco sequi S. Alphonsum censuisse probabilitatem proprie dictam (objectivam) exigere motivum relative gravius? Ad id enim communiendum auctoritas illius textus afferebatur. — eo quod, reponit Auctor, S. Alphonsus « *aequiprobabilitatem* essentialiter reducit ad dubitationem stricte et positive sumptam. » (P. d. C. n. 43.) — Atqui « quemadmodum opinio proprie status est mentis inter dubitationem et certitudinem medius, ita probabile aliquid est objective medium inter dubium et certum. » (n. 40). — Ergo S. Alphonsus id, objective et proprie probabile censet, quod medium est inter *aequiprobabile* et certum. — Medium autem istud habet motivum relative gravius. Ergo S. Alphonsus censet probabilitatem proprie dictam (objectivam) exigere motivum relative gravius.

Optime quidem, reponemus nos, curreret consequentia si omnes praemissae simpliciter concedi possent: at vero primo quidem minorem quae dicit « quemadmod. etc. » non S. Alphonsus concepit sed Auctor noster auctoritate nixus ad summum Baldinotti, jamque dissolvimus ipsam. Major deinde ex

qua fluit prima conclusio « Ergo S. Alph. id, objective etc.», vera est tantum, ut heic n. 43 concludit ipse Auctor, quatenus aequiprobabilitas *ex se* non est apta ad prudentem assensum sibi trahendum; quae ineptitudo ei provenit ratione *aequalitatis* motivorum utrinque subsistentium, neutiquam vero ratione *deficientiae* ipsorum motivorum.

Ergo consequentia totius argumenti potius quam recto tramite descendat ad ultimam conclusionem, duplici aequivocatione disperdita secus viam evanescit. Nam si in casu aequiprobabilium S. Alphonsus, auctore consentiente, censet probabilitatem objectivam utrinque subsistere, ipse in tantum thesi auctoris suffragatur in quantum forte censeat probabilitatem objectivam proprie dictam non dari nisi quae *reapse pariat* opinionem subjectivam, eamque definiverit in oppositione hinc ad *dubium objectivum*, inde ad motiva objectiva firma. Hoc autem jam ostendimus esse falsum: cum S. D. eam e contra definiat ex oppositione quam habet motivo *levi* et motivo *firmo*.

Totum idcirco aedificium argumenti desumpti sub n. 43. ex auctoritate S. Alphonsi nititur isto falso supposito, quo diruto, et ipsum illabitur in ruinam.

Auctor noster deinde n. 44. suam thesim *experientia* confirmat, juxta Buffier ex vulgari modo loquendi. Sed mirum est quod ipse Buffier et loco heic ab auctore allegato, in ipso principio n. 160; et n. 165, fateatur vulgarem modum loquendi non respondere ipsius animadversioni. Cocteroquin argumentum desumptum ex hac animadversione Bufferii; nullatenus confirmat thesim auctoris: cum Buffier in isto capite spectet eam praecipue *verisimilis* speciem, qua suppletur evidentiae in vita practica, ut constat ipso capitis titulo: jamvero, sub hoc speciali respectu *probabile* utique est id quod parit moralem quandam et latissimam certitudinem, sive quod in *pluribus* contingere solet. Sed haec restricta acceptio non propria sed impropria potius est probabilitatis notio, ut jam advertimus loquentes de illa Aristotelis definitione. Allegatio idcirco non est ad rem.

## PUNCTUM XII.

***In art. III. — Epilogus. — Verus sensus alterius loci S. Alph. determinatur.***

Sequitur sub n. 45. scholion in quo Auctor ex sua thesi deducit 1) probabilitatem sensu proprio et rigoroso, in sua ratione formali et distinctiva, exsurgere ex motivo fallibili, absolute gravi, *relative graviori;* quam, ait, solent nuncupare certitudinem moralem latam.

Quam assertionem, ut brevi epilogo totum articulum recolamus, possumus sequentibus distinctionibus illustrare:

Probabilitas OBJECTIVA IN SE SPECTATA, sensu proprio et rigoroso, in sua ratione formali et distinctiva exsurgit ex motivo fallibili, absolute gravi et relative graviori: *subdistinguo:* in sua ratione formali et distinctiva *qua distinguitur ab ignoto* a levi apparentia veri, et ab evidentia sive a motivo firmo, exsurgit ex motivo fallibili, absolute gravi, *relative graviori, nego.*

In sua ratione formali et distinctiva qua distinguitur a *dubio objectivo, utrinque positivo,* exsurgit ex motivo fallibili, absolute gravi, relative graviori, *nego suppositum.*

Supponitur scilicet hanc distinctionem ita esse specificam ut ratio proprie dictae probabilitatis objectivae, non inveniatur etiam in dubio objectivo proprie dicto. Hoc sane est quoddam membrum subdivisionis ipsius probabilitatis objectivae proprie dictae.

Probabilitas OBJECTIVA SPECTATA RELATE AD STATUM OPINIONIS SUBJECTIVUM QUEM REIPSA INDUCIT, exsurgit ex motivo absolute gravi et relative graviori, *subdistinguo:*

Et haec est philosophice et rigorose loquendo, proprie et *exclusive* dicta probabilitas objectiva, in suo conceptu formali et *specifico, nego;*

Et haec est improprie dicta sive minus proprie dicta, probabilitas objectiva, *concedo.*

Porro haec ultima solet nuncupari *certitudo moralis lata: distinguo:* in *contingentibus liberis*, circa quae, plerumque, sermo et actio humana versatur; *concedo:* juxta Aristotelem et S. Thomam.

Ubi agatur de *obligatione legis*, *subdistinguo:*

Si motivum sit adeo gravius ut oppositum decidat in leve, *concedo.* Si non sit adeo gravius; *nego,* juxta S. Thomam.

De hac autem ultima distinctione et subdistinctione, infra.

Quibus itaque statutis distinctionibus, constat auctorem nostrum definitione sua probabilitatis objectivae, exhibuisse notionem ejus usu quidem vulgi satis receptam, non tamen rigorose specificam, quae e contra est praecise ea ipsa quam in suo scholio sub n. 2. proponit tanquam *latiori sensu* acceptam: « QUAE NON EXPOSTULAT NISI FALLIBILE MOTIVUM ABSOLUTE ET RELATIVE GRAVE. »

Atque, quod mirabilius est, hanc suam assertionem, probabilitatem scilicet ita acceptam, non dici nisi latiori sensu, aptare voluit textui, quo S. Alphonsus jam ex solo modo loquendi et ex adverbio adjecto, satis clare manifestat se loqui non de probabilitate, latiori aliquo sensu, sed proprie et rigorose dicta: Ut melius percipere lector possit hoc portentum, integrum textum S. Doctoris ex originali editione transcribam:

In opuscolo itaque: dell'uso moderato dell'opinione probabile. Napoli 1765, in cap. v. n. 25. ita scribit: « Il voler obbligare tutti ad astenersi in pratica di seguire ogni opinione che non è moralmente certa a favore della libertà, secondo oggidì vogliono obbligarli questi autori moderni.... ciò stimo non potersi pretendere in buona coscienza, se prima non me lo dichiara la Chiesa..... Dicono (i nostri probabilioristi moderni) che i probabilisti ammettono per opinioni probabili qualunque probabilità elle abbiano, viene a dire, quantunque sieno certamente meno razionali, quantunque sieno solo probabilmente probabili, quantunque quelle siano difese da due o tre autori, ed anche da uno solo contro la comune degli altri. Ma risponderebbe a ciò il P. Segneri che quello è un voler alterare eccessi-

vamente le cose, per farsi dar ragione giustamente o ingiustamente. Direbbe che l'opinione di quella sorta sarebbe veramente un mostro abominevole; ma non è così, l'opinione veramente probabile è quella sola che ha fondamenti intrinseci egualmente o quasi egualmente validi che non ha la contraria per la legge, in modo che la legge apparisce certamente e strettamente dubbia. »

S. Alphonsus igitur in isto loco intendit determinare contra calumnias adversantium probabilioristarum, gradum praecisum quo *formaliter* constituitur motivum legi oppositum, *tale* ut possit quis sibi efformare conscientiam practice certam ope principii reflexi.

Atqui gradus iste praecisus quo formaliter constituitur motivum legi oppositum, tale ut possit quis sibi efformare conscientiam practice certam ope illius principii reflexi, est, probabilistis et probabilioristis consentientibus, ille qui praecise constituit probabilitatem *proprie dictam.*

Ergo S. Alphonsus in isto loco intendit determinare probabilitatem proprie dictam.

Major, attente legenti textum transcriptum, fit evidens.

Minor probatur sic:

Probabilioristae definiunt probabilitatem proprie dictam eodem modo ac sensu ac auctor in thesi sua, (cf. Patuzzi. Eth. christ. tract. II. cap. IV. nn. I. II. III. — consectar. I.): pro ipsis scilicet invenitur in sententia probabiliori. — Deinde statuunt: sententiam probabiliorem morali certitudine gaudere [1]) (Patuzzi, ibid. V. — consect. I.). — Tandem concedunt libertatem agendi contra legem, quoties tantum, momenta contra legis obligationem, moralem afferant certitudinem: negant, si momenta pro et contra sint aequalia aut ferme aequalia, (Patuzzi, ibid. IV.).

---

[1]) Cf. S. Alph. dissert: a. 1749. pag. 13. « Probabilioristae confundunt probabilitatem cum certitudine morali. » Hoc notatum volumus ut testimonium historicum.

Igitur admittunt in casu *probabilitatis proprie dictae* contra legem, libertatem ab ejus obligatione:

Idem hoc ultimum concedunt probabilistae: at in praemissis a probabilioristis dissentiunt, statuentes, ut notissimum omnibus est, probabilitatem proprie dictam consistere in illa notione quam auctor noster dicit esse lato sensu acceptam.

Quibus praemissis sic arguo:

Gradus iste praecisus quo formaliter constituitur motivum legi oppositum, *tale* ut possit quis sibi efformare conscientiam practice certam, est cardo fundamentalis controversiae probabilioristas inter et probabilistas.

Atqui cardo fundamentalis in ista controversia est definitio probabilitatis proprie dictae.

Ergo gradus ille praecisus .... determinatur per definitionem probabilitatis proprie dictae.

Major et minor patent ex praemissis.

Porro S. Alphonsus in illo gradu praeciso determinando, citato textu reprobat non solum calumnias probabilioristarum circa notionem a probabilistis traditam, sed insuper ipsam probabilioristarum notionem; ut patet 1) ex principio textus citati; 2) ex notione quam ipse proponit ut solam genuinam opinionis (objective spectatae) vere probabilis quae perfecte coincidit cum dubio objectivo, (ut expresse docet in th. m. *l. 1. n. 20.* et H. A. *tr. 1. n. 12.*); ideoque totaliter recedit a definitione auctoris in sua thesi et eo ipso divellit fundamentum primi ejus argumenti.

« Probabilitas illa, subjungit auctor in fine n. 45., latiori sensu accepta saepissime usu venit, non solum apud Probabilistas, sed etiam apud Aequiprobabilistas. S. Alphonsus enim non *omnem* ejusmodi probabilitatis usum rejecit sed tantummodo sapienter *moderavit*, ut infra videbimus. »

Infra utique apparebit istud moderamen potius quam ipsi communi probabilismo, *modo* solum probabilismum proponendi, fuisse a S. Alphonso allatum, quo facilius se expediret a calumniis de laxismo quibus a probabilioristis inficiebatur, et

tutius, ut arbitrabatur, a vero hujus excessus periculo in usu principiorum reflexorum viam suam remotissime etiam communiret. — E contra si notionem ab auctore propugnatam S. Alphonsus notioni probabilitatis proprie dictae a probabilistis propositae substituere voluisset, *ipsum systema* substantialiter mutasset in probabiliorismum.

Quocirca quando serius se aliquo sensu professus est verum probabilioristam, hoc non ideo dixit quia existimaret *solam* opinionem certe probabiliorem, esse sensu proprio probabilem, ut auctor noster; sed quia existimavit opinionem *de facto* certe et notabiliter probabiliorem, de facto numquam consistere cum opposita cui grave subsit fundamentum probabilitatis, ideoque fere coincidere cum probabilissima sive moraliter certa. Unde *servato systemate* probabilismi et consequenter servatis ejus definitionibus et principiis, *practicam ejus applicationem* temperare voluit, ipsumque systema *tali modo et formula* proponere quo periculum quodcumque removeret sive calumniae sive laxioris applicationis: idipsumque est quod *suum* systema appellavit.

Quae omnia, decursu hujusce criticae dissertatiunculae, evidenti luce clarescent.

Iis quae ab auctore sub n. 46. proponuntur, nihil est cur immoremur. Nisi quod ultima ejus verba aequivocationem operiunt quae causa est totius controversiae. « Ex quibus liquet, ait, infra dubium strictum et positivum, proprie et rigorose loquendo, nonnisi improbabilitati locum superesse; haec autem improbabilitas varios admittit gradus de quibus infra. ».

Origo sane litigii nos inter et interpretes S. Alphonsi qui aequiprobabilistarum nomen sibi vindicant, desumenda est ab interpretatione illius *aequalitatis* quae in probabilitate solida, spectata in ordine ad usum practicum principii reflexi, competit utrique parti dubii stricte dicti. Aequiprobabilistae enim hanc aequalitatem exigunt in *gradu* probabilitatis, ut habeatur dubium objectivum proprie dictum unde lex dubia dici possiti; probabilistae e contra, in sola *ratione communi* gravis abso-

lute et relative subsistentis utrinque probabilitatis, praecisione facta a gradu minori majorive. Unde aeque conveniunt ambo in conclusionem, « infra dubium strictum et positivum, non nisi improbabilitati locum superesse », aliter et aliter intelligentes dubium strictum et positivum. Quaestio itaque est utrum interpretationi aequiprobabilistarum, an probabilistarum suffragetur S. D. Alphonsus : quaestio, inquam, critica : quaestionem enim logicam jam solvisse videtur S. Thomas scribens intellectum opinando pro una parte, semper *dubitare* de opposita ; atque in eam hoc sensu solvendam convergunt omnia quae hucusque dicta sunt. Ne pigeat tamen, auctorem nostrum non solum in quaestione facti sed etiam in quaestione juris, in finem usque prosequi, juxta ea quae in proemio monuimus.

## PUNCTUM XIII.

***In art. III. — Aequivocationes Auctoris explodunlur in constituenda divisione opinionis.***

Auctor deinde proponit divisionem opinionis et probabilitatis. Et ea quae ex S. Alphonso decerpsit de probabilitate intrinseca et extrinseca egregie confirmant quae diximus sect. II. P. V. Atvero in proponenda sub. n. 48, divisione opinionis, ratione objecti in speculativam et practicam « addi oportet, subjungit, S. Alphonsum alio etiam sensu opiniones speculative et practice probabiles vel improbabiles vocare consuevisse. » Scilicet vis motivorum quae rei, apparentiam veritatis tribuunt, potest spectari vel relate tantum ad veritatem alterutrius partis contradictionis, quam speculative suadet vel non, vel relate ad *usum principii reflexi* quo efformatur conscientia *practice* et subjective certa de honestate actionis. Si probabilitas illa spectetur unice sub primo respectu, opinio qua ea gaudet dicitur speculative probabilis. Si spectetur sub altero etiam res-

pectu dicitur speculative et *practice* probabilis, si *nihil aliunde vetat* quominus possimus uti principio reflexo nitente probabilitate speculativa, ad afformandam conscientiam practice certam de honestate actionis. Si vero *alia quaedam adest lex certa* quae nos liget etiam in casu dubii reflexi quod oritur ex illa speculativa probabilitate; tunc opinio illa dicitur speculative quidem, *non vero practice probabilis.*

Scilicet *certa* lex est me quandoque teneri ad praecavendum probabile periculum damni alterius aut damni mei ipsius (ad quod praecavendum, caritas quae incipit a me ipso quandoque me obligat).

Jamvero in quibusdam materiis ut v. g. sexti praecepti, probabilitas speculativa quarundam opinionum, non removet hoc periculum proximum. Ergo in hujusmodi teneor illa certa lege, quantumvis dubia sit alia lex de qua habetur opinio probabilis. Porro hoc est quod praecise docet S. Alph. th. mor. *l. 1. n. 42.* Hom. Apost. *tract. 1. nn. 21. 28. 33.* — Unde locus citatus ab auctore ex H. A. *tr. IX. n. 34* non est nisi specialis applicatio in materia luxuriae, regulae illius generalis quam in tractatu de conscientia probabili praemiserat S. Doctor. — Cf. Baller. op. mor. edit. 2. vol. 1. tract. 2. cap. 2. n. 141. — Bucceroni, Inst. mor. edit 2. vol. 1. de consc. n. 120. et communiter th. th.

Prosequitur auctor: (S. Alphonsum consuevisse opiniones vocare *speculative* et *practice* probabiles etiam) « ratione *gradus probabilitatis* usum principiorum reflexorum vetantis, nempe quoties habetur proprie dicta probabilitas, puta opinio certe probabilior. Hinc S. Doctor: « Ubi adest opinio probabilior pro lege, tunc lex est *moraliter promulgata,* ideoque obligat, non obstante *dubio lato* pro opinione benigniori; ubi enim veritatem certam non invenimus, illam sequi debemus opinionem, quae *magis veritati appropinquat*; contra vero ubi opiniones sunt aeque probabiles, lex est vere dubia *dubio stricto*, ita ut nullo modo lex dici possit sufficienter promulgata. » (th. mor. l. 1. n. 88.) Ideirco quoties juxta S. Doctorem, occurrit opinio sive certe probabilior sive a fortiori probabilissima, opinio adversa

nonnisi speculative et improprie loquendo probabilis remanet, ita ut practice, non absolute quidem, sed *respectu tutioris* seu *relative* improbabilis censenda sit. »

Adverto 1): haec ultima verba egregius noster auctor e proprio penu quidem extraxit in apertam lucem; atvero S. D. Alphonsus nullibi dicit opinionem certe sive evidenter, sive notabiliter (quae pro ipso in hac re sunt adverbia aequipollentia) probabiliori oppositam remanere *speculative* probabilem; sed e contra vocat eam (th. mor. *l. 1. n. 56.*) *tenuiter aut saltem dubie probabilem*, et repetit in H. A. *tr. 1. n. 31*; talem esse dicit « quae videtur nec certum fundamentum habere quod *possit* esse vera. »

Quomodo igitur hujusmodi opinio potest dici speculative probabilis?. — Neque regerat Auctor hanc depressionem isti opinioni provenire ex solo excessu probabilitatis qui superiori opinioni competit; idque satis significari a S. Alph. per hoc quod depressionem exhibeat ut consectarium *excessus* alterius; « *unde* tunc fit quod opinio minus tuta etc. » (l. c. n. 56), quare minus tuta, concludet Auctor, potest dici *speculative probabilis*, licet *practice*, i. e. ratione concursus oppositae non possit prudenter aestimari probabilis. — At, reponimus, 1) Auctor nos docuit probabilitatem non absolute sed essentialiter *relative* dici ad vim oppositae partis; — reponimus, 2) S. Doctor ibidem satis innuit hanc depressionem evenire non ex quocumque excessu probabilitatis in altera, sed ex TANTO excessu ut altera « fundamentum habeat quod sit *vera* »; « sit moraliter certa, aut quasi moraliter certa. » Porro omnes admittunt opinionem oppositam moraliter certae et fundamentum habenti quod sit *vera*, hoc ipso non posse fundamentum habere quod ipsa sit probabilis; idcirco ratio depressionis non est excessus *ut sic* sed *notabilitas* excessus, aequivalens certitudini morali.

Insuper ipse S. Doctor non scripsit: unde tunc fit quod opinio minus tuta certo fundamento *careat* remaneatque etc. « sed scripsit: unde tunc fit quod opinio minus tuta, *quae certo fundamento caret*, remaneat etc. » Quo dicendi modo innuit

non esse satis ut ponderetur excessus alterius partis sed necesse esse ut ponderetur *vis intrinseca* partis inferioris, *absolute* et *relative*: quo facto ratio cur non possit prudenter existimari probabilis, non invenitur *solus excessus* superioris, sed etiam *deficentia* inferioris. *Signum* autem *a posteriori*, quo facile dignoscitur tanta praeponderantia quae superiorem evehat ad moralem certitudinem plus minusve, est pro S. Doctore omnimoda certitudo existentiae excessus, sicuti videbimus infra.

Quod autem S. Doctor in loco ab auctore citato, *n. 88. l. 1. th. moral.* quamvis dicat simpliciter «opinio probabilior pro lege» intelligat tamen *certe* vel *evidenter* vel *notabiliter* probabiliorem, fit evidens legenti contextum istius loci, in quo appellat ad ea quae scripserat in libro suo de hac opinione probabiliori faciente legem moraliter promulgatam. Porro in libro suo, sicut in th. mor. ut nunc habetur, et in H. A. hoc tribuit, opinioni *certe* vel *evidenter* vel *notabiliter* probabiliori; — sane cum ejus principio de opinione *aeque* probabili difficultatem objecisset gallus ille ephemeridum scriptor quem in isto loco th. mor. n. 88. inducit S. Doctor, respondet se huic oppositioni praevisse statuendo etiam alterum principium de *certe* probabiliori: limites idcirco intra quos debet intelligi *aequalitas* probabilitatis in principio impugnato a scriptore ephemeridum, determinandos esse ex sensu alterius principii de certe probabiliori.

Iamvero in altero hoc principio (redarguo ego, petita venia, contra auctorem nostrum) opposita certe probabiliori, fit tenuiter aut dubie probabilis.

Ergo principium de aeque probabili valet donec alterutra non deciderit usque ad tenuem aut dubiam probabilitatem, quae est sententia probabilistica alia formula expressa, quam nos etiam tuemur. Sed hanc conclusionem sequentibus capitibus relinquamus; contentique simus in praesenti, altera conclusione, S. Doctorem non aestimasse neque dixisse *speculative* probabilem, opinionem quae *certe* probabiliori opponitur.

Adverto 2.) (quod confirmat conclusionem jam alibi a nobis deductam): opinio certe probabiliori opposita, juxta S. Do-

ctorem, est tenuiter vel dubie probabilis, ut nunc probatum est. — Ex altera parte, in praesenti n. 88. citato, dicit in ea subsistere *dubium latum*. Ergo falsum est S. Alphonsum vocare *dubium latum*, opinionem objective spectatam, quam prudenter *reformidat* intellectus, utpote relative *gravi*, licet minus gravi, fundamento nisam, juxta definitionem a S. Thoma datam de statu opinantis. Secus pro S. Alphonso opinio quae adhuc *gravi* nititur fundamento, esset tenuiter vel dubie probabilis, et simul prudenter formidaretur et prudenter non formidaretur. Porro non fuimus nos neque P. Ballerinius bonae memoriae, qui unquam S. Doctorem Ecclesiae Alphonsum induximus in adeo flagrantem contradictionem.

Atqui, subsumet auctor: omnia conciliantur: haec opinio certe probabiliori opposita est *absolute* in se probabilis; practice vero etc. *relative* improbabilis. — R. Egregie: verum, quid scripsisti sub n. 39. tui opuscoli: « merito igitur scripsit Zallinger probabilitatem absolutam seu seorsim spectatam, prorsus esse rejicendam, quoties de vera et proprie dicta probabilitate sermo est » nempe de ea quam tu late sumptam vocasti, et de qua in secunda parte tuae thesis illic statuisti relative esse spectandam. Frustra recurreres igitur nunc ad eam, ut extricare posses S. Alphonsum a contradictione in qua tumet eum implicasti.

Adverto 3) S. Alphonsum dubio lato intelligere hic opinionem quae *levi* tantum nititur fundamento, manifestum etiam fit ex principio ad quod recurrit ad probandum in illo casu legem esse moraliter promulgatam: « ubi enim, ait, veritatem certam non invenimus, illam sequi debemus opinionem, quae magis veritati appropinquat. » — Idem dixerat th. m. *l. 1. n. 56.* Idem aliis verbis explicavit H. A. *tr. 1. n. 31*, a medio ad finem. Idem in dissertatione italica a. 1765, *c. VI. n. 6* « *e questo è quel che.....* » — Et logice juxta S. D. doctrinam, ista verba « veritatem certam non invenimus » debent intelligi cum addito, « neque directe, neque ope principii reflexi »; juxta

sententiam communem etiam illius temporis antiprobabilistis (dissertaz. 1765, c. 3. n. 1. - c. 4. n. 12.)

Hoc porro principium idem est ac aliud de quo S. D. agit *th. m. l. 1. 79: In dubiis tutior via est eligenda.*

Atqui principium istud, juxta S. Doctorem, l. c. obligatorium tantum est in dubio practico, sive etiam in casu quo finis sit absolute obtinendus, vel scandalum a fidelibus removendum; in dubio vero speculativo est de consilio non de praecepto.

Dubium autem practicum, quo, ut ait ibid. n. 21, dubitatur de rei honestate supponit non potuisse efformari ope alicujus principii reflexi, conscientiam practice et subjective certam de honestate actionis contra legem, (th. m. l. 1. n. 78. in fine. - n. 79. *et revera.*) ideoque juxta doctrinam ejus, legem non esse neque stricte dubiam, neque incertam. (th. mor. l. 1. n. 75). Lex autem tunc tantummodo non est incerta quando contra ipsam militant rationes vel tenuiter solum vel dubie probabiles, vel nullae. Ergo, juxta S. Doctorem dubium illud latum debet intelligi ad summum de ratione contra legem vel levi vel dubie probabili.

Fundamentum hujus ratiocinii clare proponitur nobis a S. Doctore in dissertatione italica anni 1765. c. v. n. 1. « Mons. Fagnano molto si affatica a provare, che la (mentovata) regola corre anche ne' dubbi di jus; ma non bisognava in ciò tanto affaticarsi, mentr' è certo, che per lecitamente operare sempre è necessaria la certezza morale dell' onestà; onde, o sia il dubbio di fatto, o sia di gius, quando persiste il dubbio, non è mai lecito l'operare; ed allora il dubbio, benchè sia di jus e speculativo, nondimeno sempre che non si depone diventa dubbio pratico. Posto ciò, intanto quegli autori diceano, come penso, che la Regola procede solo nei dubbi di fatto, in quanto supponeano che i dubbi di puro fatto son tutti dubbi pratici, che non possono deporsi. Del resto per togliere ogni equivoco, noi diciamo che la Regola, *in dubiis via tutior est eligenda*, vale così per i dubbi di fatto, come di jus. Ma diciamo all' incontro che vale *per li soli dubbi pratici..... ma non già per li dubbi speculativi che si depongono con qualche principio certo*, perchè allora non si stà più in dubbio, ma fuori di dub-

bio, e fuori degli stessi termini della Regola. E questo come vedremo, è la giusta sentenza circa la detta Regola, abbracciata comunemente da Dottori, i quali uniformemente insegnano, che in quanto a dubbi speculativi la Regola è il consiglio non già di precetto. » (Cf. etiam ibid. n. 16.)

Transit tandem auctor sub nn. 49 et sqq. ad explicandos gradus probabilitatis. Cum autem ipse antea distinxerit probabilitatem proprio sensu dictam, latiori sensu et latissimo, ut perspicuitati consulat opportunum censet successive proponere varios gradus probabilitatis in triplici illo sensu acceptae. Atvero, exploso jam, juxta ipsam S. Alphonsi doctrinam, primo illo sensu probabilitatis proprio, consequitur hanc successivam subdivisionem ab auctore nostro inductam, confusionem potius rectae S. Doctoris interpretationi, quam perspicuitatem afferre.

## PUNCTUM XIV.

***In art. III. — De duplici divisione opinionis a S. Alph. instituta.***

Ut igitur genuina et nullatenus intricata ejus doctrina in hac re brevi conspectu ante oculos reducatur, juvat advertere S. Doctorem probabilitatem, quando eam in gradus dividere voluit, spectasse sub duplici respectu ideo et sub duplici respectu in varios gradus divisisse.

1° enim spectavit eam *in se et in sua nota generica et essentiali apparenter accedendi ad veritatem objectivam.*

2° spectavit eam *relate ad usum principiorum reflexorum* quorum ope potest vel non potest concurrere ad efformandam conscientiam subjective certam de honestate actionis.

Sicut in diss. ann. 1763. adhuc inserta in 5ª edit. th. moral. n. XXXIII. scribebat: « Omnino semper distinguere oportet opinionem ab usu opinionis. Aliud est enim quaerere an haec opinio in casu particulari sit tantum probabilis, aliud an liceat hac opinione uti. » (Cf. etiam. diss. ann. 1762. edit. Taurin. 1829. pag. 37. 38).

Ita spectavit igitur S. Doctor opinionem relate ad judicium *directum* efformandum de *ejus probabilitate*, et sic eam primo modo divisit. Deinde spectavit eam relate ad judicium *reflexum* efformandum de honestate actionis et sic eam altero modo divisit.

Sub primo respectu, probabilitatem divisit in tenuem, simpliciter talem, majorem, maximam quam immediate sequitur moralis certitudo (objectiva); singulosque istos gradus sic explicavit:

Th. m. l. I. n. 40. « Hic tamen advertendum diversas dari probabilitatum species [1]): alia est enim opinio tenuiter probabilis, alia probabilis, alia probabilior, alia probabilissima, alia certa moraliter.... Opinio tenuiter probabilis est quae aliquo fundamento nititur, sed non tali ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere....»

« Probabilis est quae gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis etsi cum formidine oppositi. »

« Probabilior est, quae nititur fundamento graviori sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria etiam probabilis censeatur. »

« Probabilissima est quae nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur vel tenuiter vel dubie probabilis....» « Opinio sive sententia moraliter certa est, quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, ita ut opposita reputetur omnino improbabilis. »

---

[1]) Ex eo quod S. Doctor tradens *probabilitatis gradus*, eos *probabilitatis species* appellaverit et ex toto contextu, quinque consequenter sunt notanda:

a) Quod tradendo in suis formulis definitionum, definitionem *opinionis* tenuiter probabilis, probabilis etc, hanc vocem « opinio » intellexit et ad faciliorem elocutionem adhibuit sensu *objectivo*, neque ullatenus voluit adsignificare *probabilitatem* non dari nisi ubi *reapse* mens magis inclinatur uni parti, *opinando*, sicut auctor noster supponebat

Haec igitur S. Doctor clarissime, in isto loco praecipuo, ex professo docet. Idem fere iisdem verbis repetit in loco perfecte parallelo, in compendio sui operis majoris, cui titulus H. A.

---

in suo primo argumento ultimae partis thesis de probabilitate proprie dicta. Secus enim S. Doctor non potuisset probabilitatem tenuem, vocare *opinionem*. Quae animadversio rursum confirmat quantum thesis illa in sua ultima parte exclusiva, abhorreat a mente genuina S. Alphonsi, faciatque ipsum inaccurate loqui, dum e contra accurate est locutus.

b) Quod, dum *tradit gradus* probabilitatis, intendit dividere eam, in sua nota *generica* essentiali spectatam: siquidem gradus istos *vocat species probabilitatis*: porro genus est quod per species dividitur.

c) Quod speciem probabilitatis *proprie dictae* intelligit esse definiendam ex oppositione quam habet cum levi apparentia veritatis ex una parte et cum certitudine *objectiva* ex altera, ut nos intelleximus juxta mentem S. Thomae, non vero ex oppositione ad statum dubitationis et certitudinis subjectivae firmiter determinatae, ut perperam intellexerunt probabilioristae et ab eis desumpsit auctor noster.

d) Quod speciem probabilitatis proprie dictae intelligit inveniri tam in opinione simpliciter probabili, quam in probabiliori et in probabilissima, hasque inter se non differre nisi *gradu* prudentis formidinis quam majorem veminorem includunt de opposito. Nam 1) in H. A. l. c. de probabilissima dicit non excedere fines probabilitatis (cf. etiam dissertaz. del 1765 c. 1. n. 1.); non excludere omnem prudentem formidinem: ergo intendit his verbis probabilitatem strictiorem quam genericam quae includit etiam tenuem. 2) De ea ipsa dicit principem locum obtinere inter probabiles: ergo intendit et probabiliorem et simpliciter probabilem esse proprio sensu probabiles, quippe quae sunt intra eosdem fines ac probabilissima.

e) Tandem intra eos fines, minus probabilem etiam inveniri significat, dum dicit de opposita opinioni probabiliori, eam etiam probabilem censeri, quae prudenter formidatur.

Ea porro omnia perfecte concordant cum iis quae didicimus ex S. Thoma qui in locis citatis, non considerat opinionem in ordine ad usum principiorum reflexorum, sed in comparatione cum certitudine et suspicione.

quodque profitetur se scripsisse in fine vitae. (tr. 1. n. 29.) « Hic videndum, quaenam et qualis esse oporteat opinio ut censeatur probabilis et licite ea uti possimus. » Quibus verbis aperte distinguit duos illos respectus a nobis paulo supra indicatos. Deinde tradens divisionem probabilitatis sub primo respectu: « igitur, ait, distinguendae sunt opinio tenuiter etc... » usque ad finem numeri 29. — N. 30 incipit: « his positis, dicimus 1, cum opinione tenuiter probabili *non licere*.... » Ubi incipit considerare probabilitatem sub altero respectu a nobis indicato, relate scilicet ad usum principiorum reflexorum.

Duo nunc supersunt advertenda: UNUM, circa modum quo S. Doctor distinguit probabilissimam opinionem a sententia moraliter certa. Sententia moraliter certa, juxta ipsum, non est amplius intra fines solius verae probabilitatis, sed eos adeo excedit ut opposita opinio nullam prudentem formidinem certo ingerat, et improbabilis reputetur. — Opinio probabilissima vero, quippe quae supremum intra fines verae probabilitatis locum obtinet, excludit quidem formidinem prudentem causatam a *certa gravi* probabilitate oppositae, (et in hoc excedit probabiliorem) non tamen excludit prudentem formidinem causatam a *dubia* vel a *probabili* (saltem juxta S. Alphonsum) probabilitate oppositae. (cf. dissert. 1765. c. 1. n. 2.) Idcirco opposita probabilissimae prudentem ingerit formidinem non tam immediate suae objectivae *veritatis*, quam suae *probabilitatis*, quia haec non est certa ut in opinione contraria probabiliori, sed tantum dubia.

Notetur etiam S. Doctorem in dissertatione italica a. 1765, c. 1. n. 1. scripsisse: « la contraria (alla probabilissima) non può mai stimarsi assolutamente probabile, mentre, la contraria alla probabilissima *non ha che una dubbia, non già tenue probabilità*, e perciò la probabilissima anche si stima moralmente certa, benchè largamente, non già strettamente parlando. Ho detto *dubbia, non già tenue probabile* perchè la probabilità tenue (propriamente parlando) non è probabilità, ma è un'apparenza vana di probabilità, che non impedisce di avere

la vera certezza in contrario, parlando anche della stretta certezza morale. » — Cf. etiam th. m. l. 1. n. 82. Quare, *a*) ubi, in th. m. l. 1. n. 40, scribit oppositam probabilissimae censeri vel tenuiter vel dubie probabilem, istud *vel....vel....* debet intelligi non *disjunctive quoad rem significatam*, sed disjunctive tantum *quoad modum exprimendi;* et conjunctive suppletiveque quoad rem significatam: veluti si dixisset: « tenuiter *vel potius* dubie probabilem »; aut etiam: « vel dubie probabilem, vel ita tenuiter probabilem ut *dubia* probabilitas in ea adhuc saltem appareat. »

*b*) Quod dicit heic S. D. « la contraria alla probabilissima non può mai stimarsi assolutamente probabile » debet intelligi in sensu *composito*, dum scilicet apparet *dubie probabilis;* non in sensu *diviso* veluti si dixisset: « non può mai *diventare* assolutamente probabile. » Hoc enim contradiceret *dubietati* quam huic probabilitati tribuit S. Doctor.

*c*) Sententiae moraliter certae stricte loquendo opponitur opinio improbabilis, sive tenuiter tantum probabilis de qua S. Alphonsus etiam in *th. m. l. 1. n. 82:* « Tenuis probabilitas non est probabilitas, sed dumtaxat quaedam falsa apparentia, seu vana probabilitatis apprehensio, quae nullum prudentem timorem producere potest. »

Haec quidem stricte loquendo; nam quemadmodum in praxi idem usus fit probabilissimae opinionis ac sententiae moraliter certae; ita non raro et in usu rei, et in Doctorum aestimatione, et in modo loquendi confunduntur opinio tenuiter probabilis, dubie probabilis, improbabilis, etiam in scriptis S. Doctoris Alphonsi; quamvis saepe, ubi potest, eas, pro diligentissima sua veritatem investigandi cura, accuratissime et explicite distinguat. [1])

---

[1]) Hic duo adnotari vellem:

I. Quae sub hoc numero advertimus, a doctrina S. Alphonsi vitii apparentiam forte removent, quae eximio nostro Balleriniani Operis Editori in ea latere visa est. Verum quidem est S. Alphonsum in dis-

ALTERUM quod superest animadvertendum spectat ad opinionem *unice* probabilem. De ea in hac sua distinctione graduum probabilitatis mentionem expressam non fecit S. Doctor, ideo, reor, quia raro admodum contingit in controversiis de re morali, in quibus saepe quot capita tot sententiae, hujusmodi opinionem non posse reduci vel ad moraliter certam vel etiam ad

---

sert. anni 1755 scripsisse opinionem *probabilissimam* eam esse « quae nititur gravissimo fundamento, ita ut opposita sit *tenuiter* probabilis, nempe quae fundamentum levé vel quasi leve habeat. » Ea tamen verba emendanda sunt juxta alium S. D. textum a nobis heic relatum ex dissert. anni 1765. Quo posito, ubi opinioni probabilissimae dicitur opponi *dubie* probabilis, locus profecto datur opinioni probabilissimae quae alia sit a certa sententia, etiam in scientiis in quibus certa sententia plerumque non superat *moralem certitudinem*, *cui* non *dubia* probabilitas sed *tenuis* opponi dicitur, sive *certa* improbabilitas.

Aliud sane est judicium *certum* de *solida* probabilitate; aliud, *dubium* de ea ipsa: certum, quando ista soliditas evidenter apparet, dubium, si rationes utrinque ponderatae pro *soliditate* istius opinionis et contra eam, mentem relinquant suspensam in judicio de ea soliditate ferendo. — Tandem dari potest judicium *certum* de tenuitate probabilitatis.

Iamvero si tria ista judicia sunt diversa, ratio etiam diversitatis inveniri potest et distinctionis in motivis respective oppositis, iis quae singillatim judicata sunt solide probabilia, dubie probabilia, tenuiter probabilia sive improbabilia; adeo ut illa motiva opposita singillatim dici possint solide probabilia et ipsa, probabilissima, moraliter certa.

II. Animadversio nostra, dum plene consonat iis quae ab eodem theologo, conciso sed invicto calamo discutiuntur adversus aequiprobabilismum, nn. 131, 132 tr. 2. c. 2. Oper. mor. Edit. 2. etiam majori, si fieri potest, luce totam ejus demonstrationem suffundere videtur. Nemo *prudens* enim opinionem *dubie* tantum probabilem sequi, et principio reflexo aptare unquam ausus est. Et S. Alphonsus centies in quaestionibus particularibus ostendit se ab hujusmodi ratione decidendi abhorrere.

[Cf. op. mor. citatum, tr. 2. c. 2. n. 117, et not. (*a*) ]

probabilissimam, motivo aliquo saltem dubio reperto pro opposita parte.

Ut autem natura hujus opinionis aliqua ratione explicetur juvat in mentem revocare verba S. Thomae superius recitata: « sunt ibi (nempe in opinione) tria, principium et duae conclusiones, una conclusa et alia formidata » *in* 1. *de Anim. lect. 4.* In opinione itaque unice probabili, cum desint rationes oppositae deest etiam conclusio formidata; indeque fit vim principiorum alterius conclusionis, quamvis evidentiam non attingat, maxime tamen augeri, totoque suo pondere inclinare rationem ad judicandum rationabile esse voluntati opinionem imperare.

II. Gradibus itaque sic distinctis in probabilitate spectata sub primo respectu tantum, hoc ipso jam perspicue declarabatur a S. Doctore notio probabilitatis proprie dictae, sive gravis, cui ex uno extremo opponebatur probabilitas non gravis seu tenuis et ex altero moralis certitudo sive lata sive stricta. — Hinc sponte sequebatur (ut coeteroqui constat legenti duo loca citata S. D. ex theol. mor. et H. A. cum numeris sequentibus) consideratio probabilitatis *sub altero respectu*, in ordine scilicet ad efformandam conscientiam practice certam de honestate actionis. Qua in re, proposita regula de tenui probabilitate, et altera de morali certitudine lato sensu sumpta, S. D. statim transit ad determinandam *probabilitatem gravem quae sufficiat ut possit quis uti principiis reflexis*, quae nempe impediat quominus judicare possimus legem esse moraliter certam (saltem sensu lato.)

Ad hoc autem S. Doctor *non subdividit* gradus jam antea distinctos: eorum enim distinctio ipsi tantum inservierat ad explicandam notionem probabilitatis gravis; sed hanc, praecisione facta a divisione graduum antea tradita, resumit et *rursus dividit sed aliter*, nempe SUB EXCLUSIVO RESPECTU USUS PRACTICI PRINCIPIORUM REFLEXORUM. Qua de re specialem instituit dissertationem quam deinde inseruit in sua theol. morali, n. 55 seqq. « *de usu moderato opinionis probabilis, seu morale systema pro delectu opinionum quas licite sectari possumus.* »

Heic porro, sepositis omnibus aliis jam datis graduum di-

stinctionibus, *duas novas proponit distinctiones graduum in probabilitate gravi* (de qua sola erat controversia) *opinionum in oppositum occurrentium*. Distinguit nempe opiniones *aeque probabiles* et opiniones quarum altera est *evidenter* sive *certe notabiliter probabilior*, altera *tenuiter* aut *dubie probabilis*. Per quam distinctionem solvit controversiam de usu « *minus probabilis* » quae fervebat adhuc post damnatas propositiones ab Innocentio XI et ab Alexandro VIII, inter probabilioristas et probabilistas.

*Aeque probabilis* autem terminos definit ita: th. m. l. 1. n. 55. « (sicut omnes et probabilistae et antiprobabilistae conveniunt) cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, juxta commune illud axioma; *parum pro nihilo reputatur.* » (Cf. et dissert. a. 1765. c. 1. n. 3.)

Certe probabiliorem describit *l. c. n. 56.* « *dixi certe probabilior* etc. ». — et in H. A. fere iisdem verbis tr. 1. n. 31. « Ratio est quia quando... etc. » Loca ista cuique obvia non transcribo quia longiora.

Facta itaque distinctione duplicis illius respectus sub quo probabilitatem spectavit S. Alphonsus ut eam divideret, patet hos duos complexus distinctionum sejunctim esse spectandos nec posse commisceri veluti si secunda divisio nihil aliud esset quam subdivisio opinionis probabilis et opinionis probabilioris in primo schemate. Ex neglectu enim istius animadversionis partim ortus esse videtur totus dissensus in praesenti probabilistas inter et aequiprobabilistas, in quaestione critica de systemate S. Alphonsi dirimenda. Omnes sane *Ballerinianí*, [1]) (ut pro-

[1]) Ipse tamen P. Ballerini, dum in tractatu de conscientia (Op. mor. ed 2. V. 1. tr. 2. c. 2. n. 111-118) utramque divisionis rationem commiscet, in dissertatione de systemate S. Alphonsi se discrimen advertisse satis ostendit (Ibid. append. I. nn. 16-18 24. in fine.) — Rem adver. tisse etiam dicendus est cl. Bucceroni in explicatione systematis S. Alph. (Inst. mor. t. 1.)

babilistas appellat Auctor), conveniunt in schema opinionum a S. Alphonso traditarum, quod confecit R. P. Haringer C. SS. R. cui ipse Ballerini in sua dissertatione accessit; Aequiprobabilistae aut in idipsum, aut saltem in schema a R. P. Heilig deinde confectum : [1]) ita, huic ultimo assentit etiam auctor noster, n. 152. ubi utrumque proponit. Ballerinianumque forte non immerito redarguit eo quod illud ab hoc non discrepare dixerit.

Atqui in utroque schemate, ambae illae distinctiones a S. Alphonso sub diverso respectu constitutae, permiscentur ac si unam divisionis rationem constituerent. Quod explicite etiam heic, n. 51 facit Auctor noster, tamquam aliquid a moralistis communiter receptum : « Haec autem opinionis species (probabilior) a moralistis praecipue, dividitur in paulo et in multo seu notabiliter probabiliorem... » Et infra : « Advertas insuper opinionem certo probabiliorem non esse confundendam cum probabilissima » ; et n. 54. « Opinio minus probabilis a moralistis praecipue dividitur in paulo et in multo seu notabiliter minus probabilem... » Quibus evidenter permiscentur duae illae rationes dividendi, alteraque ut alterius subdivisio exhibetur.

Porro hujusmodi confusio hoc secum fert inconveniens quod lectori persuasionem inducit S. Alphonsum oppositionem et exclusionem admisisse inter omnia membra unius divisionis et subdivisionis factae sub uno eodemque respectu : haec sane oppositio invenitur in omni divisione accurate instituta : dum e contra v. g. multo probabilior opinio et probabilissima videntur, fere saltem, a S. Doctore aequiparari, propter eamdem qualificationem quam tribuit opinioni utrique contrariae. Unde factum est ut quicumque non advertisset duplicem diversum utriusque divisionis respectum, sponte induceretur ad notam

---

1) Confer. v. g. cum isto schema propositum in dissert. apolog. n. 97 inserta in praefatione V. A. edit. 2, supra sect. I. P. IV. citata.

S. Alphonso inurendam accuratae philosophiae in methodo non servatae [1]).

Atvero remota illa distinctionum confusione, jam fieri potest absque ullo logicae detrimento ut membra duplicis divisionis sub diverso respectu institutae, reipsa conveniant. Inde, ut decursu hujus nostrae crisis apparebit, rationem exordiri forte poterimus partes in praesenti adversas, amico foedere conciliandi.

Hoc Punctum concludimus, opportune subjiciendo duo schemata correlativa quae distincte referunt utramque divisionem a S. Doctore tam in sua theol. mor. quam in H. A. institutam.

---

[1]) Op, mor. Ball. edit. 2. v. 1. tract. II. cap. II, 117. (a). --- ibid. append. I. n. 107 (a).

*Divisio probabilitatis in nota generica spectatae*

*Divisio probabilitatis*
*in ordine ad efformandam consc. subj. certam ope princ. reflex.*

- **Probabilitas**
  - Tenuis . . cui centitudo moralis stricta opponitur . . . . → Tenuis / Dubia — quarum neutra permittit usum princip. reflexor.
  - Gravis / Gravior
    - cui opponitur probabilitas *certo* . . . . . .
    - gravis inducens prudentem formidin . . . . .
    - ***rem*** esse in suo sensu ***veram*** . . . . . .

    → Utrinque adeo aequalis ut licitum relinquat usum princ. reflex.
  - Gravissima
    - cui opponitur probabilitas ***dubie*** . . . . . .
    - gravis inducens prudentem formidin. . . . . .
    - rem esse in suo sensu probabilem tantum. .
- **Certitudo moralis**
  - Lata
  - Stricta . . cui opponitur tenuis ad summum probabil, sive improbabil.

  → In altera parte adeo notabiliter praeponderans ut eam sequi teneamur.

## PUNCTUM XV.

### *In art. IV. — De certitudinis divisione aliae aperiuntur aequivocationes.*

Heic proponuntur ab A. notiones et divisiones communiter receptae certitudinis. Duo occurrunt nobis adnotanda:

I. Sub n. 61. ait: « 2. Certitudo lata non est nisi opinio, utique gravis et relative gravior, dum certitudo stricta limites opinionis ae probabilitatis transcendit. »

Hoc *ultimum* utique verum est, si spectentur definitiones: Adverti tamen debet certitudinem moralem *strictam* esse rursus spectato motivo duplicem:

1) motivum enim potest ex se adeo esse validum ut omnem etiam *levem* oppositi suspicionem tollat: v. g. pro me qui nunquam Pekinum adivi, motivum adest auctoritatis de hujus civitatis existentia, omnem contrariam removens suspicionem; vel etiam in re *theologica*, Ecclesiae declaratio omnem contrariam suspicionem expellit.

2) Motivum potest esse ex se nec convincens nec evidéns, sed de facto hanc attingere gravitatem ut oppositum remaneat *tenuiter* tantum probabile, nec ingerat prudentem sui formidinem. — Haec etiam, juxta S. Alphonsi divisionem, est *stricta* moralis certitudo: « la probabilità tenue non impedisce di aver la vera certezza in contrario, parlando anche della stretta certezza morale. » (*dissert. ann. 1765. c. 1. n. 1.*).

Praeterea *primum* quod hic ab. A. asseritur, ut congruat verbis S. Alph. paulo supra recitatis, ex eadem dissert.: « la *probabilissima* anche si stima moralmente certa benchè largamente non già strettamente parlando »; debet intelligi de probabiliori cui ad summum *dubie* probabilis opponitur; haec enim opinioni probabilissimae contraria est, juxta S. Doctorem. Si autem intelligatur de probabiliori, cui opponitur certe probabilis, assertum non est verum; auctor tamen ut posset ipsum

efferre omissa hac distinctione, supponere debuit opinionem *certe* probabiliorem *vi solummodo sui excessus*, inefficacem reddere quamcumque probabilitatem sibi oppositam; si vero certe probabilior non sit, eam aequiparat aeque probabili.

At in tertia disputatione videbimus, quid de hoc supposito sit decernendum.

II. Sub eodem n. 61. Auctor prosequitur: « 3. Certitudo lata excludit tantum dubitationem *strictam*, non autem *latam*, quam radicaliter tantum ac vi conceptus sui formalis includit, cum nonnisi opinio sit. »

Audivimus a S. D. quo sensu certitudo lata intra fines probabilitatis inveniatur ideoque dici possit opinio, quatenus nempe non excludit prudentem omnem formidinem quod contraria possit *esse probabilis*, quippe quae est non *certe* sed *dubie* probabilis. Quare verum est eam excludere dubitationem strictam tantum non vero latam, si per dubitationem strictam intelligatur formido prudens orta ex *certa probabilitate* oppositae; et dubitatione lata intelligatur formido prudens orta ex *dubia* ad summum probabilitate oppositae. — Falsum vero est assertum, nec S. Doctoris Alphonsi doctrinae conforme si dubitatione stricta intelligatur suspensio assensus imperata propter perfectam probabilitatis aequalitatem utrinque subsistentis; dubitatione vero lata, intelligatur, prudens formido orta ex certo cognita probabilitate gravi alterius partis. Ista porro, quae ex dictis satis patent, fient ex dicendis evidentiora.

Eodem sensu verba de Lugo hic allata sunt intelligenda. « Claritatis gratia possumus duos gradus moralis certitudinis distinguere. Primus est certitudinis quam descripsimus, nempe quae excludit omnem *prudentem* formidinem et haec est *propria* certitudo moralis. Secundus est certitudinis *minus propriae*, quae non excludit formidinem prudentem, sed solum *dubitationem prudentem* de illo objecto, vel judicium probabile prudens de objecto contrario. » (de fide. disp. 1. n. 316.)

Hic sane Lugo per *dubitationem prudentem* quam contradistinguit a *formidine prudenti*, ex una parte et ex altera di-

stinguit etiam a judicio probabili prudenti de objecto contrario, vult significare *prudentem suspensionem assensus* objecto contrario quia in eo non inveniuntur motiva *certo* probabilia quae fundare valeant judicium probabile prudens; quamvis in eo inveniantur motiva quae aestimari debent *dubie* probabilia, ideoque non excludunt, ut ait, *formidinem prudentem*, quod scilicet possint esse *probabilia:* nempe ista motiva opposita parti quam Lugo dicit *minus proprie certam*, non inducunt quidem formidinem prudentem de *veritate rei* (quia non sunt certe probabilia), sed ingerunt formidinem prudentem quod ipsa *possint esse probabilia*; ideoque dicuntur a Lugo non excludere prudentem formidinem, nempe *aliquam*, non tamen eam quae ingeritur motivis *certo* probabilibus.

Hunc esse sensum a Lugo intentum, patet diligenter ejus verba perpendenti: 1° enim dubitatio proprie significat *suspensionem assensus* atque si opponatur, sicut in hoc loco, certitudini, suspensionem assensus *certi*. — 2° agitur de suspensione assensus *ipsi rei* praestiti: dicit enim Lugo: « certitudo minus propria excludit *dubitationem* prudentem *de illo objecto*. » — 3° agitur de suspensione assensus, fundata in motivo contrariae partis *certe probabili*: explicat enim Lugo causam hujus suspensionis esse in *judicio* prudenter *probabili de objecto contrario*. — 4° *Formido prudens* itaque quae dicitur non opponi certitudini isti late sumptae, non est formido de certa probabilitate *objecti contrarii*, sive de judicio probabili circa ipsum objectum contrarium, certe elicito. — 5° Nihil ergo superest nisi ut sit formido de agnita *possibilitate istius probabilitatis*, seu aliis verbis formido de *dubia* probabilitate.

Confirmatur iste sensus ex contextu ipsius Lugo: n. enim 317, magis explicat discrimen utriusque istius certitudinis, ostendens certitudinem moralem *propriam* niti « impotentia morali » contrarii quod *de facto* nunquam reducitur ad actum; certitudinem vero improprie dictam, « non afferre tam necessariam connexionem cum veritate: nam licet raro, aliquando tamen contingit de facto falsitas. »

Porro haec certitudo convenit cum opinione probabilissima S. Alphonsi, cui opponitur dubia probabilitas. Nihil igitur ex Lugo verbis extundet unquam pro se egregius A.

Caeteroqui modus significandi probabilitatem et dubium apud Lugo et apud alios graves theologos communiter receptus usque ad S. Alphonsum, paulo diversus est a modo significandi quem usurpare solet S. Doctor. Dubium negativum vocant *proprium;* dubium positivum, *dubium probabile.* Ita Lugo de sacr. in gen. disp. 8. n. 139. — de Poenit. disp. 16. n. 58. 59. et passim. — Ita etiam v. g. Reiffenst. post elapsum fere saeculum. th. mor. tr. 1. dist. 3. n. 35. etc.

# DISPUTATIO SECUNDA.

## *Crisis historica de systemate morali S. Alphonsi.*

### SECTIO I.

***An S. Alphonsus aequiprobabilismum reapse tenuerit.***

Auctor hoc capite III. pro viribus propugnare statuit 1) S. Alphonsum de facto docuisse systema quod nunc sub aequiprobabilismi nomine venit; 2) hoc systema, prout secernitur a probabilismo simplici, esse certo probabilius veritati consentaneum. Porro nos hanc ejus disceptationem ea ratione ad crisim reducere intendimus, ut sectione prima, demonstretur systema alphonsianum sola formula soloque nomine a simplici differre probabilismo atque eo solo sensu a S. Doctore fuisse propugnatum. Sectione vero secunda vindicabuntur aliorum probabilistarum interpretationes.

#### PUNCTUM I.

***In art. I. — Determinatur status quaestionis.***

Proponuntur notio, denominatio et compendium aequiprobabilismi. Haec recte, ut status quaestionis possit intelligi. Perlegenti n. 64, in quo brevis hujus systematis conspectus exhibetur, duo sponte se offerunt animadvertenda.

Primum consequitur ex disputatis in duobus capitibus quae

antecedunt: Utrum, sub veste qua hic nobis ab auctore indutum systema morale exhibetur, lateat probabilismus simplex, an proprie dictus aequiprobabilismus, hoc unice pendet a sensu qui tribuatur *dubio stricto* et *dubio lato*; opiniõnibus *aeque probabilibus* et *certe probabiliori*. Quocirca ex dictis jam praejudicata causa forte non immerito aestimabitur.

Alterum hic breviter innui satis erit, quod suo loco (cap. IV. art. 1. Obj. IV) ex professo discutiendum relinquimus: nimirum, sive quis aequiprobabilismum sive probabilismum teneat, perperam applicat principium possessionis, si, ut facit auctor noster, generatim docet, in dubio stricto de cessatione legis prius existentis, tenendam esse opinionem quae favet legi. Quia generatim loquendo, falsum est in tali dubio, possidere legem prius certam. De mente etiam S. Alphonsi in hac quaestione infra recurret sermo. Interim consuli potest egregia nota cl. Patris nostri J. Bucceroni, in ejus Instit. mor. Edit. 2. tom. 1. n. 121.

Imo non sine fructu lector comparare poterit hoc systematis compendium cum iis quae idem P. Bucceroni breviter et invicte disputat ibidem n. 131-136, et in opere: casus conscientiae 1895. casus 17. de conscientia probabili.

## PUNCTUM II.

### *In art. II. — An S. Alphonsus ante ann. 1762. Probabilismo omnino adhaeserit.*

Duo hic quaeruntur: 1) utrum S. Alphonsus unquam Probabilismum simplicem docuerit; 2) utrum saltem ab anno 1762 Aequiprobabilismum tenuerit; atque auctor statuta thesi, primo quaesito respondet eum, usque ad annum circiter 1762 probabilismo quidem adhaesisse ast simplici probabilismo, non plena persuasione, negative, confutando rigidos potius quam positive; postea vero explicite aequiprobabilismum propugnasse. Nos, quoad *conclusiones ipsas*, primam transmittimus, contra alte-

ram vero arbitramur systema quod ab isto anno S. Doctor explicite et strenue propugnavit, in suo complexu esse probabilismum simplicem sub nova formula propositum. Haec porro conclusio nostra, ex crisi instituenda circa auctoris argumenta efflorescet.

Quod autem primae partis *probationem* spectat, in specie unum alterumve obiter advertere volumus.

1.) quidem scrupuli quibus se in mortis periculo constitutum, narravit Alphonsus fuisse perturbatum, viderentur potius contrarium confirmare. Ex consuetis enim discretionis spirituum regulis conjicere licet eos a malo, nedum a bono spiritu provenisse. Bonus sane spiritus eos qui procedunt de bono in melius (qualis tum sine dubio erat Alphonsus) inquietudine, multo magis fallaci illusione non pulsat, ut docent omnes magistri vitae spiritualis, S. Ignatio de Loyola duce. Dum e contra malus spiritus proficientes in via Domini libenter perturbat et exagitando retardare conatur. (Cf. Exercitia Spirit. S. Ignatii de Loyola. Regulae pro pleniori discretione spirituum. reg. 5. 7.) Scrupulus igitur a diabolo, S. Alphonso injectus quod sententiam probabilem sectatus fuerit, qua, quaeso, ratione probare potest S. Doctorem illa aetate, hujusmodi sententiae non ex animo adhaesisse? Non adeo « firmiter » idcirco videtur inde « stare propositio. » (Cf. Auct. n. 67.)

2.) Auctor confirmat sub n. 69, primam partem thesis suae ex modo quo S. Alphonsus simplici probabilismo favere visus est. At si hunc modum paulisper perpendamus, contrarium potius iterum sequi videtur: sane in dissertat. anni 1755, benigniorem sententiam, quam « probandam » aggreditur, vocat *communissimam*. (n. 1.) et n. 16 moraliter certam; atque pro ea seriem auctorum affert interminabilem; argumenta multa et validissima promit. Atqui nemo dicet S. Doctorem non ex animo adhaesisse sententiae quam profitebatur et demonstrabat communissimam et moraliter certam. — Fieri quidem potuit et reapse factum est ut *simul* nondum se extricasset ex omnibus difficultatibus adversariorum; nec assentiret omnibus

argumentis quibus aliqui benigniorem sententiam propugnaverant.

Ita reapse scripsit 19. sept. a. 1765 (corr. sp. lett. CLXIII.): « Veramente come prima i probabilisti difendevano l'uso della Probabile non mi piaceva; ed io ancora non ne stavo quieto; perchè assegnavano certi principî e ragioni che non reggeano a martello. » Infra videbimus qualia sint ista principia.

At cum ipsi alia argumenta suppeterent eaque validissima; neque adversariorum objectiones neque fallax aliquorum probabilistarum arguendi ratio, impedire Alphonsum poterant quominus firmiter conclusioni suae adhaereret. Motivum inde potius sumere poterat differendi solutionum propositionem donec eam perfecte esset assecutus interimque alias tractare quaestiones quae majori examine indigebant; ut reapse fecit.

Idcirco non tam negative, ut ait auctor, quam *polemice*, probabilismo simplici, in sua conclusione et suis argumentis firmiter tunc adhaesit: et quidem polemice non solum rejiciendo adversae partis tela (quod esset negative) sed maxime positive statuendo propriam thesim eamque demonstrando.

Postquam vero, solvendis difficultatibus diligentius incubuit, advertit totum idem systema tali formula proponi posse ut occasio etiam omnis, prouti existimabat, praescinderetur novae impugnationi. Et eo sensu potuit etiam mense julio ann. 1763 Editori Remondini scribere de 5. edit. theol. mor. tunc edenda: « io desidererei che, nel trattato della coscienza, ne levasse quella dissertazione che vi è della probabile e vi mettesse questa nuova che ora ho fatto (Breve dissert. dell'uso moderato ecc. 1762)..... *a rispetto della quale la prima non vale niente.* » Eo magis quod in dissertatione inserta in 2, 3, 4 edit. *praescindebat a quaestione* utrum liceat sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.

Unde neglectis, duabus ann. 1749 et 1755 dissertationibus (cf. auct. n. 68), systema quod in ipsis fuerat modo consueto propositum nova indutum forma totum substantialiter idem redintegravit. Quo labore pedetentim utique procedendo (cf. auct. n. 70) sep-

tem circiter consumpsit annos. Re tandem confecta, *simpliciter* potuit suum systema ab ordinario probabilismo secernere (cf. auct. n.69.71) affirmando se «in opinionum delectu *probabiliorem* propugnare» sensu nempe quem plerumque in contextu explicat (ut v. g. in epist. 28 mart. 1767 et in aliis nonnullis, v. g. epist. 5. aug. 1772); atque negando se tueri *minus probabilem, sensu nempe de quo adversarii eum criminabantur*, scilicet nulla adhibita distinctione (cf. v. g. eamdem epist. 28 mart. 1767). Quod confirmatur exinde etiam quod eodem tempore aliam non semel adhibuit huic Patutii accusationi responsionem: « quia multi *Probabilistae* indiscriminatim dicunt licere amplecti opinionem minus probabilem, quando illa aliquod subsidium habet ex ratione sive auctoritate, idcirco volui *distinguere* etc.... » (Apolog. a. 1765. Cf. etiam th. mor. Edit. 6. a. 1767 in praefat.)

Suum etiam systema potuit quandoque novum appellare (cf. auct. n. 7 et epilogum nostrum) et alio loco potuit scribere: « non ho preteso nè pretendo di far sistemi nuovi » (introd. alla prima apologia contro Adolfo Dositeo): et in penult. paragr. istius apolog. « la sentenza (dell'equiprobabile) che con tanti altri più dotti di me difendo... »

Hisce itaque probe intellectis et ante oculos jugiter servatis, omnes scrupuli ex *meris difficultatibus* ort', omnes diffidentiae omnes denegationes, simplici probabilismo apparenter contrariae, nulla facta exceptione, omnes, quotquot recurrunt in subsequentibus S. D. scriptis, sufficienter videntur posse explicari quin ad substantialem systematis mutationem recurramus, quod reapse numquam abjecit; neque vacat singulis auctoris assertionibus sub nn. 67-73, congruam heic afferre distinctionem, quam sagax lector per seipsum poterit juxta praemissa supplere. — Verba tamen ex epist. CCCVIII, ab Auct. sub. n. 71 relata infra opportunius perpendentur.

Exinde jam confirmatur quod in fine P. XIV. sect. praecedente, animadversum est, dissensum in praesenti probabilistas inter et auctorem nostrum, maxime oriri ex confusione duplicis respectus sub quo successive, et aliter aliterque divisit S. Alphonsus opinionem vere probabilem.

## PUNCTUM III.

***In art. II. Animadversiones circa placita aequiprobabilistarum.***

Sequitur apud Auctorem thesis pars altera quam dicit praecipuam:

S. Alphonsus saltem ab anno 1762 explicite ac strenue Aequiprobabilismum propugnavit.

Quocirca tria sunt praenotanda:

I. Sola illa inconcussa regula criticae, advertit A., quod *scripta Auctorum priora per posteriora sunt explicanda, atque opportune emendanda,* omnes Ballerianorum citationes ex prioribus S. Doctoris scriptis contra Alphonsianos depromptae, corruant necesse est. — Ast hujusmodi generalis exclusio aliam offendere videtur sanae criticae regulam, qua scripta ab Auctoribus prius edita nisi fuerint ab ipsis serius retractata, dominio historicae et scientificae inquisitionis subtrahere non licet; ut collatione cum posterioribus eorumdem scriptis instituta, omnia et singula quovis tempore ab iis propugnata, si fieri possit, concilientur, mutuaque se luce clariora efficiant; si vero conciliari non possint, tunc tantum posterius scripta retineantur. — Atqui, ipso Patre de C. fatente (n. 68), in posterioribus scriptis S. Doctor duas anteriores dissertationes tantummodo « neglexit », « praetermisit », « reticuit ». Nullibi ideo doctrinam quam in iis ut communissimam, et moraliter certam professus erat, expresse abnuit aut retractavit, dum in aliis materiis vel minoris momenti, scrupulose se retractare non erubuit.

Adde quod dissertationes anni 1749 et anni 1755, et ipsae insertae leguntur sub n. V. in catalogo I. operum impressorum, de quibus Pius Ppa VII sub die 18 Maii 1803, declaravit nihil in iis censura dignum fuisse repertum (cf. S. R. C. Concession. tit. Doct. in hon. S. Alph. — Informatio. - Decret. pag. 76, 80). Si igitur eodem omnino titulo ac per posteriora opera, per anteriora ista opuscula, *inoffenso pede,* ut ait Pon-

tifex, fideles. et animarum moderatores tuta via incedere possunt, quo jure, quaeso, anteriores hae dissertationes, in requirendo genuino Auctoris sensu omittuntur? Nonne potiusquam in oblivionem amandentur, cum doctrina posterius tradita undequaque sunt conferendae?

Porro in hac conciliatione quaerenda et *ex jugi textuum comparatione* demonstranda, tota versatur dissertatio, totum P. Ballerini in suis operibus studium. Quem deinde non pauci secuti sunt.

II. Auctor deinde ad quatuor puncta reducit doctrinam ab aequiprobabilistis unanimiter retentam. Quibus nos adhibita distinctione, controversiae punctum strictius determinandum arbitramur. 1.) Sane, S. Alphonsus ab anno 1762, nedum aequiprobabilisimum R. Patris de C. sed sub nova forma quam vocare aequiprobabilisticam permittimus, simplicem et communissimum docuit probabilismum: atque hoc certissime constat. 2.) Jam diximus: quaestio de systemate, independens est ab illogica illa applicatione principii possessionis, qua generatim dicatur vincere legem in dubio positivo de ejus cessatione. Quidquid igitur hac in re tenuerit S. Alphonsus, nihil inde pro thesi P. de C. deducere licet.

3.) Qui tenet legem sufficienter promulgari per opinionem certe probabiliorem, est logice aequiprobabilista (sed valde illogicus, uti videbimus infra), si simul teneat opinionem oppositam, solide sed speculative tantum remanere probabilem. — Si vero simul teneat oppositam, ipso facto certitudinis omnimodae excessus istius, manifestari vel dubie vel tenuiter probabilem, speculative et practice, eo quod altera est a parte rei moraliter certa lato sensu; logice est probabilista. Atqui hoc ultimum docet S. Alphonsus.

4.) Formula: licet sequi opinionem solide probabilem, relicta probabiliori: ambigua haud est: cum, hoc ipso quod dicatur « solide probabilem » excludatur oppositam esse certo probabiliorem, sensu quem explicat S. Alphonsus: cui nempe utpote, moraliter certae, nunquam opinio solide probabilis opponitur.

Neque formula ambigua est pro eo qui teneret certe probabiliori opponi solide probabilem: pro isto enim relate ad usum principiorum reflexorum, nihil refert utrum excessus probabilitatis sit certus an dubius, dum ipsi constat oppositam inferiorem esse solide probabilem.

Reapse formula quam sine distinctione admitti non posse profitebatur S. Alphonsus, erat: sequi licet minus probabilem, relicta probabiliori. Haec sane, prout jacet, est ambigua.

III. Caveat igitur prudens lector et perspicue videbit egregium auctorem dum in sua *propositione* asserit S. Alphonsum certissime *tenuisse aequiprobabilismum*, in sua *probatione* deinde nihil aliud logice *conficere* quam S. Alphonsum sub nova veste aequiprobabilistica pristinum *redintegrasse probabilismum*.

## PUNCTUM IV.

***In art. II. — Analysis textus S. Alph. th. mor. l. 1. 54-56.***

Quibus praenotatis, sub n. 74. transcribitur praecipuus S. Alphonsi locus ex th. mor. *l. 1. n. 55 et 56.* quo ejus systema exhibetur: hunc textum per partes resumere convenit.

Primo quidem sub n. 54. statum quaestionis determinat S. Doctor: « Remanet nunc videndum quanam probabilitate potiri debeat opinio, ut ea licite valeamus uti. »

Sumit nempe probabilitatem quam superius jam descripserat, unice et exclusive spectandam sub respectu practico, i. e. relate ad licitum usum principiorum reflexorum pro efformanda conscientia subjective certa de honestate actionis.

Duo deinde ponit extra controversiam, ex damnatis propositionibus:

« illicitum esse uti opinione tenuiter probabili . . . »

« licitum esse uti opinione probabilissima . . . »

Advertit tandem 1) in suo systemate illicitum *pariter* demonstrari usum opinionis notabiliter et certe minus probabi-

lis, quia ista depressione certa hujusmodi opinio de facto fit vel improbabilis vel dubie probabilis.

2) In suo systemate pariter demonstrari illicitum usum principii reflexi contra legem, quando opinio pro lege est certo longe majoris ponderis, quia tunc fit moraliter certa.

Porro ista duo breviter demonstrantur ab eo in discussione primae ex duabus quaestionibus quas sibi solvendas proponit in subjecta dissertatione: « Duae remanent nunc quaestiones etc. » n. 55. « Praesenti dissertatione duas nobis proponimus quaestiones discutiendas. Prior est an licitum sit sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori quae stat pro lege. Posterior, an concurrentibus duabus opinionibus contrariis, aequaliter aut quasi aequaliter probabilibus, liceat minus tutam amplecti. »

Porro ex responsione quam statim subjicit S. Doctor priori quaesito, facile intelligitur totam controversiam de delectu opinionum relate ad usum principiorum reflexorum, merito posse ad istas *solas* quaestiones reduci. Admisso sane *certum* probabilitatis excessum *notabilem*, efficere opinionem moraliter certam; hoc ipso sequitur quemlibet excessum vel *dubie notabilem*, vel *certum* sed *non notabilem* (si dari possit,) non elevare opinionem quae eo potitur ad moralem certitudinem, eamque relinquere intra ambitum secundi quaesiti de opinionibus quae potiuntur probabilitate utrinque aequali vel quasi aequali: ut enim alias advertimus, insanum esset in hujusmodi mathematica requirere discrimina. Idipsum expresse alibi docet S. Alphonsus; (Cf. v. g. epist. CLXXXVIII. — in epist. CCXIX. (corr. spec.) scribit: « dico che quando l'eccesso è certo, è ancora notabile; perchè *se non fosse notabile, non sarebbe certo, ma ambiguo e dubbio e così non dimostrerebbe moralmente promulgata la legge.* »

Congruit etiam S. Doctoris heic subjecta explicatio:

« Dicitur *aequaliter aut quasi aequaliter probabilibus*, quia (sicut omnes et probabilistae et antiprobabilistae conveniunt) cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia,

a ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, juxta commune illud axioma: *parum pro nihilo reputatur.* »

Id etiam constanti experientia luculenter confirmatur: cum opiniones quae ab uno doctore aequaliter judicentur probabiles, ab alio praedicentur inaequales; atque ipse probabilitatis excessus a diversis imo et ab eodem brevi successivo intervallo diversissime aestimetur, dum unus certum eum censeat, alius dubium, alius notabilem, alius exiguum. Qui aestimationum dissensus ipse argumentum est ut excessus sine haesitatione possit tanquam incertus haberi.

S. Alphonsus itaque dum quaestioni prius sibi propositae respondet illicitum esse relinquere opinionem certo notabiliter probabiliorem pro lege, hoc ipso concedit esse licitum relinquere opinionem *non certe* notabiliter probabiliorem pro lege; atque hoc ipso quod de ea explicite separatimque non disputat sed statim transit ad alteram quaestionem duarum quas solas superesse dixerat; hoc ipso satis significat vel idem de ea esse decernendum, quod ab ipso decernitur de casu probabilitatis utrinque aequalis, vel ambitum hujusce aequalitatis ad eam esse protendendum. Hoc porro ultimum ejus loquendi modo videtur undequaque convenire.

Tota igitur controversia uni puncto reducitur demonstrando: excessum scilicet probabilitatis qui *certus* est, opinionem ad moralem certitudinem revera extollere; idque explicat S. Doctor in resolutione primae quaestionis sub n. 56.

«.... dum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit jam dubia (intellige de dubio stricte sumpto, ut altera quaestione dicemus), sed est moraliter aut quasi moraliter certa; saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum quod ipsa sit vera ».

Ecce nempe S. Doctoris ratiocinium: *certus* subjective probabilitatis excessus non est nisi notabilis objective excessus.

Atqui notabilis excessus probabilitatis extollit opinionem supra dubium strictum, eamque extollit usque ad moralem vel quasi moralem certitudinem.

Ergo *certus*, subjective, probabilitatis excessus opinionem extollit ad moralem objectivam certitudinem (vel quasi moralem, vel saltem impedit quominus possit dici stricte dubia; quae omnia aequiparantur in ordine ad practicum usum principiorum reflexorum).

Consequentia in praesenti materia profecto currit; dummodo probentur praemissae.

Majorem equidem S. Doctor hic ex professo non probat. Facile tamen probari posse videtur ex ipsis S. Alphonsi principiis disputatione antecedenti expositis.

Sane, omnibus consentientibus, ut vidimus, ratio proprie dictae probabilitatis est essentialiter comparativa vel potius relativa, non absoluta tantum. [1])

Quo posito, si *excessus* probabilitatis sit tantum dubius ex una parte nec possit sine haesitatione affirmari, in causa hujus haesitationis plerumque est vis ipsa rationum quae pro parte opposita militant: unde haesitatio in affirmando proba-

---

[1]) Quod tria significat: 1) vim rationum unius partis inepte determinari, quin perpendantur rationes quae forte militant pro opposita; — 2) si rationes utrinque desumantur ex iisdem principiis, augmentum ponderis unius partis arguere aequalem in propria alterius probabilitate depressionem; 3) si ex diversis principiis, augmentum ponderis unius partis *extrinsecus* inducere motivum verisimile falsitatis alterius partis, ideoque *extrinsecus* augere formidinem quae jam propter ejus *intrinsecam* et propriam probabilitatem, necessario comitaretur assensum in rem ipsam, secundum eam partem: tunc scilicet intellectus formidat ab ejus falsitate, non tantum quia ipsa est solummodo *probabilis* i. e. possibiliter falsa, sed etiam quia altera pars contradictionis majorem prae se fert veritatis apparentiam, seu aliis verbis quia altera pars evidentiae objectivae comparata, magis ad eam accedere videtur, quam illa inferior eidem evidentiae objectivae in sensu contradictorio, comparata et ipsa ei accedere videatur.

bilitatis excessu, si evanuerit, ideo evanuit quia vis rationum partis oppositae notabiliter evanuit. Porro hoc non contingit, in casu quo rationes utrinque adsunt, nisi notabiliter etiam augeantur rationes partis probabilioris: augmentum enim earum non fit tantum ex vi earum propria et absoluta, sed essentialiter etiam relativum est ad vim oppositarum rationum diminutam, sensu explicato. — Atqui haesitatione illa remota excessus probabilitatis affirmatur cum certitudine; ergo *certus* probabilitatis excessus non est nisi notabilis excessus.

Confirmatur e contrario: excessus probabilitatis si sit dubius, ideo plerumque dubius est quia notabilis et gravis probabilitas partis oppositae graviter attenuat rationes alterius. Hoc autem evidenter supponit discrimen inter utriusque probabilitatem non esse notabile.

Ne longiores simus, abstinemus ab afferendis multis exemplis quorum inductione idem confirmari posset. Quisque potest, si lubet, perpendere multas particulares controversias apud classicos Doctores, ut Sanchez, Suarez, Lugo, Salmantic. et imprimis ipsum S. Alphonsum.

Interim ad probandam minorem accedamus ex ipso medio termino a S. Doctore nobis hic prolato:

Certus et notabilis excessus probabilitatis tribuit opinioni certum fundamentum quod sit vera.

Atqui opinio quae certo nititur fundamento quod sit vera aut est moraliter certa sive quasi moraliter certa aut saltem non est amplius stricte dubia. Ergo.

Minor hujus syllogismi per se patet, quia si fundamentum quod opinio sit vera est *certum*, profecto fundamentum quo adstrueretur *non vera* nequit esse *probabile*, ideoque non ingerit prudentem sui formidinem; qui tamen includeretur, uti didicimus ex S. Thoma, in conclusione opposita, sive probabilis esset sive dubia. Nihil igitur remanet nisi ut sit moraliter sive quasi moraliter certa illa opinio.

Tota idcirco vis argumenti sistit in majori. Hanc autem ut probemus, sedulo animadverti vellemus quod certus et nota-

bilis probabilitatis *excessus* ex se et spectata intrinseca sua vi, tantummodo constituit pro opinione *certum* fundamentum, quod sit *probabilis* imo opposita probabilior i. e. *verisimilis*, verisimilis magis, non vero quod sit simpliciter *vera*. Cum autem de essentia cujusvis probabilitatis solidae, in quocumque suo gradu, sit ut prae se ferat veritatis apparentiam, atque *possit* esse ipsa veritas, non vero ut sit reipsa veritas agnita (quod profecto esset contradictorium): quando S. Alph. scripsit certum et notabilem probabilitatis excessum, opinioni certum praebere fundamentum *quod sit vera*, potiusquam scriberet « quod *possit* esse vera »; debuit veritatem hujus suae assertionis aliunde quam ex intrinseca et essentiali vi istius certi excessus probabilitatis deducere: [1])

Hoc porro aliter confici posse non videtur quam *a posteriori* atque ex inductione. [2])

Experentia sane constat cuicumque moralia Doctorum scripta perlegenti, maximum plerumque animadverti dissensum inter eos, ubi probabilitatis excessus occurrerit aestimandus. Quisque suam opinionem probabiliorem censet: inde tot in hac materia controversiae. Ideo, quamvis satis facile possit certo constare de gravi alicujus opinionis probabilitate, de excessu tamen probabilitatis inter adversas opiniones dijudicare absque haesitatione plerumque non valemus: dum enim excessus iste uni inter classicos theologos videtur certus et notabilis, alteri apparet vel nullus vel exiguus: quod profecto indicium est dubii nedum certitudinis, in objecto dissensus. Inde sequitur quod si generatim conveniant Doctores in decernendo opinionem esse probabiliorem, causa huius consensus alia non suppetit

---

[1]) Videbimus cur ita sit, etiam infra, disp. III. punct. I. sqq.

[2]) S. Doctorem reapse *a posteriori* devenisse in hanc majorem statuendam, apparet ex epistolis CCXVII. CCXIX. (corr. spec.) in quibus suam mentem explicat, atque argumentum quod subjicimus aliud non est quam evolutio ipsius processus quem tenuit S. Doctor, ut fiet manifestum decursu hujus crisis, praesertim seq. sect. Punct. VIII.

praeter evidentiam et objectivam certitudinem ipsius notabilis excessus probabilitatis pro illa opinione. Atqui si generatim conveniunt Doctores in decernendo opinionem esse probabiliorem, jam haec sententia est *communissima* et communissima non est aliqua sententia nisi certum fundamentum habeat quod sit vera. Ergo certus et notabilis excessus probabilitatis *a posteriori* demonstratur, opinioni certum praebere fundamentum quod sit vera. — Dixi *communissima;* quia si graves inveniantur theologi qui ex non spernenda ratione ab aliis dissentiant, et in oppositam divertant opinionem, eam probabiliorem aestimantes, jam indicium inde et ratio prudens desumitur *dubitandi* de veritate excessus alterius; quo fit ut extra hypotesim transferamur. Idem est dicendum in casu quo communissime quidem conveniant DD. in asserendo opinionem aliquam esse probabiliorem, simul tamen agnoscant oppositam esse solide probabilem. Tunc enim vix continget aliquos graves auctores ex gravi motivo in oppositam non discessisse quam idcirco dicendi sint aestimasse *probabiliorem* ex prudenti ratione sibi probata, unde recidimus in hypothesim praecedentem quando quidem DD. communiter consentientes in judicium oppositam esse adhuc solide probabilem, *implicite* fatentur excessum probabilitatis alterius non esse adeo certum; vel non esse ita notabilem ut non sinat oppositam gravi adhuc probabilitate fulciri. Omnibus itaque perpensis vera omnino videtur illa primi syllogismi major ex qua totum suum robur S. Alphonsi ratiocinatio in citato textu mutuare dicenda est.

Duplici adhuc animadversione res majori luce potest suffundi.

Et primo quidem prae oculis jugiter habere oportet in materia morali certitudinem proprie dictam ex evidentia saepissime non dari; limites idcirco quibus certitudo moralis a magna probabilitate secerni possit, non mathematica quantitatis divisione determinari sed prudenti tantum boni rectique judicii aestimationi relinqui statuendos; argumentum autem veritatis pro hac aestimatione potissimum desumi ex consensione plurium sapientum in idem judicium, juxta legem moralem alias

a nobis memoratam (pag. 43. — cf. etiam S. Alph. theol. mor. edit. 5. a. 1763. dissert. n. LXXX. seqq. praesertim LXXXIII.) Tantum idcirco in re morali auctoritati defertur. — Unde legitimus convincitur processus a posteriori, quo demonstrationem ultimae assertionis S. Alphonsi censuimus esse conducendam; legitima convincitur et vere solida ultima ratio ad quam vim eius probandi reduximus. — Ratio etiam datur cur S. D. dixerit: « in eo casu opinio tutior.... est moraliter aut quasi moraliter certa; *saltem nequit dici amplius stricte dubia* »; veluti si dixisset: quoniam in re morali hujusmodi discrimina certitudinis et probabilitatis non possunt tam exacte delineari, opinio ista tunc quoad praxim aequivalet vel sententiae moraliter certae, vel opinioni probabilissimae, sive attingat, sive non attingat eorum praecisum gradum; quia saltem probari potest non esse stricte dubia: quod in praxi sufficit ne possimus ejus ratione, uti principiis reflexis.

Alterum menti revocandum, idipsum est quod ab initio jam pag. 18 innuimus: valorem nempe opinionis, ut tuto doceri possit tanquam pro praxi probabilis vel moraliter certa, vel quacunque alia nota affecta, non tam ex *privato* cujusque eruditi etiam theologi judicio, sed ex *publica* scholarum catholicarum aestimatione tanquam ex immediata norma esse metiendum. Nam dum alii graves DD. aliter sentiunt, grave usque superest praejudicium quo illius « privati » theologi sensus possit in dubium vocari. Eo sensu igitur S. Alph., (spectans nunc probabilitatem unice et exclusive in ordine ad praxim licite efformandi conscientiam certam ex principiis reflexis de honestate actionis ideoque ad inducendam obligationem), S. Alph. inquam, censendus est requisivisse ut opinio... esset certo et notabiliter probabilior, scilicet *publica in aestimatione* certo et notabiliter probabilior, quando asseruit *certo* et, uti saepe dicit, *sine ulla haesitatione* probabiliorem esse sequendam.

Coeteroqui idipsum satis aperte monuit S. D. in epist. 8. augusti a. 1769 ad P. Blasucci (*corr. spec. epist. CCXIX.)* scribens: « In primo luogo le dico che io non parlo delle sentenze

particolari: in queste ognuno deve seguire quello che gli detta la coscienza: parlo del sistema generale intorno al seguire la vera sentenza circa le opinioni probabili. » Cf. etiam *corr. spec.* epist. CLXXXVIII.) — Unde etiam in epist. CCXVII jam scripserat se non approbare in sua dioecesi confessarium qui vellet negare absolutionem poenitenti... qui tenet sententiam de qua *dubitatur* (si dubita, non è certo) utrum sit paulo minus probabilis. Ubi loquendo in genere: *si dubita, non è certo;* non vero dicendo: *il confessore dubita, non è certo;* aperte significat se loqui de dubio *publico*, non *privato.*

Id etiam confirmatur alia doctrina certissima, Nimirum: etiamsi mihi privatim praesto sit ratio qua excessum probabilitatis pro aliqua opinione arbitrari possim esse *certum* et notabilem; donec tamen *publice* uti talis non agnoscatur, jus per se non habeo eam cuicumque imponendi tanquam normam omnino sequendam, volenti oppositam potius libere in praxi retinere cui adhuc alii graves auctores suffragantur. Mea nova ratio prius a me aliis doctis nota fiat, cui, si vera est et certa, mox omnes assentient. — Hanc sane doctrinam S. Doctor Alph. in *theol. mor. l. VI. n. 604.* — in H. A. tr. XVI. n. 118-119 (collato *th. mor. l. 1. n. 84)* aperte docet et confirmat esse retinendam.

Pro me tamen ipso teneor me conformare sententiae cui tam *evidentem* et *certum* probabilitatis excessum agnosco suffragari: intelligo enim quod ideo dissentiunt adhuc Doctores quia hanc rationem non adverterunt: quam si adverterent, non amplius dissentirent et in idem placitum communissime convenirent. Pro me igitur dissensus qui reapse existit perinde esse debet ac si non esset, ideoque non valet solidum fundamentum mihi praebere ut utar principio reflexo. — Idipsum porro scripsit S. Doctor in dissert. italica an. 1765 cap. III. n. 81: « Chi giudica secondo il lume della ragione che l'opinione che stà per la legge è notabilmente o sia *certamente* più probabile, egli è tenuto ad osservarla, *quantunque* siavi contrasto fra dottori. »

Hoc nihilominus non officit argumento nostro, quia in isto casu agitur de sententia particulari, in qua singuli, ut audivimus paulo ante a S. Alphonso, debent sequi dictamen conscientiae. Quum autem in isto casu, mihi veritas *sufficienter* innotuerit, nequeo me gerere veluti si nondum innotuisset, quocumque tandem modo mihi innotuerit. (lege etiam caetera, in citato n. 81. illius dissertat.) — Sed iterum dico, requiritur ut ratio quam inveni sit omnino evidens et nova, secus prudentem formidinem non excludet. (De his cf. Lacroix *de consc. 375-386.*) — Apposite scribit Illsung *tr. 1. disp 1. n. 37:* « Neque obstat probabilitati sententiae, si tibi occurrat argumentum in contrarium (modo non sit metaphysice, physice aut moraliter evidens, alias certo scires reliquos errare) quod ipse solvere nequeas: quia prudenter potes ac debes cogitare posse illud solvi ab aliis doctoribus, etiamsi tu id non possis. »

Statuto itaque et *demonstrato* quod opinio certe probabilior est moraliter aut quasi moraliter certa, S. Alphonsus jam poterat, ut patet, statim concludere primam partem propositionis quam probandam assumpserat, scilicet quod si hujusmodi opinio « stat pro lege, eam sectari tenemur. » Quare ea quae sequuntur in textu citato, exhibentur a S. Doctore non uti *praemissae* [1]) ex quibus deducat suam primam conclusionem, aut ex quibus probet certo probabiliorem esse moraliter certam; sed ut *consectarium* moralis certitudinis ad quam jam aliunde probatum erat pertingere opinionem certo probabiliorem:

« *Unde* tunc *fit*, subjicit ipse, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris; adeoque non est prudentia sed imprudentia velle eam amplecti. »

Quibus verbis declaratur secundam partem propositionis quam praestituerat sibi probandam, nempe « nec possumus

---

[1]) Cf. diss. P. de C. n. 104.

tunc oppositam quae stat pro libertate amplecti; » evidenter consequi ex demonstratione prioris partis; jam enim praemiserat S. Doctor, uti vidimus, morali certitudini, vel quasi morali certitudini, quae uni parti favet, opponi ex altera tenuem vel dubiam probabilitatem.

Eamdem deinde secundam suae propositionis partem iterum confirmat scribens:

« Quoties enim intellectui certe apparet, veritatem multo magis stare pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa minus tutae adhaerere; siquidem eo casu homo non proprio judicio seu propriae credulitati innixus operaretur, sed potius per quemdam conatum, quem sua voluntate in intellectum inferret, ut a parte quae valde verisimilior sibi apparet removeretur, et ad partem quae sibi vera non apparet, imo quae videtur nec certum fundamentum habere quod possit esse vera, inflecteretur. » [1]).

---

[1]) Hoc S. Doctoris argumentum *praescindit* a quaestione quae agitabatur inter ipsos probabilistas, num voluntas physica libertate gaudeat imperandi assensum in partem minus probabilem. De qua controversia Illsung. anno 1700 scribit: th. pract. tr. 1. disp. 1. n 40. DD. communiter in affirmativam convenire, contra Candidum Philalethum Madritanum (P. Andream Blancum S. J.) Cardinalem Pallavicini, Paulum Laymann, Antonium Merenda, Antonium Coton, Martinum de Esparza. Ipse Illsung. l. c. n. 40-50 propugnat affirmativam scilicet intellectum posse non solum imprudenter sed etiam prudenter et honeste assentiri objecto minus probabili quam opposito. Verum, uti videbimus infra, Esparza et ipse idem docet in concursu opinionis solide probabilis, cum altera probabiliori quidem sed non omnino certe et evidenter probabiliori; porro in ea ipsa latitudine, reapse Illsung cum aliis suum assertum statuunt. Esparza vero negat posse assentiri minus probabili, tunc tantum quando est evidenter et omnino indubitanter minus probabilis. Potest conferri expositio hujus particularis controversiae apud Rassler: *norma Recti*, qui utriusque partis argumenta intrinseca satis accurate proponit (disp. III. n. 212-228), ipse

Istis verbis probat illicitum et imprudens esse *rei* assentiri secundum partem certe multo minus probabilem. Atque pro hac parte intelligit probabilitatem *tenuem* vel *dubiam*, quam ei competere jam ostenderat, sane non dicit tantum eam apparere *minus veram*, sed *apparere non veram* quod profecto idem est ac apparere improbabilem nec prudentem ingerere formidinem suae veritatis: imo expresse negat ipsi certum fundamentum *quod possit esse vera*, quod significat gravem et objetivam probabililatem in ea certo non inveniri.

Hoc posito evidens fit peccatum mendacii vel potius imprudentiae committi ab eo qui nisus improbabilitate rem eo sensu affirmaret: gradus enim adhaesionis ipsi rei per voluntatem imperatae, mensuram accipit a judicio prius elicito de ipso gradu probabilitatis. Si igitur intellectus prius certe judicavit rem isto

---

tamen potius anceps inter utrumque haeret atque concludit: « nec est cur diutius hujus quaestionis examini inhaereamus: cum nec illius resolutio magnopere faciat ad principalem controversiam de Probabilismo. »

Nimirum quaecunque teneatur ex istis sententia, supponitur dari judicium certum de gravi objectiva probabilitate licet minori, istius partis: jamvero hujusmodi judicium sufficit ad impediendum quominus alteri parti sine prudenti formidine errandi assentiatur ideoque cum morali certitudine etiam lata: unde si pars superior legi faveat, non obligabit. Aliis verbis liberatio ab obligatione legis vi principii reflexi, legem incertam non obligare, non supponit quod possim *reapse* assentiri parti legem neganti, sed tantummodo quod possim elicere judicium de *solida probabilitate* non existentiae legis. Atque ut hoc judicium elicere possim, sufficit ut *a parte rei* mihi appareat motivum solide probabile contra legem, sive affirmem cum formidine, sine non affirmem legem non existere. — Cum itaque argumentum S. Doctoris vim servet, quamcumque tenuerit ipse ex istis duabus sententiis ii qui affirmativam tenent, non possunt recusare assensum conclusioni S. Doctoris, etiamsi demonstraretur ipse tenuisse negativam, atque in sensu negativae sententiae urgere hoc loco argumentum; ut v. g. urget ipsum. Martin de Esparza in Append. art. 153.

sensu esse improbabilem, nequit statim dum hanc habet cognitionem certam, voluntate adigi ad judicandum rem probabiliter, multo minus certe ita se habere. Recole dicta in cap. 11, art. 1, pag. 10, 11 p. 2.

Subdit S. Doctor: Et huc facit illud Apostoli: omne quod non est ex fide peccatum est. » (Rom. XIV, 23). Scilicet hoc practicum imperium voluntatis non esset conforme conscientiae sive judicio dictanti: rem eo sensu esse improbabilem.

(Cf. explicationem hujus loci Apostoli quam ibidem n. 58 tradit S. Doctor Alphonsus.)

Ex hisce omnibus perspicue intelligi potest quo tandem vergat ratio illa quam, propositione sua enuntiata, immediate subnectit S. Doctor in 2. paragr. n. 56., de qua jam semel et iterum sermonem fecimus. « Ratio, quia ad licite operandum debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior. »

Jam advertimus n. 11 evidenter ex contextu. suppleri debere « certe » ubi dicit: opinio probabilior.

Prima pars majoris ut patet, in isto argumento est principium omnino generale se extendens ad licitum operandi modum in quocumque casu cujuscumque dubii, sive lati, sive stricti juxta illam divisionem auctoris, sive prudentis, sive non, sive positivi, sive negativi, sive theoretici sive practici. Atque hoc principium aliis verbis a S. Doctore n. 57 et 58 enuntiatur: « ad licite operandum requiritur moralis certitudo de honestate actionis; » conscientia scilicet practice certa. — Porro ipse S. Doctor n. 57 docet quod in ista controversia « supponere debemus.... quod haec certitudo haberi potest, non tantum ex directo, sed etiam ex reflexo principio quo moralis illa certitudo actioni communicatur. »

Ideo sensus illius enuntiati est: ad licite operandum in rebus dubiis debemus nobis efformare conscientiam certam de honestate vera actionis, primo quidem inquirendo directe veritatem, inventamque sequi, ipsi actionem conformando. At ubi

directe ad claram veritatis cognitionem pervenire non valemus si locus detur principio reflexo, debemus, ipso mediante, conscientiam veram et certam de honestate actionis nobis efformare.

Sequitur secunda majoris pars: ubi vero neque directe inveniri veritas de honestate actionis potest, neque mediante principio reflexo, tunc tenemur amplecti partem tutiorem, eam nempe quae propius ad veritatem accedit. — Hoc enim significatur illis S. Doctoris verbis:

« At ubi veritas clare... ad veritatem accedit... »

Hanc secundam majoris partem non probat hic S. Doctor, vel quia de ea conveniebant omnes antiprobabilistae, vel quia de sensu principii: *tutiorem partem in dubiis esse retinendam*, disputandi occasio infra in dissertatione n. 68, 79 occurrit. (Cf. etiam quae rescripsimus pag. 86.)

Minorem vero syllogismi innuit illa propositione relativa incidenti: « qualis est opinio (certe) probabilior, » atque est hujusmodi: Atqui ubi pro lege militat opinio certe probabilior, 1) veritatem clare, i. e. stricta certitudine ex evidentia directa invenire non possumus; 2) locus non datur usui principiorum reflexorum.

Ergo tutiorem, in isto casu amplecti debemus, ipsam nempe certe probabiliorem.

Minor quoad primum est evidens; quoad secundum probatur iis quae immediate sequuntur in textu S. Doctoris et a nobis jam evoluta sunt.

Scilicet: certe probabilior non potest dici stricte dubia. Atqui in solo casu stricti dubii licitus est usus principiorum reflexorum ad efformandam etc. Ergo. Vel etiam: certe probabilior est vel moraliter certa vel quasi moraliter certa. Atqui in isto casu, non licet usus... Ergo.

## PUNCTUM V.

### *In art. II. — Corollarium de dubio stricto et lato.*

Ex ista analysi textus praecipui S. Alphonsi in hac quaestione, jam evidens fit quid intellexerit S. Doctor per *dubium latum*, opinionem nempe quae licet stricte evidens et certa non sit, contra se tamen rationes non habet nisi leviter vel dubie probabiles. Coeteroqui hoc ipsum aperte docet in eadem dissertat. *n. 67*, in fine scribens respondendo objectioni auctoris Ephemeridum gallicarum qui dixerat opinionem minus probabilem pro libertate et ipsam efficere legem dubiam; argumentum idcirco S. Doctoris de certa probabiliori, nimis probare: « Sed respondeo quod cum opinio tutior est certe probabilior, eo casu (ut in principio hujus moniti praemisi) quamvis lex *omnino certa non sit*, attamen propter illam majorem probabilitatem opinio pro lege videtur moraliter verior et consequenter appareret moraliter ac sufficienter promulgata et ideo nequit dici tunc omnino dubia dubio stricto; remanet tantum eo casu *quoddam dubium latum* quod ab opinione tutiore discedere non permittit. » Porro n. 56 ad quem heic remittit, dixerat opinionem minus tutam remanere tunc aut tenuiter aut saltem dubie probabilem.

Inde immediate et logice sequitur *dubium strictum* de lege haberi quoties opinio pro libertate non est tantum tenuiter vel dubie probabilis, sed certe *graviter probabilis*; sive in aestimatione *singulorum* Doctorum habeatur ut minus probabilis licet solide, sive ut probabilior. Hoc sane tenuisse S. Alphonsus in praesenti textu omnino dicendus est, quamvis non doceat expressis verbis sed dubium strictum restringat ad casum aeque probabilium. Quod quidem ex dictis facile probatur.

Nam, quandoquidem probabilitatem heic unice spectat et dividit in ordine ad praxim, ut saepe monuimus, atque in ordine ad praxim non debemus criterium desumere tam ex

privato cujusque judicio de pondere singularum opinionum, quam ex aestimatione communiter tradita apud probatos auctores; ideo, quemadmodum S. Doctor tradendo suam regulam practicam de certe probabiliori, dicendus est intellexisse *publice* certe probabiliorem: ita tradendo alteram regulam de aeque probabili, dicendus est intellexisse *publice* habitam, ut aeque probabilem.

Atqui a posteriori, inspecto singularum controversiarum statu, *publice* non habentur ut aeque probabiles nisi opiniones quae a Doctoribus *singulis* aestimantur hinc minus probabiles, licet solide, inde probabiliores: Ergo dubium strictum de lege, juxta S. Alphonsi mentem in isto textu, habetur quoties opinio pro libertate, non tenuiter vel dubie, sed graviter probabilis est *sive in aestimatione singulorum Doctorum, habeatur ut minus probabilis licet solide, sive ut probabilior.*

Minor statim declaratur: non habentur publice ut aeque probabiles opiniones oppositae, nisi reapse pro utraque militent ex adverso graves Doctores. Atqui in hoc casu, suam quisque aestimat probabiliorem, (ut non semel advertit ipse P. Ballerini et ex professo docet auctor noster) oppositam vero minus probabilem: secus neutri adhaereret. Casus vero in quibus omnes et singuli abstineant ab alterutra sententia amplectenda, sunt de facto rarissimi.

Idcirco dici potest quod opiniones probabiles, si in statu spectentur quem in publica controversia apud probatos auctores habent, atque relate ad practicum usum, sunt vel certo probabiliores, vel aeque probabiles, vel tenuiter aut dubie probabiles: quia privato tantum judicio ut probabiliores aestimatae, publice plerumque ut dubie probabiliores haberi possunt.

Porro quod nunc probavimus, idem est ac illa conclusio quam saepius innuimus: nempe in sua regula de aeque probabili, S. Alphonsum aequalitatem intendisse in ratione tantum proprie dictae probabilitatis, praecisione facta a gradu quem scilicet ei singuli privatim tribuunt; non aequalitatem in gradu.

Coeteroqui S. Doctor in hac ipsa dissertatione idem non se-

mel innuisse satis clare videtur 1) quoties significat licitum esse usum principiorum reflexorum ideoque applicari regulam de aeque probabili, expresse distinguendo *dubium* et *opinionem probabilem*; vel opinionem *probabilem* et aeque probabilem, tanquam duos casus in quibus licitus est usus, ita v. g. n. 58 a principio: « quod si opinio quae stat pro libertate est tantum *probabilis* vel aeque probabilis ac altera quae stat pro lege .... »

n. 65 ab initio: « opinio denotat cognitionem *dubiam* aut *probabilem* alicujus veritatis; scientia vero cognitionem certam ac patentem. » Porro heic probat requiri scientiam legis, ut obliget.

2). Quoties allegat pro sua regula de aequiprobabili probabilistas qui eam certe illo nostro sensu intellexerunt, ut v. g. n. 65 et 66 in fine.

3) Ut jam alias diximus, quando docet n. 75, legem *incertam* non posse certam obligationem inducere: quod principium profecto generalius est quam principium de lege *dubia*, intellectum sensu stricto ab auctore nostro conficto, vel inaniter exhiberetur ut diversum a primo.

Sed haec jam sufficiant relate ad expositionem systematis S. Alphonsi quam tradit R. P. de C. sub n. 74.

## PUNCTUM VI.

### *In art. II. — De systemate S. Alph. post a. 1762. Exploditur primum Auctoris argumentum.*

In sequentibus ipse nititur demonstrare expositum systema esse aequiprobabilismum. Singula itaque ejus argumenta, pro nostro instituto prosequamur.

Primam rationem desumit sub n. 76, ex manifesta, ait, inter probabilismum simplicem atque doctrinam S. Alphonsi discrepantia. Sane illi docent quod licet sequi vere et solide probabilem, relicta... etiam vere probabiliori, ubi de solo licito vel illicito agitur (Gury); sive ut alii: etiam in concursu vere et

certe probabilioris legi faventis. S. Alphonsus e contra docet certe probabiliorem pro lege esse omnino sectandam.

R. 1) Ipse S. Doctor confessus est non quidem *manifestam* hanc contradictionem, sed ad summum *apparentiam quasi contradictionis*. Legatur sane ejus epist. 20 nov. 1769 ad Editorem Remondini (corr. spec. epist. CCXXVII.): in ea loquens de additionibus inserendis novae editioni II. A. « tra queste aggiunte vi è specialmente la prima, ciò è la più importante che ha bisognato farla da capo: perchè quella che ci stava era fatta secondo il modo antico e colli termini antichi, sicchè se ora uscisse l' H. A. verrebbe *quasi* a contraddirsi con quel che sta posto all' ultima ristampa della Morale grande etc. » Imo 1° martii 1764 ad eumdem Remondini, epist. CXXII, loquens de iis additionibus et mutationibus quae debuissent afferri editioni th. mor. recenter recusae: « dalla ristampa passata alla nuova che speravo di vedere, v' è differenza dal cielo alla terra; perchè secondo le aggiunte nuove s' è posta un' altra *assai maggior chiarezza alla morale* e specialmente al primo libro ch' è il capo di tutta l'opera etc. » Porro haec verba spectant ad dissertationem anni 1762, quae comparata ad doctrinam quam in 4ª editione oper. mor. professus erat S. D., ab eo dicitur *attulisse multo majorem claritatem controversiae*, neutiquam dicitur priori doctrinae contradicere.

Unde intelligitur quo sensu scribat in eadem epistola paulo infra: « almeno sarebbe bene far mutare quel trattato *de conscientia* ch' è il primo, nel modo ultimo da me fatto, perchè quel trattato antico (dico contro me stesso) è molto sconcertato. »

Sane in 3ª et 4ª editione quae per accidens recusa fuerat sine mutatione, quoad hunc tractatum in hac quinta, quaestio de probabili incomplete et praecisive agebatur. (Cf. Praef. apolog. V. A. supra citatam, pag. 140 sqq. nn. 13. 16. 18.)

Similiter quando deinceps incoepta est 6ª editio, S. D. scribebat (ep. CLXII. 15 sept, 1765) « questa mia ultima (dissertazione) viene molto più breve di quella che prima si stava nell' opera grande, ma viene una cosa molto più aggiustata ed

ordinata..... Questa (nuova dissertaz.) è una cosa molto diversa e molto migliore di quella che v' era. »

Et in epist. CLXIV. 6ª nov. 1765. « Nell'antica (dissertaz.) vi erano cose vecchie dette da altri, ma in questa sono cose nuove, specialmente per le nuove opposizioni fatte da Patuzzi .... onde questa dissertazione è una cosa singolare che non si trova in altri libri.... »

Haec sane non significant S. Alphonsum judicasse systema suum, uti posterius exhibebatur, revera contraire systemati quod prius docuerat; sed perspicuitate tantum, propositione magis accurata atque contra adversarios magis valida alterum priori praestare.

R. 2) Distinguo antecedens: istae duae propositiones enuntiant aliquid diversum: *concedo.* — vel sibi directe contradicunt, vel ex altera deducitur contradictorium alterius, *nego.*

Sane jam ostendimus S. doctorem hoc suum assertum statuisse de opinione quae in publica scholarum aestimatione et apud graves Auctores eam diligenter perpendentes, habetur ita certe et notabiliter probabilior ut simul non agnoscant solidam probabilitatem oppositae: nam de illa sola potest *quisque* « sine ulla haesitatione » asserere certum et notabilem ejus excessum prae altera opposita.

Atqui certissime non de ista loquuntur probabilistae, quando docent, quod licet sequi vere et solide probabilem, relicta vere et certe probabiliori pro lege. Ergo licet S. Alphonsus et probabilistae diversum duabus illi propositionibus enuntient, non tamen sibi directe contradicunt.

Minor multipliciter demonstrari potest. Primo quidem jam notissimum omnibus est probabilistas unanimiter docere a sententia quae communissima est in scholis non esse recedendum, nisi nova nondumque ab ullo perspecta et evidentissima ratio in contrarium nos deduxerit. Quae, ubi coeteris fuerit manifestata, scholarum sensum mox saltem dividet, sin etiam in oppositum convertat. Imo idipsum monent pro sententia etiam communi tantum, nedum communissima. — Ergo aliis verbis

reapse idem omnino docent, ac S. Alphonsus de sententia certe et notabiliter probabiliori.

Praeterea thesis haec probabilistica, vel obiter inspicienti eamque cum illa alphonsiana comparanti inversam in ipsa etiam forma se exhibet: dum S. Alphonsus hinc asserit certe probabiliorem, relicta certe et notabiliter minus probabili, esse sectandam: probabilistae illinc non resumunt subjectum propositionis principalis S. Alphonsi sed subjectum propositionis incidentis per ablativum absolutum enuntiatae, atque ipsum resumunt non in sensu a S. Doctore explicite adhibito, sed in sensu quem excluserat, ac de subjecto ita intellecto affirmant *explicite* idipsum quod S. Doctor de eo *implicite* et tacite concesserat eo ipso quod altero tantummodo sensu, negaverat. Duae illae assertiones igitur non enuntiant contradictorium vel contrarium de eodem subjecto sub eodem respectu. Ergo.

Tertio nec propositio incidens probabilistarum directe contradicit propositioni principali S. Alphonsi nam Probabilistae propugnant ista propositione, eam solam probabiliorem libere posse relinqui, cui solida adhuc opponitur probabilitas. Imo de hac oppositae solida probabilitate in recto instituunt thesim probantque eam libere posse retineri: eo sane convergunt eorum argumenta, ut videre licet v. g. apud Gury n. 60, ab auctore nostro citatum, Busembaum, de consc. c. 2. d. 2. — Croix n. 282. 289. Laym. de consc. c. V. §. II. n. 7. etc. — Atqui non de hujusmodi probabiliori suam thesim statuit S. Alph. Ergo.

Quarto: Probabilistae propugnant opinionem in publica scholarum aestimatione solide et certe probabilem posse retineri pro libertate. Atqui quando opposita est in scholarum aestimatione publica certe et notabiliter probabilior, sensu a S. A. intellecto nunquam contingit alteram esse certe et solide probabilem.

Ergo docendo simul oppositam certe et solide probabili, etiansi sit vere et certe probabilior, posse relinqui, non loquuntur de certe et notabiliter probabiliori, quam retinendam dicit S. Alphonsus.

Nullatenus itaque sibi directe contradicunt illae duae assertiones.

At neque ex thesi probabilistica deducitur contradictorium thesis alphonsianae. Cuipiam sane videretur ex ipsa thesi alphonsiana posse *negari suppositum* thesis probabilistarum, dari reapse certe probabiliorem cui opponatur solida et vera probabilitas in altera parte.

Cui respondemus probabilistas, ut paulo ante dicebamus, *a)* suum principium statuisse de opinione probabili et probabiliori, prout hujusmodi in publica scholarum aestimatione esse judicantur: quandoquidem principium statuunt in ordine ad practicum usum principiorum reflexorum atque sub hoc respectu non spectatur tam privata cujusque, quam publica et communiter recepta opinionis aestimatio.

*b)* Nihilominus, et hoc sedulo advertendum, quando in hac opinionum probabilium consideratione in ordine ad praxim, loquuntur de opinione probabili, probabiliori, minus probabili, non intelligunt istos gradus in sensu novo ex nova stabilita divisione, (uti diximus de S. Alph.) sed in eodem sensu quo probabilitatem in se spectatam in praenotionibus diviserant. Quod statim patet aperiendo quemcumque eorum tractatum de conscientia.

*c)* Inquirunt imprimis utrum opinio minus tuta absolute et relative spectata sit graviter probabilis. Inde probabilior quam statuunt posse relinqui non est nisi ea cujus jam constitit oppositam esse adhuc solide probabilem.

Igitur quando hujusmodi opinionis excessum dicunt *certum*, intelligunt eam certitudinem quam hic excessus praeseferre potest in sensu composito cum solida probabilitate oppositae opinionis.

Atqui in talibus adjunctis certitudo excessus non potest esse nisi fere illa « certitudo probabilis » quam ex S. Thoma didicimus niti testimonio *plurium* fide dignorum, et in nostra materia probatorum doctorum.

Ergo quando hujusmodi excessum dicunt certum intelligunt

certitudinem probabilem tantum et eam quidem quae ex *plurium* auctoritate exsurgit.

Major jam ex praemissis patet.

Minor ut declaretur, satis est meminisse, quod non semel jam innuimus, facilius scilicet singulis quibusque theologis constare posse de certitudine solidae probabilitatis singularum opinionum, quam de certitudine *excessus* probabilitatis unius opinionis prae opposita quam constat jam esse solide probabilem. Ipse enim dissensus gravium DD. in adversas partes, dum argumentum est, jam ex se solo moraliter certum solidae utriusque probabilitatis, argumentum etiam moraliter certum est *dubitandi* de *excessu* unius opinionis prae altera.

Etenim tam unius partis patroni quam alterius, suam quisque probabiliorem exitimant; idipsumque indicium est quod, si vellemus ex motivis intrinsecis litem de *excessu* dirimere, vix unquam in hujusmodi casu, *certo* asserere possemus excessum uni determinatae parti favere. Quare nihil superest ad dijudicandum qualis sit in hisce adjunctis aestimatio publica de *excessu* probabilitatis, nisi ut ad *numerum* et *pondus* DD. utrinque dimicantium comparandum recurratur atque haec est suprema norma certitudinis adipiscendae in judiciis directis de probabilitate, utrinque subsistente, nec majorem certitudinem assequi in eis possumus. Ergo quamvis reapse non sit quam *major* probabilitas, ex impossibilitate in qua versamur firmioris inveniendi fundamenti, certitudinem eam vocamus, certitudinem nempe probabilem, quae ex plurium testimonio exsurgit.

Eo sensu igitur probabilistae, supposita certe nota probabilitate unius opinionis, statuunt alteram oppositam etiamsi sit vere et certe probabilior, posse impune relinqui.

Reapse, conferantur, quaeso, singulae controversiae in quibus suum posse applicari principium Probabilistae contendunt, atque ea singula quae nunc asserta sunt, adamussim verificari invenientur.

Ipse S. Alph. ann. 1756, in apolog. prima (pag. 7) eodem sensu scripsit: « Non ho avuto poi difficoltà di chiamare pro-

babili certe opinioni, ancorchè la mia mi fosse paruta più probabile, perchè io tengo per certo, potersi dare (almeno speculativamente parlando) [1]) opinioni che sieno veramente probabili ancora in concorso delle probabiliori etc. »

At vero haec supposita a probabilistis certitudo excessus probabilitatis est prorsus alia a certitudine quam in suo principio S. Alphonsus intellexit, nec ullatenus haec, si in quibusdam sententiis inveniatur, impedit quominus illa in aliis reperiri possit, ut per se patet et inductione facile probaretur.

Ergo ex principio S. Alphonsi nequaquam potest negari suppositum principii probabilistici.

Reapse neque S. Doctor hoc suppositum negavit unquam, ut infra fiet manifestum, sed advertens probabilioristas ex una parte asserere sine distinctione opinionem certe probabiliorem pro lege non posse relinqui; ex altera parte probabilistas affirmare in concursu probabilis contra legem, certe probabiliorem pro lege posse relinqui, advertit etiam adversarios in diversa hypothesi loqui ideoque utriusque partis assertioni distinctionem esse adhibendam. Distinxit itaque illam probabilioritatis certitudinem: si nempe *vere certus, sine haesitatione* posset praedicari excessus, professus est Alphonsus se esse « il vero probabiliorista » (corr. spec. epist. CCXVII.) et adjunxit « tutiorista no » ut significaret se cum illis in *conclusionem* eo sensu intellectam convenire, non in argumenta eorum, ex principio de parte tutiore sequenda: quo argumento recidebant in tutiorismum: « chi dice poi che fra due probabili eguali dee seguirsi la più tuta, costui è tutiorista, non già probabiliorista. » epist.) CLXXXV.) — Si vero illa probabilioritatis certitudo intelligeretur sensu largiori quem paulo ante explicavimus, tunc rur-

[1]) Is'a parenthesis nequaquam innuit sensum illum quo Auctor dividere voluit opinionem probabilem in practice et speculative probabilem (recole pag. 82. huius crisis) sed a S. Doctore refertur ad illos casus de valore sacramenti, in quibus practice tenemur sequi tutiorem, uti patet ex contextu sequenti.

sus advertit eam reapse non esse nisi *majorem probabilitatem* ipsius excessus, imo plerumque propter dissensum gravium doctorum et ipsam dubiam. Unde censuit in ordine ad practicum usum principiorum reflexorum qui supponit probabilitatem non *private* spectatam sed *publice*, ut saepe diximus, excessum in eo casu improprie et minus exacte vocari *certum*, meliusque dici *dubium:* propterea enuntiata sua regula de certe probabiliori, subjunxit: « e qui son contrario al sistema de gesuiti. » et alibi (epist. CCXIX.): « è tolto ogni equivoco »; quia nempe probabilistae non distinguentes *explicite* sensum quo dicebant *certum* excessum opinionis in suo principio, ansam adversariis praebere videbantur ut arguerentur de laxismo.

(Quae tamen calumnia reapse originem habuit potius ex praejudicata opinione probabilioristarum, [1]) quam ex indole probabilismi ipsius, praesertim si thesis ejus proponeretur formula quam ex recentioribus probabilistis desumpsimus; in ea quippe jam satis aperte innuitur sensum quo intelligunt certitudinem excessus, in substantia principiis S. Alphonsi non contraire. At aevo S. Doctoris, omnes non loquebantur uno modo, unde facile irrepere potuit in ipsam doctrinae propositionem error accidentalis apud aliquos, qui tamen in substantia systematis, sana principia retinebant.)

## PUNCTUM VII.

***In art. II. — Corollarium: qua ratione Auctor statum quaestionis perverterit.***

S. Doctor idcirco non tam *vero sensui* principii probabilistici se professus est contrarium, quam *modo* aliquatenus aequivoco, quo hic sensus *enunciabatur* habita ratione praejudiciorum

1) Ita v. g. in epist. CLXVIII. 7. jan. a. 1765 S. Doctor scribit: « mi dispiace che li signori letterati stanno col pregiudizio che non si stima

adversariorum; utque omnem removeret aequivocationem, principium suum de certe probabiliori statuit. Quum tamen probabilistae vero hujus alphonsiani principii sensui et ipsi in complexu suae doctrinae adhaererent, [1]) ex principio illo S. Doctoris non potest magis deduci quidquam contra principium probabilisticum, quam ex ipsa probabilistarum doctrina de communissima.

Comparatio itaque urgenda potius est hujus principii probabilistici cum altera systematis alphonsiani parte, quacum in materia convenit.

Mirabile ideo est, nec possumus assequi quomodo Auctor qui statum quaestionis intellexisse est saltem praesumendus, scripsit ab initio n. 75. se « alteram questionem (quam S. Alphonsus dicit se « velle latius discutere ») missam facere: » rationemque dederit, quia « nostris temporibus lis tantum viget inter probabilistas et aequiprobabilistas; dum alteram questionem « S. Doctor tractavit contra probabilioristas ».

Verum ratio ista sufficiens non apparet. Nam cum probabilioristae sint adversarii communes tum probabilistarum tum aequiprobabilistarum, discrepantia vel identitas inter systema alphonsianum et probabilismum, non tam in *qualitate* adversariorum quos Alphonsus impugnabat, quam in *modo* et in principiis quibus eos impugnavit, inquirenda erat. Atqui iste modus, ista principia maxime apparent in altera systematis parte in qua ab illis dissentit, minus in parte prima in qua cum illis consentit. De hac utique inquirendum prius erat utrum probabilistae cum S. Alphonso consentiant necne; non vero ad eam solam investigatio restrigenda.

---

letterato chi non va alla moda in diffondere il tutiorismo, cosa di gran rovina per le anime. Il partito di Francia si è sparso per molti regni cattolici e trionfa e frattanto le anime vanno a rovina. »

[1]) Ipse S. Alph. corr. sp. CLXXXVIII. scribit; « quando l'opinione per la legge è notabilmente più probabile con eccesso, allora *dicono gli stessi autori nostri probabilisti* che dee seguirsi l'opinione per la legge etc. » — 25 maggio 1767.

Nos porro statuimus primo verum sensum quo S. Doctor istam partem primam definiverit. Inde ostendimus eo sensu probabilistas in eam convenire. Nunc ergo superesset inquirendum utrum alterum principium S. Doctoris de aequiprobabili sit substantialiter identicum an diversum a probabilismo quem tuemur. At potius quam ex professo separata de hac re instituatur disputatio, quandoquidem crisi nostrae auctorem disserentem prosequi convenit, ubicumque opportuna se exhibuerit occasio, identitatem alterius principii alphonsiani cum nostris omnimode demonstrare neque omisimus, neque in posterum omittemus.

Atque in epistolis ab Auctore in praesenti citatis jam indicium apparet quo liceat arguere hanc de aequiprobabili regulam iuxta S. Doctoris mentem ad totam extensionem principii probabilistici esse protendendam.

Sane P. Petrus Paulus Blasucci qui ex praecipuis sodalibus ejus Congregationis erat, Sancto Patri eamdem proposuerat difficultatem, quam jam semel et iterum audivimus ab ipso Alphonso, allatam sibi fuisse a quodam scriptore ephemeridum Gallicarum. (Cf. th. m. l. 1. nn. 67. 88. — Corresp. spec. epist. CCXIX.) Porro quamvis ille dixisset: « quindi vedo che V. R. difende il probabile gesuitico non l'equiprobabile solo »; S. D. tamen alias distinctiones in duabus epistolis non dedit praeter illas quas heic recensuimus et in fine fuit contentus ex *eo solo* quod P. Blasucci concessisset: « esser lecito l' uso dell' equiprobabile perchè allora la legge non è promulgata. » (ibid.) et ab initio ejusdem epistolae: « mi ha sollevato e consolato, mentre vedo che IN SOSTANZA DICIAMO LO STESSO. »

Dum e contra si tenuisset casum expressum in principio probabilistico non reduci ad regulam de aequiprobabili, simpliciter negare debuisset se defendere probabile jesuiticum, non vero allatas adhibere distinctiones.

In epistol. CCXVII. scripsit etiam; « la legge... non obbliga se non è promulgata. Quando vi sono due probabili, non è promulgata la legge, ma è promulgato solamente il dubbio se vi è o non vi è la legge. Quando dunque vi è l'equiprobabile, la legge, come dubbia, non obbliga. » — Quibus verbis principium generale majoris debet intelligi, (quia nihil aliud exprimit), de aequalitate in ratione solidae pro-

babilitatis praecisione facta a gradu, dummodo utraque opposita hanc servet solidam probabilitatem. — At in conclusione S. D. non dicit amplius « due probabili » sed dicit « l'equiprobabile. » Ergo logice intelligit dari « l'equiprobabile » in tota *extensione* termini « due probabili » in majore adhibiti. — Secus debuisset explicare cur conclusionem restringeret magis quam ferret extensio terminorum in praemissis Hoc autem non explicat: ergo neque restrinxit.

Praeterea in eadem epistola scribit « E tutti, anche gli antichi autori dicono lo stesso: S. Tommaso, Nyder, S. Raymondo, Armilla, Gersone, S. Antonino, ecc. dicendo che niuna cosa dee condannarsi di peccato, se il peccato non è certo. » Immediate autem antea propoposuerat principium de aequiprobabili.

Ergo aperte confitetur tantum patere regulam de aequiprobabili, quantum ista regula de incerto. Atqui regula haec de incerto, indubitanter comprehendit in sua extensione omnes casus in quibus datur solida probabilitas contra legem; atque reapse ea dari potest etiam si opinio pro lege a pluribus aestimetur probabilior. Ergo ex aperta confessione S. Doctoris, regula de aequiprobabili ad casus regulae probabilisticae etiam se extendit.

Sed hisce nunc supersedendum ut Auctoris demonstrationem prosequamur.

## PUNCTUM VIII.

### *In art. II; — Expenduntur duae epistolae S. Doct. ab Auctore allegatae.*

Sub n. 78 sex vel octo textus ex epistolis S. D. et unus ex opere H. A. excerpti leguntur ad confirmandum systema ejus non solum a Probabilismo simplici multum discrepare sed etiam ei e diametro opponi.

Omnia porro hic allata ad duos medios terminos reducuntur: primus est S. Doctorem profiteri se rejicare systema vel doctrinam *Jesuitarum*; — alteri: probabilismum Jesuitarum et quasi communiter ab auctoribus saeculi immediate antecedentis retentum esse *laxum*.

Ad haec 1° GENERATIM RESPONDEMUS; Interpretatio istorum textuum ab auctore proposita ipsum S Doctorem in contradictionem inducit sane: prae oculis habeantur sequentia documenta:

Ep. CCLIV. 14 maji 1772. « Dicono che siamo Gesuiti per tirarci l'odio della Corte. Sieno benedetti! Predicatelo e pubblicatelo tutti che noi siamo contrari, ed io il primo, alle dottrine dei Gesuiti. Parlo delle dottrine che non sono buone perchè delle buone non ne possiamo dire male etc. »

Ann. 1748, in praefatione ad Lectorem 1. edit. theol. moralis, S. Alphonsus enumerat praeter Busembaum *decem probatos* auctores ex quibus explicationes et additiones suas ad medullam, desumpsisse profitetur. Porro ex istis decem, septem sunt Jesuitae, quos inter *locum* habet et Lacroix. (Cf. corr. special. pag. 10). — Cf. etiam dissert. ann. 1762. n. LXXXVII. ubi nominat triginta septem *classicos*, quorum quatuordecim sunt e soc. Iesu. — In dissert. vero ann. 1749 pag. 65 viginti septem enumerat quorum quatuordecim rursus sunt Iesuitae, et nominatim Busembaum.

Jam anno 1756, cum pararet tertiam edit. theol. mor. scripserat: epist. IX.) « se fosse (revisore dell'opera) qualche Padre Gesuita, sarebbe il migliore; *perchè questi in verità sono maestri di morale.* Ed infatti i Gesuiti in Napoli sono giunti a lodare anche in pubblico il mio libro. Solamente alcuni han detto che in certe cose io sono stato molto stretto Ma come dico, mi è piaciuta la via di mezzo. » — Epist. X. 30 mart. 1756 « Sento consolazione ancora in sentire che V. S. farà rivedere (il libro della Morale) da un Padre Gesuita.... attenendomi io per lo più alle opinioni dei PP. Gesuiti..... essendo le loro opinioni nè larghe nè rigide ma giuste. E se io tengo qualche opinione stretta contro alcuno scrittore Gesuita, la tengo forse quasi sempre coll'autorità di altri scrittori Gesuiti, da quali confesso avere imparato quel poco che ho scritto; perchè essi (come dico sempre) sono stati e sono i maestri della morale. E non è vero che i Gesuiti hanno seguito l'un l'altro come pecore (come dicono alcuni rigoristi) ma in molte opinioni l'uno scrittore è contrario all'altro. E così io mi son regolato secondo meglio mi ha paruto secondo la coscienza. E molte sentenze, benchè io non l'abbia ammesse per probabili, nulladimeno non l'ho espressamente riprovate. E così V. S. non dubiti che io non sono molto stretto ma neppure molto largo..... ho tenuto e tengo il sistema del probabilismo, non già del probabiliorismo ossia rigorismo. Faccia dunque ve-

dere l'opera a qualche P. Gesuita, che non gli dispiacerá; e specialmente avrei a caro, che ci dasse un' occhiata il P. Zaccaria, che io lo tengo (come ho scorto dalle sue opere) per un P. molto dotto ed equo nelle sue opinioni, nè largo, nè rigido. » — Epist. XI rursus dicit Iesuitas esse magistros in re morali; laudat adnotationes P. Zaccaria qui revisor erati operis et in fine: « se i PP. Gesuiti hanno qualche stima della mia opera, la prego a dir loro da parte mia che quel poco che so di morale (che è stato lo studio mio per lo spazio di più di 30 anni) da essi io l'ho imparato. »

Deinceps, ann. 1761 epist. LXXX. « sappia che dai probabilisti io sono stimato e chiamato rigorista in più opinioni; perchè in verità non mi fido di approvarle: e molte sentenze dei Gesuiti, io l' ho riprovate come larghe. — Del resto non mi fido all'incontro di abbracciare il rigore estremo di certi moderni, che vogliono indurre l'anima alla disperazione. — Del resto chi scrive di Morale, per quanto si tenga nella via di mezzo, ha d'avere contradittori. Benedetto XIV. però (questa fu la lode che mi diede nella sua lettera) disse che l'opera mia sarebbe gradita universalmente e seppi da altra parte che il Papa mi lodava per essere io equo nelle opinioni. » Haec autem Bened. XIV. epistola data fuerat septimae Editioni theol. moral. anno 1755. huic Pontifici dicatae.

Quibus praemissis sic arguimus ex ipsa indole totius theologiae alphonsianae prout nunc prostat:

*a*) Perlegenti editiones theol. moralis recentiores tribus primis, statim apparet S. Doctorem posse dici, quemadmodum in primis editionibus *ita et in posterioribus* plerumque retinuisse opiniones Iesuitarum ac, si quando strictiorem approbat, fere semper auctoritate niti aliorum Iesuitarum.

*b*) si autem aliquando rigidiorem amplectitur opinionem contra sensum communiter ab omnibus Iesuitis auctoribus retentum, eum ab illis abduci non tam ratione systematis substantialiter diversi, quam vel ratione noviter inventi convincentis, argumenti, vel ratione *subjectivi judicii et aestimationis* qua in *particulari quaestione* argumenta perpendit atque judicat de *excessu* probabilitatis, jam vidimus autem hoc de excessu probabilitatis judicium ex sapientum prudentumque aestimatione fere unice esse proferendum. — Unde non ratione systematis, sed ratione particularis istius et subjectivi criterii, ipse Alphonsus te-

statur se fuisse a Probabilistis appellatam rigoristum (epist. LXXX. anni 1761).

Atqui si ita est, spectata indole ejus theologiae, *etiam post annum 1762*, quemadmodum ab initio, Alphonsus profiteri potuisset Iesuitas esse magistros in ista scientia, ut reapse aliis verbis professus est v. g. anno 1768: et infra legemus in epist. CCIX.

Si ergo textus ab auctore relati, sumi deberent prout jacent, atque ab auctore intelliguntur, S. Doctor a tramite sanae doctrinae post annum 1762 aberrasset, vel sibi turpiter contradixisset, dum ore Iesuitas diffiteretur, opere Iesuitarum doctrinam adhuc retineret. Haec itaque animadversio magnum jam inducit praejudicium contra veritatem exclusivae interpretationis auctoris nostri. Revera:

Respondemus 2° Hujusmodi textus alium omnino adspectum et indolem praeseferre si in contextu epistolarum legantur, et alium si detruncati et congesti, ut exhibentur ab auctore nostro. Singula idcirco resumamus.

PRIMO. Objiciuntur verba ex epist. CCXVII. corr. spec. de qua paulo ante jam sermonem fecimus. Porro in ea epistola praeter verba ab auctore relata S. D. scribit etiam: « è vero nondimeno che quando la rigida è certamente più probabile allora è ancora con molta preponderanza più probabile. » Et antea jam scripserat Patri Villani, pro norma omnium sodalium qui ibi erant (epist. CLXXXVIII.) inter alia: « quando l'opinion per la legge è notabilmente più probabile con eccesso allora dicono gli stessi autori nostri probabilisti che deve seguirsi l'opinione per la legge etc ». — Ergo in hoc certe non adversatur probabilistis. Nihil remanet igitur nisi ut adversetur ipsis in eo quod dicat *certe* probabiliorem non esse nisi *notabiliter* probabiliorem, seu, ut scribit in epist. CCXVII: « quando la preponderanza è poca, allora è *dubbio* se sia più o egualmente probabile. » dum e contra dicunt probabilistae vere et *certe* probabiliori posse etiam opponi vere et certe probabilem opinionem. — Atqui jam vidimus quod sensus hujus effati probabilistici non opponitur sensui effati alphonsiani, oppositionemque inter utrumque effatum non esse nisi apparentem unde S. Alphonsus eatenus probabilistis adversatus est quatenus

*distinguere* voluit illam certitudinem excessus. — Ergo reapse ex eo quod Alphonsus scripserit in ea epistola se probabilistarum systemati adversari, nihil pro thesi auctoris deducitur.

Praterea jam multoties diximus S. Doctorem pro dubio lato intelligere dubium ex motivo levi vel dubie probabili.

Ergo ex aliis verbis ejusdem epistolae heic relatis, rursus nihil concludi potest.

DEINDE. Affertur epistola CCXI (corr. spec.) in qua S. Alphonsus narrat editori bassanensi sui operis moralis, revisorem librorum exterorum Neapoli, retulisse delegato gubernii qui impedire voluerat quominus exemplaria Venetiis transmissa Neapolim, reciperentur, « che avendo letta la mia Morale, era aggiustata nelle sentenze e che in quanto al sistema della Probabile, io non seguito quello dei Gesuiti ma vi son contrario; mentre i Gesuiti ammettono la meno probabile, ma io la riprovo. — » Et statim prosequitur ipse Alphonsus: « or basta: — sentendo ciò ed altro, il Sig. delegato ha dato licenza assoluta che s' introduca e si ammetta la mia morale etc. » — atvero heic non Alphonsi sed revisoris istius testimonium habemus: imo S. Doctor addendo relatis revisoris verbis: *or basta*: « nunc sufficit, » evidenter significat se ea non amplius quam historice retulisse, neque immorari velle in explicando sensu quo forte vera vel falsa forent, cum haec explicatio ad finem conscriptae epistolae non conduceret.

## PUNCTUM IX

***In art. II. — Expenditur alia S. Alph. epistola ab Auct. non allegata.***

Nisi quod apertissimae dantur aliae epistolae in quibus idem omnino S. Doctor proprio nomine dicit: ita v. g. novem ante dies, (epist. CCIX). eidem Remondini scripserat: « il mio sistema poi della Probabile, non è quello dei Gesuiti, perchè io

riprovo il poter seguire la meno probabile CONOSCIUTA, come dicono Busembaum, La Croix e quasi tutti i Gesuiti che ammettono la meno probabile. » — Iterum tamen, exinde nihil pro Auctoris thesi. Nam quod supra diximus de sensu quo probabilistae asserunt posse esse *certum* excessum probabilitatis, in una parte, praesupposito quod constet de solida absoluta et relativa probabilitate alterius; idem omnino dicendum de sensu quo tenent posse esse *certam* gradus inferioritatem in parte minus probabili, praesupposito quod sufficienter constet eam adhuc solide esse probabilem. In hoc idcirco eorum effato de minus probabili, eatenus tantum eis adversatus est S. Alphonsus, quatenus voluit distinctius et explicite determinare certitudinem depressionis, qua posita, opinio a solida excideret probabilitate.

Adeamus sane Busembaum et Lacroix a S. Doctore nominatos. Ille tract. de consc. cap. II dub. II. scribit: « absque peccato licet sequi opinionem probabilem etiam alienam et minus tutam.... relicta probabiliori et tutiore propria: seclusa tamen omni injuria, et periculo proximi, et dummodo opinio quae eligitur, adhuc sit probabilis. Est communis Doctorum quos citat et sequitur Laym. et Bonacina..... Dixi 3. *si adhuc sit probabilis:* quia si probabilitatem amiserit, ob aliquod decretum in contrarium, vel gravem censuram, vel *rationem gravem de novo inventam, quae difficulter refutanda videatur*, non habet locum responsio. »

His verbis evidenter licet maxima concisione distinguit duplicem gradum adhaesionis judicio de probabilioritate unius partis et consequenter de *minori* probabilitate alterius: primus est quo opinio judicatur et vocatur *probabilior simpliciter*, dummodo in tuto sit posita gravis et solida probabilitas oppositae; alter est quo probabilior vocatur ex fundamento *de novo* invento, ideoque quod DD. oppositae faventes non perspexerunt, quodque sufficienter solvit rationes oppositas, easque leves efficit. — jam vero hic alter gradus est evidenter ipsissimus notabilis excessus quem S. Alphonsus ponit in sua prima regu-

la; primus vero ille gradus est quem S. Doctor ponit in secunda regula: discrimen solum apparet in modo loquendi: dum Busembaum nec in priore nec in altera suae regulae parte, expresse dicit judicari *certam* probabilioritatem; cui omissioni S. Doctor in sua aestimavit esse supplendum. Inde tamen non sequitur quod Busembaum negaverit *sensum* primae regulae S. Alphonsi; sed evidenter sequitur ipsum ei assensisse, idemque aliis verbis docuisse.

Adeamus Lacroix: iste L. I n. 268. ponit suum Quaesitum « quibus argumentis probetur licitum esse sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. » In his porro non dicit: « opinionem *certe* probabilem, » sed ita eam intelligit, sicut ex professo monet in fine n. 368: atque nn. 119-133 explicaverat qualis opinio censeri possit *certe* probabilis qualis dubie probabilis. Ex altera vero parte, non dicit: relicta *certe* probabiliori; intelligit igitur aestimari hunc probabilitatis excessum eo modo et ea certitudine qua suapte natura, in sensu composito solidae probabilitatis alterius partis, aestimari potest, ut supra explicavimus. Imo hanc nostram explicationem et ipse eamdem in substantia tradit docens n. 263-66 motivum minus *imperfecte* tantum elidi motivo majori si sint diversae rationis; perfecte si ejusdem rationis; et n. 149 majorem probabilitatem dijudicari non *solo* numero DD. sed praecipue pondere rationis intrinsecae; ideoque utroque simul, gravium auctorum praecipue auctoritate perspecta, ut diximus supra.

Et antea ipse cum omnibus probabilistis expresse docuerat certitudinem moralem (quae nempe jam sufficit ad ligandum, si legi faveat) « duplicem esse, perfectam et imperfectam; » « cum S. Thoma universaliter pronuntiaverat materiam moralem talem esse ut ei non conveniat perfecta certitudo. » (n. 179.) — Dixerat quod: « universaliter valet: si haec sententia sit certa, opposita non est probabilis et si ista sit probabilis, opposita non est certa; » quod « quandiu pro opposita manet grave motivum sive ratio prudens et magni momenti, tamdiu haec manet probabilis et consequenter altera

non est certa. » (n. 180) — Quod « certitudo moralis resultare potest ex multis conjecturis probabilibus simul sumptis » addúcens ipsum textum S. Antonini quem in disp. III referemus. (Lacr. n. 184).

Verum quidem est quod e contra docuerat etiam (n. 180), « ut aliqua sententia sit moraliter certa, non sufficere quod sit longe probabilior aut etiam probabilissima, per hoc enim nondum excedit terminos probabilitatis, neque opposita *ideo* est improbabilis. » Sed hoc dicit ad praecisum gradum, quantum fieri potest, determinandum certitudinis moralis, in *oppositione* ad probabilitatem, spectata tantummodo *vi motivi*: haec ejus enim mens patet ex ratione quam addit: opionem large probabiliorem et probabilissimam non excedere probabilitatis fines: dum moraliter certa sententia eos excedit. Patet etiam ex eo quod dicat: *per hoc* enim nondum etc. — et *ideo* improbabilis: quibus significat oppositam non fieri improbabilem, praecise *vi solius* excessus alterius opinionis, nec excessus *per se* valere ad improbabilitatem oppositae tribuendam. — Non vero dicit hoc, spectando opinionem probabilissimam et multo probabiliorem relate ad praxim et ad usum licitum principiorum reflexorum; nam sub hoc respectu *non opponuntur* sententiae moraliter certae.

Sed vult significare eas non recidere in certitudinem moralem, nisi oppositae reapse et certe deficiat ratio gravis, nec sufficere ut pensetur major gravitas opinionis superioris, *si gravis et prudenter probabilis censeri certo potest opinio inferior.*

Hucusque igitur, omnibus perpensis, Lacroix a S. Alphonso non dissentit: nam ejus doctrina reducitur ad haec capita.

Si opinio contra legem est vere et solide probabilis, licitum est eam sequi. — non per *hoc solum* quod opposita sit longe probabilior vel probabilissima, *vi solius istius excessus*, opposita fit improbabilis. — Moralis certitudo, legis etiam lata et imperfecta, sufficit ad ligandum.

Dum S. Alphonsus, uti vidimus, et manifestius adhuc apparebit in disp. III., ea ipsa docet.

Atvero Lacroix n. 301. corollarium subdit: « Infertur I. licitum esse operari secundum probabilem, licet evidens sit oppositam esse probabiliorem, uti habet communis cum Ills. disp. 1. contra Gonz. d. 3. c. 1. Esp. ar. 153. et sqq. Ter. Q. 1. n. 7. Manent enim rationes positae. » Hisce quidem verbis aperte contradicere videtur *supposito* thesis Alphonsianae: solidam probabilitatem consistere non posse cum certo excessu probabilitatis in altera parte. Videtur idcirco S. Doctor hunc Lacroix locum prae oculis habuisse, quando ejus doctrinam abnuit in epistola citata.

Revera, ut distinctius res intelligatur, audire juvabit et Illsung quem sibi favere dicit Lacroix et Esparza quem allegat adversarium: Nam Gonzales potest a nobis praetermitti; Terillus quem Lacroix videtur citare pro opposita sententia, in loco quidem allegato nihil habet de hac quaestione; sed in tota quaest. 9ª 10ª et 22ª propugnat ipsam Illsung sententiam.

Et primo quidem ab Esparza invenimus propugnatam ipsissimam primam regulam S. Alphonsi de *certo* probabiliori, attamen propugnatam ex illo argumento de physica carentia facultatis adhaerendi parti minus probabili, juxta sententiam quam Esparza tenet in hac controversia speciali, uti jam diximus in nota pag. 119. 120.

Esparza, in Appendice ad quaest. de uso licito opinionis probalilis Art. 152, - 157 quaerit an et quatenus sufficiat libertas opinandi pro usu licito opinionis probabilis contra priorem, propriam etiam cujusque, opinionem.

Art. 152. « Maximi imprimis momenti esse puto, quoad hoc punctum, et pro sedanda magna saltem ex parte, tota ista contentiosissima controversia de usu licito opinionum, distinctionem superius a me observatam, et quam doleo me non invenire expresse notatam apud auctores communiter, inter opinionem **evidenter** atque **omnino indubitanter**, seu **probabiliorem** seu **minus probabilem** et opinionem **non usque adeo patenter**, seu probabiliorem seu minus probabilem, sed cujus seu superioritas seu inferioritas supra, aut infra oppositam sit aliquousque dubia, obscura et anceps. Hujus distinctionis nec ego ipse memini in illa mea, hac de re quaestione, et ratio ob quam nihil de ea sollicitus

fuerim, credo, haec fuit. Quod nimirum quaestio de usu licito opinionum, unice, vel certe praecipue respicit opiniones, quae tamquam probabiles circumferuntur, apud auctores classicos et approbatos ac laudatos communiter, ita **ut agnoscantur probabiles ab iis etiam, a quibus rejiciuntur tamquam falsae.** Inter ejusmodi autem opiniones, tametsi quaelibet earum **sint suis oppositis probabiliores** aut minus probabiles reipsa, **idque** videatur esse **certum** juxta principium D. Thomae superius a nobis praemissum, de necessaria inaequalitate mutua quorumlibet invicem dissimilium, nullae tamen sunt, quarum major vel minor probabilitas, seu excessus, vel inferioritas probabilitatis supra oppositam opinionem, sit indubitata, et evidens ac facile pervia. Opinio enim, quae tanta hujusmodi conspicuitate est verisimilior, aut minus verisimilis, non amplius dici solet probabilis sed quae est ita verisimilior, **dicitur certa moraliter** et quae est eodem modo minus verisimilis dicitur improbabilis; et haec siquidem sit restrictiva dicitur scrupulus, seu nimium scrupolosa, si vero sit laxativa dicitur parum tuta, aut prorsus intuta in conscientia; et utralibet sub aliqua ejusmodi censura excluditur a gradu probabilium. Hinc igitur effectum est ut etiam plerique omnes scriptores alii eo sensim ferantur, ut dum agunt de usu licito opinionum probabilium, perinde disserant ac si nullae prorsus essent opiniones, quarum excessus aut inferioritas probabilitatis comparatione oppositarum opinionum sit evidens atque omnino indubitata aut apud omnes, aut apud plerosque, aut apud unumquemque ».

« Pauci vero quidam alii defigunt oculos in nonnullas potissimum opiniones, quarum excessus verisimilitudinis super opiniones oppositas est aut (quod perinde apud unumquemque valet) videtur sibi evidens ac prorsus indubitatus. Et licet opiniones ejusmodi atque adeo patenter praeeminentes oppositis sint reipsa paucae intra vastum theol. mor. ambitum, dum tamen ad eas tamquam ad exemplaria, mentis aciem restringunt, eisdemque considerandis unice incumbunt, ad pauca respicientes de universo opinabilium genere, quod latissime patet, quamplures species ac gradus valde invicem inaequales sub se complectens, pronunciant, **ac si in unaqualibet opinionum contradictione altera pars semper esset, absque ulla unquam exceptione, evidenter atque indubitanter probabilior, altera vero eodem modo minus probabilis.** Ista probabilioritatum usque adeo inter se disparium indistincta confusio et aequivocatio accendit primitus, nisi fallor et fovet hodieque ardorem contensionis maximum in hac

materia, qualis circa minimas quoque res concipi facile solet sub latebris aequivocationum, partibus hinc et inde in diversa intentis, et unaquaque, vel altera earum attribuente parti adversae absurdum aliquid ac plane intollerabile. Id quod, cum maximo veritatis in re maxima praejudicio, accidisse, circa nostram istam controversiam nonnullis ex probabilioristis, conjicere clare potest attentus lector ex qualitate argumentorum Mercori praesertim, Marinarii et Sinnichii, quae superius retulimus ac diluimus; siquidem impugnant patronos usus liciti opinionis minus probabilis et minus tutae, ac si docerent licentiam operandi juxta quemlibet etiam levissimum praetextum, reclamantibus in contrarium fundamentis evidenter ac palpabiliter longe majoribus. Cujus fallentiam suppositionis, tametsi inibi animadvertimus satis, distinctius tamen et utilius eadem apparebit, si breviter subjungamus, uti facere instituimus, expositionem terminorum ad quos usque protenditur usus licitus praeassertae libertatis physicae, opinandi in utramlibet partem contradictionis, tum quoad delectum opinionum, tum maxime quoad deponendam praeconceptam prius universalem opinionem, quando ventum est in particulari ad operationis instantiam hic et nunc. Utar autem praecipue directione D. Antonini 1 p. sum. tit. 3. cap. 16 § X, maxime vero reg. 7 et quae post eam sequitur quarta; et Adriani, Quodl. 1. Quaest. 2. Punct. 3. § *ad rationes autem oppositas* ubi rem hanc accurate et magistraliter exponunt, prior pro sedandis scrupulis, posterior pro justa dispositione conscientiae. » (Cf. art 161 ejusdem).

Art. 153. « Dico primo. Nulla libertas opinandi quidquam confert ad usum licitum opinionis certo aut evidenter, ac indubitanter minus probabilis seu potius minus verisimilis. Patet hoc ex dictis supra. Ostendimus enim art. 113, deesse nobis physicam potestatem ac libertatem assentiendi opinioni quam et quoties manifeste et omnino indubitanter conjicimus esse minus verisimilen opposita opinione. Demonstravimus itidem nuper ab art. 142. fieri nullatenus posse ut quis licite et absque peccato utatur opinione aliqua exclusiva obligationis et peccati, quin assentiatur seu potius quin praeassentiatur eidem opinioni dum operatur conformiter ad ipsam. Patet igitur libertatem ac indifferentiam physicam opinandi in utramlibet partem contradictionis, qualis a nobis asserta est, et qualis reipsa datur, nullatenus sufficere, ut quisquam licite uti aliquando possit opinione, quae manifeste, atque omnino indubitanter fit apud ipsum minus verisimilis, quam opposita qualiscumque de coetero conditionis ea sit. »

Hisce ergo Esparza plene et perfecte assentit primae regulae S. Alphonsi. Insuper ratio quam affert cur in opere magno Q. 23, omiserit distinctionem nunc in appendice ex professo traditam, inter opinionem *certo* probabiliorem et opinionem non *usque adeo patenter* probabiliorem, ratio ista, inquam perfecte congruit cum iis quae diximus de natura opinionis certo probabilioris S. Alphonsi (pag. 114 sqq.); atque confirmant ea quae animadvertimus in P. VII pag. 127 sqq. Tandem evidenter ostendunt *aliam* esse opinionem certo probabiliorem de qua Esparza heic et S. Alphonsus in sua prima regula loquuntur, aliam vero eam quam omnes probabilistae tenent posse relinqui, dum simul nonnulli eorum id asserunt *etiamsi sit evidenter probabilior*, intelligendo *evidenter probabilior*, alio sensu, (quia in alia materia et in adjunctis prorsus diversis) quam sensu quo S. Alph. in 1ª regula, et Esparza dicunt *certo probabilior*. (recole etiam notam nostram pag. 119). Idipsum confirmatur adhuc sequentibus ex eodem Esparza excerptis.

« Art. 154..... pro usu licito opinionis minus probabilis et minus tutae postulatum a nobis semper fuit et postulatur ab omnibus hujus sententiae patronis, ut retineat probabilitatem, utque assentiri illi possit et assentiatur actu, qui eadem est usurus, omnibus hinc et inde mature ac diligenter consideratis, quae sive ab auctoritate sive a ratione occurrere cuique possunt. »

« Art. 156. Dico 2. libertas physica opinandi in utramlibet partem contradictionis sufficit pro uso licito opinionis cujuslibet practice probabilis; hoc est affirmantis cum fundamento magni momenti, quale exposui supra art. 102, licere hoc vel illud seu agere, seu omittere. Sive talis opinio sit reipsa, aut minus probabilis aut minus tuta, aut minus probabilis simulque minus tuta, sive sit magis probabilis aut magis tuta, aut magis probabilis simulque magis tuta; dummodo excessus verisimilitudinis ex parte opposita ei quae deducitur in opus, non sit manifestus atque omnino indubitatus ipsi operanti. Haec conclusio continet reipsa totum scopum quaestionis illius meae, quam hoc opusculo vindicare conor, eandemque conclusionem, **et nil aliud intendunt reipsa patroni usus liciti opinionis minus probabilis et minus tutae,** uti facile conjiciet quisquis fundamenta eorum et contextum totius

doctrinae, attente ac sincere consideraverit. » Deinde assertum evolvit et probat, iterumque in conclusione repetit.

Ecce itaque Esparza confitens patronos usus liciti opinionis minus probabilis et minus tutae reapse non admittere hunc usum quando agitur de objectiva opinione quae illi opinioni opponitur quam Esparza qualificat ut manifeste indubitanter omnino probabiliorem; eos idcirco hunc usum propugnare licitum in eadem latitudine opinionum probabilium, quam intendit ipse, quando loquitur de superioritate vel inferioritate opinionum, aliquousque dubia, obscura et ancipite.

Hoc igitur posito videamus quid doceat Illsung quem Lacroix profitetur sequi.

PRIMO QUIDEM theol. practica, tract. 1. disp. 1, n. 32. 33 haec habet; « Tunc autem argumenta contraria enervant probabilitatem et fundamentum alicujus sententiae, quando illa vel nituntur..... vel certitudine morali. Per certitudinem vero moralem, sive evidentiam moralem intelligitur ratio una vel plures, non quidem dicta Auctoritate vel evidentia infallibiles, attamen solidae et efficaces, ut illis bene cognitis ac ponderatis, intellectus prudenter non valeat dissentire vel falsum subesse metuere: quae praeterea conjunctae esse debent cum tam clara et solida solutione omnium oppositarum rationum, si quae occurrant ut iis intellectus prudenter non valeat amplius consentire. Quod si ergo sententia aliqua habeat talem certitudinem ut prudenter intellectus non possit eam inficias ire, etiamsi tantum habeat certitudinem moralem, hoc ipso enervat sententiae contrariae probabilitatem, etiamsi aliquot DD. eam antea tenuerint, ob rationes solum praecisive probabiles, scilicet abstraendo a contrariis argumentis et responsionibus ad illas rationes. Hae enim rationes tantum pariunt probabilitatem absolutam adhuc insufficientem non autem comparativam quae requiritur et sufficit.

Unde quia Adversarii probabilistarum, scilicet Doctorum asserentium, *licere sequi sententiam comparative probabilem. relicta probabiliore et necdum certa*, plerumque omittunt tertiam illam certitudinem, nempe *moralem*, in explicanda sententia *comparative probabili* per ejusdem a rationibus contrarii expressam exclusionem (qua alioquin certitudine ex parte probabilioris sententiae posita, probabilistae unanimiter fatentur enervari probabilitatem minorem ut non amplius liceat illam sequi) ideo illorum argumenta complura nituntur falsa suppositione, veluti

praedicta assertio etiam de sententia probabili per oppositam moralem certitudinem enervata intelligenda esset. » — Refert deinde Cardenas: crisis theol. tom. 1. tr. 1. disp. 1. c. 2. n. 17, 18 — disp. 15 n. 371. — disp. 9. n. 125. — Ant. Terillus; de consc. prob. Qu. 2. n. 36 — Qu. 3. n. 7. — Et Mart. de Esparza in append. Hunc autem citat pro se, monendo se ab eo dissentire solum quatenus asserit probabilitatem partis inferioris elidi per rationes heterogeneas evidenter et indubitanter probabiliores alterius partis, uti postea videbimus.

Ecce nunc idcirco Illsung qui opinionem quam Esparza vocaverat evidenter, omnino patenter et indubitanter probabiliorem quamque dixerat quod « dicitur certa moraliter », quod « non amplius dici solet probabilis »; eamdem Illsung reapse exhibet sub hoc aspectu *moralis certitudinis*; confitetur cum *unanimi* probabilistarum consensu eam *enervare probabilitatem minorem ita ut non liceat amplius illam sequi*; confusionisque causam rejicit in rigoristas qui probabilistis falsum impingunt suppositum ut facilius eos valeant impugnare. Atque eodem sensu loquuntur Terillus et Cardenas. (Cf. praesertim Terillum in primis numeris Q. 22.)

SECUNDO Audiamus Illsung ab Esparza dissentientem atque suam sententiam statuentem.

Ills. tr. 1. disp. 1. n. 36. « P. Mart. de Esparza...., quatenus asserit comparativam probabilitatem unius partis tolli per rationes oppositas homogeneas aequales, vel heterogeneas evidenter et indubitanter probabiliores alterius partis, postea a nobis repelletur; quia videtur confundere has duas propositiones; *opposita pars est moraliter certa, sive moraliter certo vera, seu moraliter evidens, et opposita pars est moraliter certo, indubitanter, evidenter probabilior*. Aliud est enim moralis certitudo et evidentia veritatis objectivae, et aliud moralis certitudo et evidentia majoris probabilitatis: de priori libenter fatemur, tolli per eam probabilitatem comparativam, non item de posteriori, quam citatus auctor art. 152 videtur non distinguere. »

N. 40 « Dico: In concursu contrariorum motivorum potest quis saltem imprudenter et simpliciter praebere assensum directum veritati apparenti, ut *probabili*, etiamsi ejus oppositum appareat, ut probabilius. Ita contra Candidum Philaletum Madritanum, ficti nominis auctorem

(quem Ioann. Bapt. Gonet, dissert. theol. de opin. probab. asserit n. 16. esse nostrum P. Andream Blancum) Cardin. Pallavicinum [1]) in 1. 2. disp. 8 Q. 6. a. 4. n. 9; P. Laym. l. 1. tr. 1. cap. 5. n. 5. Antonium Merendam quem istat et sequitur Antonius Cotonius l. 1. *controver-*

---

[1]) Layman l. c. scribit: « si... tibi pars opposita quaestionis probabilior videatur, seu majora rationum momenta in illam partem perspicias; licet assensum omnem cohibere tunc possis; tamen ex hypothesi quod alteri parti assentiri velis, necesse est ut probabiliori assentiaris; alteri autem, quae minus probabilis tibi apparet, assentiri tunc non potes. Si enim minus probabili assentiaris, seu *veram* judices, hoc ipso oppositam falsam aestimas: quod fieri non potest dum ea tibi probabilior seu verisimilior apparet: propterea quod intellectus judicativus, secundum specificationem non omnino liber sit, sed a rationibus et motivis propositi objecti determinetur » et in fine numeri 5: « dum una pars contradictionis verisimilior apparet quam pars opposita; non potest intellectus illi dissentire, et huic assentiri: quia id fieret sine ratione imo contra rationem. »

Quae verba non videntur contradicere thesi Illsung, quippe qui affirmat possibilitatem assensus parti minus verisimili, ut *probabili*: dum Layman negat possibilitatem assensus huic parti, ut *verae:* addit enim: « si enim minus probabili assentiaris, *seu veram judicas,* hoc ipso oppositam falsam aestimas. » Nimirum Laym. significare vult quod voluntas irrationabiliter imperaret assensum parti minus probabili dum *magis* ipsi formidandum esset de veritate partis oppositae: neque « omnino liber est » intellectus judicium pro minus probabili efformare quod contradicat judicio paulo antea efformato cum certitudine, de *majori* probabilitate alterius partis. Iamvero si partem minus probabilem judicaret *veram,* contradiceret judicio certo de majori probabilitate alterius partis, paulo antea elicito. — Revera Layman ab initio istius n. scripserat: « fieri potest ut licet uni parti quaestionis opinative assentiaris, nihilominus alteram contradicentem probabilem judices: non dico *veram.* » et rationem praemiserat: « cum opinio sit animi sententia incerta et non carens formidine oppositi. » — Porro haec congruunt Sancto Thomae dicenti in opinione esse *duas conclusiones, unam conclusam et aliam formidatam:* conclusio enim formidata est *judicium* de probabilitate partis oppositae: opinio idcirco in-

*siarum celebrium*, controv. 5. n. 11. Martin. Esparza in append. art. 112-113. Consentiunt coeteri DD. communiter.

§ III n. 43. « Hinc patet quid ad arg. P. Martini de Esp. in append. a. 113, respondendum sit, qui pro verbis *propiquius vero* utitur verbis

---

cludit etiam hunc assensum (cf. quae diximus pag. 10). — Jamvero haec est ipsissima thesis Illsung, uti statim videbimus.

Similiter Card. Pallavicini *in 1. 2. S. Thomae, disp. VIII. Q. 6. a. 4. n. 9.:* « Probabilius est non posse voluntatem imperare intellectui ut adhaereat parti minus probabili relicta probabiliori » Et *n. 10:* « si omnibus pensatis, altera pars mihi apparet probabilis, altera tunc respectu mei intellectus non potest esse probabilis in ordine ad opinandum. Et si rationes apparent hinc et inde aequales, utraque se habet perinde ac res omnino dubia. »

Verum Pallavicini *probabile* hic considerat relate ad mentem quae de facto ei adhaeret opinando, ipsumque *sub hoc respectu* hic definit (n. 10) « sicut ab Arist. definitur, quod plerumque contingit. » Porro hoc quod plerumque contingit, est valde *probabilius*, imo moraliter certum, nedum simpliciter probabile.

Atqui, si ita est, heic a Pallavicino unice asseritur id in quod conveniunt omnes: scilicet: si mens pro una parte contradictionis opinatur, ideo opinatur quia eam aestimat probabiliorem.

Praeterea infra, eod. n. 10. subjungit: « posita apparentia simili illi quam habet quodlibet objectum prae se ferens motiva hinc inde omnino aequalia toties potest contingere ut sit verum ac falsum; ac proinde temere quis pronuntiabit alterum prae altero esse *rerum*. Intellectus autem non est potentia temeraria, sed rationalis quae proinde debet posse reddere rationem suae affirmationis. » — Evidenter ergo ipse intelligit, uti intellexit et Layman supra relatus, assensum *ipsi rei* datum, unice secundum unam partem, *nullaque ratione habita formidinis* quam pars opposita pro sua vi ingerit. Qui assensus utique omnino irrationabiliter imperaretur, atque offenderet explicationem opinionis a S. Th. datam et paulo supra memoratam.

Porro haec non negat Illsung qui v. g. *l. c. n. 41.* possibilitatem propugnat assensus in partem minus probabilem, tanquam in partem *apparenter veram* non vero tanquam *in partem veram* atque probat utramque partem non quidem posse *simul esse veram*, sed posse si-

*similius vero* et sic argumentatur; Impossibile est ut quod alicui videtur falsum, videatur nihilominus similius vero, quam quod putatur esse verum. Sicut impossibile est quod quis judicet esse similius albo, quod judicat esse nigrum. Respondetur enim in eodem sensu veram et falsam esse priorem propositionem de Esparza, in quo diximus veram et falsam esse hanc: impossibile est ut id quod videtur falsum, videatur nihilominus propinquius vero. Nam vel utraque propositio per majorem propinquitatem vel majorem similitudinem, intelligit majorem accessum ad veritatem, ac majorem PARTICIPATIONEM IPSIUS VERITATIS, ita ut talis excessus affirmetur a judicio et adjudicetur ei quod aestimatur probabilius, tunc fateor utramque propositionem esse veram. Sed nego suppositum quod per *propinquius vero* et *similius vero* sic intellectum, recte explicetur significatum vocis *probabilius*. Vel utraque propositio, per majorem propinquitatem et majorem similitudinem, tantum intelligit majorem APPARENTIAM et allicientiam ad assensum, prout debet intelligi, tunc nego esse impossibile, ut quod alicui videtur falsum, videatur nihilominus esse *propinquius* et *similius* vero, seu suaderi motivis habentibus majorem apparentiam ac allicientiam sive vim movendi ad assensum. » Deinde ad instantiam de Esparza respondit pari distinctione inter excessum in *ipsa participatione* albedinis, et excessum in *apparentia:* in hoc ultimo negat paritatem. Postea « Aliud quippe est OBJECTA inter se opponi et non posse simul esse nec simul affirmari: et aliud, PROBABILITATES opponi: hae enim non opponuntur, etiamsi sint de objectis contrarie vel contradictorie oppositis etc. »

---

mul *apparere veram* ac esse non *collective* sed *disjuntive* veram; ideoque intellectum posse in utravis invenire suam rationem formalem, scilicet *apparentiam veri.*

Pallavicini autem et Layman negant assensum qui daretur ita uni parti ut censeretur *esse vera,* non ita ut censeretur esse *apparenter vera.* Ille assensus datur spreta formidine orta ex rationibus oppositis; hic, ea non spreta sed inclusa. — Voluntas caeteroqui motiva appetibilia quandoque habere potest imperandi illum assensum, uti in fine istius n° explicat ipse Illsung.

Videntur ergo Laym. et Pallavicini a communi sententia in hac speciali quaest. non dissensisse nisi apparenter; quare oppositam opinationem solis rigidioribus merito tribuere licet.

« Ista assertio: *oppositum est probabilius*, non est duplex affirmatio, nempe veritatis et probabilitatis majoris.... sed est tantum affirmatio simplex solius probabilitatis majoris, cum qua consistere potest affirmatio veritatis respectu objecti minus probabilis, nixa tamen si prudens sit... fundamento magni momenti nondum enervato a fundamento majori quidem, sed cognito evidenter, ut adhuc fallibili, ob probabilitatem oppositam etiam evidenter cognitam etc. »

§. IV sub n. 46. « Dico cum communi sententia: etiam honeste ac prudenter potest a voluntate eligi ac intellectui imperari assensus sententiae minus probabilis, relicta probabiliori. »

§ VI. Quaerens an liceat sequi conscientiam, quoad honestatem objecti tantum probabilem, primo n. 55 negat esse generaliter veram propositionem: « licet sententiam simpliciter et absolute probabilem praeferre in praxi sententiae probabiliori, neganti licentiam actionis a minus probabili assertam. » « Generaliter, prout jacet, sine legitima expositione et restrictione accepta, est certo falsa et improbabilis et merito negatur ab omnibus DD. pro sequenti conclusione allegandis. »

N. 56. « Dico secundo: haec propositio: *licet sequi sententiam propriam vel alienam (ut supra ostendi) quoad assertam honestatem aut licentiam actionis vel omissionis, absolute et comparative ad rationes oppositas probabilem, ac reflexa evidentia cognitam, ut probabilem et inenervatam etiamsi oppositae rationes sint et appareant probabiliores, magisque allicientes ad assensum*: Videtur certa et prudenter innegabilis.

Deinde § VII, n. 59 *principalem* rationem hujus doctrinae proponit « hoc syllogismo plane demonstrativo. » « Evidens est quod qui evidenter videt et judicat aliquam sententiam non obstantibus rationibus contrariis, apparentibus ut probabilioribus attamen adhuc fallibilibus et incertis, esse prudenter ac practice eligibilem, is eligendo talem sententiam, non peccet, verum licite ac honeste operetur. Sed qui evidenter videt et judicat aliquam sententiam propriam vel alienam esse quoad assertam honestatem, aut licentiam actionis vel omissionis, absolute et comparative ad rationes oppositas probabilem ac inenervatam ab illis oppositis rationibus, apparentibus ut probabilioribus, attamen fallibilibus et incertis, is evidenter videt et judicat illam sententiam esse prudenter et praetice eligibilem, hoc ipso quod sit et maneat probabilis quoad assertam licentiam ac honestatem electionis practicae (quia probabile idem est ac prudenter affirmabile ut verum et eli-

gibile). Ergo evidens est quod talis non peccet, verum licite ac honeste operetur. »

N. 60 « Ad hunc syllogismum aliud responderi non potest nisi ut negetur suppositum, quod ulla sententia sive propter auctoritatem, sive propter rationem, sive propter utrumque absolute probabilis sit et maneat probabilis comparative ad rationes probabiles cognitas ut tales. Verumtamen contrarium hujus responsionis et veritas suppositi nostri probatur omnium DD. experientia, qui ore et scripto frequentissime fatentur, tam in sententiis practicis quam speculativis se quidem judicare, suam sententiam propter rationes et responsiones a se illatas, esse probabiliorem, videre sibi tamen et consentire se, etiam oppositam esse probabilem. Sane neminem facile esset reperire, qui aliorum oppositas sententias omnes judicaret esse sibi sive suo intellectui improbabiles ac falsas comparatione suarum rationum magis probabilium, sed etiam fallibilium. »

Deinde contra talem arguit et concludit: « Ergo non HOC IPSO quod opposita sententia sit probabilior, altera sententia absolute probabilis, comparative est et judicatur improbabilis suo intellectui. »

« Et haec ratio valet etiam, quando alterutra sententia est notorie sive evidenter probabilior Quia si TANTUM MAJOR PROBABILITAS EST EVIDENS, ET SI EXCESSUS NOTORIUS PROBABILITATIS NONDUM PERTINGIT AD INFIMUM GENUS CERTITUDINIS, nempe neque ad certitudinem moralem, et si illum eo non pertingere etiam est evidens (prout contingit, quando opposita sententia etiam evidenter nititur ratione magni momenti, et quando intellectus a rationibus probabilioribus experitur se neque cogi, neque ita convinci, ut non valeat amplius prudenter resistere) tunc etiam sententia notabiliter probabilior, manet adhuc fallibilis, et prudenter negabilis; ratioque opposita, hoc ipso quod sit etiam num evidenter magni momenti, et non exigui, ut adversarii supponunt, manet prudenter affirmabilis. Falsum enim est, quod adversariis permittit Esparza in append. art. 112 inquiens: « Quando fundamentum unius partis contradictionis evidenter et manifeste atque omnino indubitanter est majus, quam fundamentum oppositae partis, *eo ipso* fundamentum istud minus evadit parvum sub ea comparatione, nec retinet amplius vim magnam pertrahendi intellectum ad assensum. » Quam assertionem licet auctor hic tantum dicat se permittere adversariis non autem defendendam suscipere; tamen sequenti art. probat argumento a me in § 3. soluto. Immerito quippe supponitur quod quia fundamen-

tum absolute magnum minuitur quoad vim movendi in actu secundo a fundamento opposito evidenter majori, quemadmodum etiam istud vicissim habetatur ab opposito minore, illud statim ex magno fiat parvum; cum hujus magnitudo non consistat in indivisibili, nec tollatur nisi per certitudinem oppositam saltem moralem. » Idem deinde confirmat alio argumento et ex multiplici absurdo quod inde sequeretur, ibique ita pergit: « sequitur octavo. Omnem opinionem alicui intellectui probabiliorem esse eidem moraliter certam, aut non posse dari sufficiens discrimen inter moraliter certam. Nam moraliter certa illa censetur, cui expensis rationibus in utramque partem militantibus intellectus non potest, vel non prudenter potest dissentire: ergo si pro una parte contradictionis dantur et cognoscuntur dari (prout secundum adversarios necessarium est ad licite operandum contra oppositam minus probabilem, sed tutiorem) probabiliores rationes quam pro altera, et si utrisque sufficienter expensis non potest intellectus libere et prudenter dissentire rationibus probabilioribus, ac improbabilioribus assentiri, hoc ipso rationes probabiliores semper fundant opinionem moraliter certam, saltem ipsi intellectui operantis; quod tamen est contra ipsos adversarios et contra statum quaestionis. Nam solum quaeritur, an liceat ex duabus opinionibus vere probabilibus, sequi minus probabilem, quando tutior est quidem probabilior sed nondum certa, alias opposita minus tuta neque esset probabilis. — Sequitur nono ex immediate dictis. Si non licet unquam sequi opinionem minus probabilem et minus tutam, sed si necesse est sequi vel tutiorem, vel probabiliorem, et si probabilior semper est eidem intellectui, cui apparet probabilior, moraliter certa, ita ut non possit contrariae opinioni prudenter, imo secundum aliquos neque imprudenter aut physice praestare assensum ac probabiliori dissensum, sequitur, inquam, veram esse aliquo modo, vel saltem in sententia adversariorum defendi posse hanc propositionem ex Cornelio Iansenio a Ioanne Sinichio cum aliis virulentis dogmatibus haustam et ab Alex. VIII damnatam: non licet sequi opinionem, inter probabiles probabilissimam. Qua patroni ejusdem aliud videntur asserere noluisse quam, opinionem, quam sequi licet, vel debere esse tutiorem vel certam: subsumo: atqui si opinio quam sequi licet, secundum adversarios debet esse probabilior, et si hoc ipso quod sit probabilior, est moraliter certa ac dicto modo innegabilis, contradictoria vero illius prudenter aut etiam physice inaffirmabilis, tunc etiam secundum adversarios, opinio quam sequi licet, de-

bet esse vel tutior vel moraliter certa operanti, et nunquam sequi licet probabilissimam, ut talem, sive manentem in gradu probabilitatis, imo neque datur probabilissima quin sibi habeat annexum gradum certitudinis, reddentis saltem ipsum operantem moraliter certum de honestate materiali suae operationis, de qua honestate materiali loquitur propositio damnata. »

Ex his itaque sequentia fiunt manifesta:

*a*) Illsung convenire cum Esparza in eo quod si excessus probabilitatis attingat moralis certitudinis gradum, eo ipso opinio opposita enervatur nec possit in praxi tuto retineri.

*b*) Tam Illsung quam Esparza asserere usum licitum opinionis minus tutae et minus probabilis, dummodo, constet eam certo esse probabilem.

*c*) Illsung ab Esparza dissentire videri in eo quod dicat in concursu opinionis notorie et evidenter probabilioris, oppositam posse servare suam probabilitatem; idque probat communi-consensu doctorum; non tamen eodem modo intelligit evidentiam hujus probabilioritatis, quo Esparza in sua regula: Nam 1) intelligit eam probabilioritatis evidentiam quae sufficere possit intellectui cujusque *privati* Doctoris, ut magis in unam partem inclinetur opinando et ab altera *formidando.* — 2) Intelligit eam notorietatem, evidentiam et certitudinem probabilioritatis, quae oriri potest ex solo facto quod *plures* sint DD. graves qui uni sententiae favent, eam privato suo judicio probabiliorem aestimando, quam sint illi qui alteram probabiliorem tenent, dum utrique sibi oppositam fatentur probabilem (cf. supra p. 153) 3) Esparza e contra intelligit evidentiam et certitudinem probabilioritatis tantam ut nulla sive ex auctoritate fundata, sive ex intrinseca rei natura supersit prudens ratio formidandi a parte objecti opposita. 4) Unde Esparza dicit opiniones, eo ipsius sensu evidenter probabiliores, esse *paucas* intra vastum theol. moral. ambitum; dum Illsung supponit, opiniones illo suo sensu notorie probabiliores, « frequentissime » recurrere (n. 60, ab initio).

*d*) Esparza autem de ista opinione ita ab Illsung intellecta,

in secundâ sua regula (dico 2. art. 156 — art. 123 seq.) aliis verbis idem omnino tenet ac Illsung.

*e*) Illsung bene confutat (n. 43) *rationem* ab Exparza, art. 113, allatam cur certus et omnino evidens probabilitatis excessus probabilitatem elidat oppositae. Ab ea *conclusione* tamen non dissentit cum ipsam alia ratione admittat (n. 32, 33.)

*f*) Unde tandem aliquando totum discrimen Illsung inter et Esparza reducitur ad modum diversum proponendi unum idemque systema, atque ad unam probandi rationem.

Concludere itaque licet quod si Esparza voluit significare omnimodam certitudinem excessus probabilitatis ex una parte esse *signum* manifestativum, quod iste excessus probabilitatis moralem certitudinem objective attingit; Illsung immerito (n. 36.) Martino de Esparza improbat quod videatur confundere moralem certitudinem *objecti*, cum morali certitudine *ipsius probabilitatis excessus*. Si vero, uti forte ex ratione ab Esparza, art. 113, allata conjici potest, ipse significare voluit ipsum probabilitatis excessum *ex se* semper perimere probabilitatem opinionis oppositae; Illsung jure meritoque ei contradixit.

At, quandoquidem Esparza art. 113 hanc suam rationem, non afferat nisi pro casu in quo excessus probabilitatis est omnino indubius et evidens, idque fatetur (art. 152) tantum contingere in paucis quaestionibus, in quibus theologi hanc partem ita excedentem, habent pro *moraliter certa*; conjicere etiam licet eum vim consequentiae illius suae rationis (art. 113) posuisse formaliter, non quidem in *excessu probabilitatis ut sic*, sed in morali hujus partis certitudine.

Id porro confirmatur ex eo quod hanc suam divisionem probabilioritatis proposuit unice et exclusive in ordine ad liceitatem usus practici opinionis inferioris (art. 152, 153, 156). Sub hoc autem respectu ratio oppositionis ideoque et distinctionis inter membra divisionis, unice potest formaliter desumi ex morali certitudine quam probabilioritas attingit vel non. Esparza idcirco hoc sensu potius censendus est proposuisse illam suam rationem. Porro id non advertit Illsung quippe qui Esparza impro-

bat (n. 60. sequitur 8°.) quod visus fuerit auferre discrimen inter probabilitatem majorem et certitudinem moralem. [1])

Atenimvero, si ita est, uti critice constat, evidens fit S. Alphonsum, quippe qui cum Esparza perfecte convenit, neque ab Illsung neque a Lacroix in substantia dissentire. Atque corollarium illud Lacroix de *evidenter probabiliori* non est *exceptio* sive *limitatio* probabilismi a Lacroix, Illsung, Esparza propugnati sed mera *explicatio* in aliquem ejus casum recidens. Si S. Doctor idcirco thesim isto corollario expressam, laxam esse pronuntiavit, non dixit nisi relative ad infidos adversarios quibus ansam praebere poterat atque reapse praebuerat perperam interpretandi probabilismum quem cum omnibus istis DD. defendebat S. Alph.

Confirmatur tandem illo sensu a nobis explicato et non alio, dissensisse Alphonsum a systemate Iesuitarum, si conferantur citata verba, cum contextu ejusdem epistolae. Paulo supra enim scripserat: « Ho letto agli *avvisi* di Napoli, che in Portogallo si è data l' incombenza ad un ecclesiastico di proibire le Morali di dottrina corrotta. »

« Per queste morali di dottrina corrotta, intenderanno tutte le morali de' Gesuiti: ma non tutte le morali de' Gesuiti in ve-

---

[1]) Confirmatur praeterea ex eo quod Esparza art 123 doceat de elisione motivorum opinandi invicem oppositorum, eamdem omnino doctrinam quam tenent Illsung, Lacroix et omnes probabilistae: in hypotesi nempe quod una pars sit *certo probabilis* et altera *paulo probabilior*, admittit motiva probabiliora non perfecte elidere opposita si sint ejusdem rationis; si vero diversae sint rationis, vel adaequate vel saltem inadaequate, « nunquam se elidere mutuo sed neque non mutuo ». — Atqui si ipse tenuisset excessum probabilitatis *ut sic*, non vero ratione moralis certitudinis quam objective attingit oppositam elidere; inconsequenter docuisset excessum paulo probabiliorem ex diversa ratione, non elidere motivum oppositum probabile etiam sed ex dissimili ratione. Ergo. Nam si ratio probabilioritatis *ut sic* oppositam partem elidit, ubicumque invenitur, in quocumque gradu elidit.

rità, sono di dottrina corrotta. I libri del Cardinal de Lugo, di Suarez, di Laiman, di Lessio di Castropalao ed altri simili non sono di dottrina corrotta. »

Atqui 1° Laym. *de consc. cap. V.* §. II. *n. 7.* docet quod ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus quae versantur circa operationem humanam, an licita sit necne, quisque in praxi potest sequi quam maluerit, etsi *ipsi operanti minus probabilis videatur.* — Et *tract. IV. de legibus cap. XX. n. 4.* scribit: « si quaestio, adeoque dubium sit inter DD. utrum aliqua hominis actio v. g. contractus licitus sit necne, aliis affirmantibus, aliis vero negantibus, posse me talem actionem exercere, *quamdiu speculative certus non sum, sed dubius de ejus prohibitione aut malitia.* » et n. 5 in fine generale principium enuntiat: « in moralibus, ubi certitudo haberi non potest, sufficit sequi judicium probabile » id est, uti docet *de consc. l. c. n. 8*, conscientia practice certa, ex principiis practicis et rei extrinsecis desumpta. Tandem de cons. l. c. n. 14. certitudinem quae non est *exacta* certitudo sed *magna probabilitas et quasi moralis certitudo*, describit « ita ut opposita sententia negans... quasi nihil probabilitatis habere videatur. »

Porro ex his evidens fit Laym. censere nos licite sequi minus probabilem donec opposita non fiat saltem quasi moraliter certa, ita ut probabilis illa quasi nihil probabilitatis habere videatur. — Idem profitentur Lugo et Suarez.

2° Lugo *de poenit d. 22 n. 39.* dicit quod « nemo tenetur in operando sequi opiniones probabiliores sed potest sequi probabiles regulariter loquendo. » (cf. *ibid. disp. 16 n 58 — resp. mor. l. 3. d. 19. n. 3).* Quandonam autem ipse censeat probabilitatis excessum moralem attingere certitudinem jam supra vidimus pag. 99. sqq.

3° Suarez in pluribus locis docet licitum in praxi esse usum opinionis legi contrariae, quandiu est judicium probabile quod nulla sit lex prohibens. (v. g. in 1. 2. tr. 3. disp. 12. set. 6. n. 8. etc). — Atque de voto l. IV. c. 5. n. 5. aperte declarat tunc solum

notabilem probabilitatis excessum facere certitudinem moralem quando *judicium contrarium non est probabile.*

4° Lessius *de just. 10. d. 6. n. 39.* ait quidquam « non videri certum, quamdiu habet probabilem rationem de contrario, ut dictum est *1. 2. q. 19. a. 6.* Id enim moraliter certum censetur, quod prudenter ita creditur ut contrarium nullo modo videatur probabile: talia enim passim humano more certa dicuntur. » — *ibid.* vero c. 29. d. 8. n. 68. generatim affirmat *licitum esse operari ex opinione probabili.* Tandem de prudentia. c. 1. n. 2. scribit: « judicium prudentiae debet esse evidens et certum, excludens omnem rationabilem formidinem. Dico rationabilem: quia non semper excludit scrupulum. Hic enim saepe perseverat cum judicio prudentiae: tamen ut hunc judicium sit prudens, debet reputari scrupulus: et sic etiam scrupulum quodammodo excludit prudentia..... Ex his sequitur opinionem honesti non esse judicium prudentiae, quia non ita fertur in suum objectum ut non possit esse falsa; quam ob causam non est virtus etc. »

Unde patet, juxta Lessium, legem non obligare, donec potest speculative judicari probabilis tantum: quia imprudens esset judicium de ejus obligatione: nemo enim se censet obligatum nisi *prudenter* judicare possit legem existere.

5° Castropalao tandem haec habet: *de consc. d. 1. p. 1. n. 2.* « conscientia certa est judicium certum saltem moraliter, i. e. de quo *prudenter dubitari non potest.* » — « Conscientia opinativa est judicium infirmum seu *non certum* alicujus partis, cum formidine alterius. » — Disput. II, quae tota est de conscientia opinante, Punct. II. n. 2. statuit thesim: « communis sententia est et mihi probabilior (etsi supradicta sit satis probabilis) eligi posse opinionem minus probabilem et tutam, relicta probabiliori propria et tutiori. »

Pro Castropalao itaque *donec* possim judicium opinativum efformare legem in casu non obligare, tuto possum eam sequi in praxi opinionem, ex principiis extrinsecis quibus efformatur conscientia practice certa.

Ergo juxta ipsum tam late patet thesis ejus de minus probabili quam pateat judicium certum de ipsa *probabilitate* hujus partis, jam vero judicium hoc tunc tantum elici cum certitudine amplius non potest, quando opposita est moraliter certa: quia moraliter certa est illa *tantum* « de qua prudenter dubitari non potest » sive de cujus contrario judicium opinativum efformari nequit. Ergo tandem aliquando Castropalaus probabilismum quem propugnat, intellexit sicut et nos cum Lacroix et Busembaum. Secus in suis definitionibus et in sua thesi sibi non cohaereret.

Si ergo absolute S. Doctor reprobasset doctrinam Busembaum, qua ratione potuisset tanto encomio, in eadem epistola, afficere istos alios qui idem ac Busembaum tenuerunt in systemate et in multis particularibus quaestionibus; imo a quibus Busembaum suam desumpsit Medullam? — Haec contradictio e contra unica via excluditur: si nempe S. Doctor intelligatur dixisse suum systema de probabili non esse systema jesuiticum, ratione tantum discriminis in formula et in majori, ut ipse existimabat, praecisione, non vero ratione substantialis discriminis. Quod autem circumstantias temporum attinet, quibus inductus e fere coactus est ad ita loquendum, conferri possunt *corr. spec. pag. 167. nota Editor.* et principium epist. CII. ibid. — In praesenti sufficit advertere, quod ex bene perspecta vicissitudine illorum temporum evidens fit, S. Alphonsum fuisse inductum ad abnuendam *ea ratione quae in epistolis apparet*, Busembaum et Lacroix doctrinam, de probabilismo, non eo quod eam pravam vel *per se* laxam revera aestimaret, sed ad *majus malum effugiendum* cum se in bivio videret constitutum, ut vel opus ipsius morale una cum Iesuitarum operibus totaliter exterminaretur in maximam animarum perniciem; vel nomine tenus, communi denegato probabilismo, substantia saltem ejus doctrinae, probabiliorismi specie induta, permitteretur diffundi. -- « Soggiungo una parola per mio sfogo », scripserat S. D. 7ª jan. 1766 ad P. N. Savio Oratorianum, « da chè è nato il tutiorismo e il ribattere ogni opinione probabile? – È nato da

quella proposizione: *aliqua Dei praecepta sunt impossibilia* etc. Dal tutiorismo poi nasce il totale rilassamento per molte anime poverelle. Iddio ci metta il suo rimedio. » — Et paulo supra; « il partito di Francia si è sparso per molti regni cattolici e trionfa e frattanto le anime vanno in rovina. Preghiamo il Signore che ci rimedi. »

Itaque ut tam ingens periculum pro posse suo removeret, medium efficax judicavit in publicam opinionem directe influere, quantum, servata eloquii veritate, fieri posset: Remondinum ideo non semel, et alios admonuit ut undequaque praedicarent ipsum non esse probabilistam sed verum probabilioristam etc etc ita, in citata Epist. CCIX ad Remondinum: « Ho voluto scrivere ciò affinchè V. S. possa informarne altri quando bisogna; tanto più che in Francia han bruciati tanti libri de Gesuiti ma non han bruciato il mio. Chi mai poteva immaginarsi che i Gesuiti avessero da essere stimati dappertutto per assassini e ribelli! »

Paucos scilicet ante annos in Gallia Iansenistae libellis famosis, calumniis, commentitia etiam operis Lacroix editione Parisiis disseminata, a comitiis Provinciarum decretum impetraverant ut theol. Lacroix et medulla Busembaum igni traderentur comburendae. Incriminabant autem praecipue doctrinam de occisione injusti aggressoris, (Busemb. l. III. tr. IV. c. I. dub. III. n. 8.) ex qua praetendebant parum cautum esse juri et vitae principum. Praeterea cum medulla Busembaum, innumeris editionibus undique diffusa, in scholis communissime esset recepta, arbitrabantur si quando ea sola foret exterminata, se unico ictu Iesuiticam interempturos hydram. (Cf. corr. spec. epist. XXXVI, in qua S. Alph. factum narrat; et ep. XXXIX, et epist. LX in qua dicit sententiam in Gallia prohibitam, esse communem et probabilissimam.)

## PUNCTUM X.

***In art. II. — Tres aliae epistolae ab auct. allegatae expenduntur.***

TERTIUS locus ab Auctore sub n. 78. allegatus, ex epist. CCXIX. ad P. Blasucci, jam supra explicatus est.

QUARTO Producitur epist. CCLXXXIV, quae depellere vult a mente P. Andreae Villani timorem quo angebatur ne ex responsione apologetica quam parabat Alph. contra Magli, ruina sequeretur totius Congregationis: inimici enim Ecclesiae nullam omittebant operam ut Congregationem SS. Redemptoris simul cum Societate Jesu convellerent iisdemque implicarent calumniis de quibus audivimus sub n. b. conquerentem ipsum S. Alphonsum. Ut hunc igitur suum Vicarium tranquillum faciat promittit se declaraturum quod *doctrinam Iesuitarum rejicit*, quod ordinem tantum a Busembaum servatum secutus est *minime vero ejus doctrinam;* quod *sententia sua est probabiliorem legi faventem esse sequendam*; quod *probabilismum absolute reprobat*.. Deinde subjungit: « solo dico che quando l'opinione per la legge è affatto dubia, la legge non obbliga, perchè allora è promulgato solamente il dubbio ma non la legge. E qui porto mille luoghi di S. Tommaso e di mille teologi che la legge non promulgata non obbliga. Onde io penso che questo libretto serve per onore mio e della Congregazione con fare vedere che non siamo Probabilisti, anzi riproviamo il Probabilismo. » Quibus verbis afferendo secundam regulam de aeque probabili, hoc ipso significat dicta immediate antea et postea, licet prout jacent videantur magis exclusiva, intelligenda esse sensu explicato primae regulae, toties ab ipso S. Alphonso omnibus sodalibus suis et nominatim P. Villani inculcato.

Imo apertissime manifestat suam mentem S. Doctor in primis quatuor numeris illius opusculi de quo loquitur in praesenti epistola.

Nam explicat ideo se non esse secutum doctrinam Busem-

baum, quia in *multis sententiis particularibus* confutavit ipsum: « non l'ho premesso per seguitar la sua dottrina ossia quella dei Gesuiti: chi non ha occhi non vede che in moltissime sentenze io son contrario alle opinioni di Busembaum e le confuto. »

Deinde explicat quomodo ex eo quod ordinem hujus auctoris secutus fuerit utpote excellentem « non possit tamen inde deduci ipsum et ejus doctrinam fuisse secutum: siquidem ipse Franzoja qui rigidior est quam Concina » textum Busembaum praemiserit in sua theolog. morali. (Dichiaraz. del sistema 1773. n. 1.) (Franzoja utique Busembaum commentatus est ut confutaret.) Pergit nn. seq. S. Doctor proponendo breviter duas suas regulas: et in eis non loquitur simpliciter de probabiliori, ut in epist. ad P. Villani, sed caute exprimit adverbium *certamente*; — n. 3. explicat ad certam conscientiam efformandam » non sufficere judicium directum de probabilitate et hoc sensu exclusivo reprobat principium « qui probabiliter agit, prudenter agit. » Deinde explicite proponit ipsissimum casum in quo Busembaum et communissime Jesuitae dicunt nos posse sequi minus probabilem relicta probabiliori, innixos principio reflexo, et negat nos posse eam *per se* sequi, i, e. quin recurramus ad principium reflexum, ex solo judicio directo de probabilitate. Concludit tandem se hoc solo sensu non esse probabilistam vel aequiprobabilistam. Ecce ejus verba: « E pertanto dico che non solo è illecito operare secondo l'opinione meno probabile che sta per la libertà ma neppure (parlando per se) secondo l'opinione più probabile, *quando l'altra che sta per la legge, anche è probabile, benchè meno probabile, perchè allora neppure si ha la certezza morale necessaria a deporre adequatamente il dubbio; stante che quell'opinione meno probal ile per la legge, anche può esser vera.* Sicchè io non sono nè probabilista nè equiprobabilista, in modo che io dica essere per se lecito il seguire l'opinione equiprobabile. » [1]) Ubi apertissime admittit et *exercite*

[1]) Perfecte concordant cum istis. epist. CLXXXV, CCCXV. (corr. spec.) — responsio ministris R. CCCIX. p. prima.

*affirmat iisdem terminis* ac Busembaum et probalistae *suppositum* eorum: posse scilicet dari vere probabiliorem in concursu oppositae solide probabilis, quemadmodum ann. 1756 in opusculo: risposta ad un'autore etc. (quattro apologie italiane, Torino 1829, pag. 7) ex professo dixerat; nosque ejus verba retulimus supra pag. 130, 131.

Tandem quae eodem n. 78. opponuntur ex epistol. CCXXX, si ea quae diximus prae oculis habeantur, nullam amplius possunt facessere difficultatem: eadem enim, quae P. Villani in epist. CCLXXXIV. tres post annos scripturus erat Alphonsus: jam nunc Editori Remondini scribit ut sciantur ab omnibus, « sappia V. S. e lo dica a tutti etc »... « l'ho stampato a parte (opuscul. apologet. anni 1769).... appunto per far vedere al mondo, ch' io nella morale, non seguito la dottrina de Gesuiti, *come alcuni mi vogliono caricare.* V. S. lo dica e lo pubblichi per tutto. » Accusatus enim fuerat quod sequeretur *laxum* Iesuitarum probabilismum.

Potuisset equidem se ab hujusmodi incriminatione purgare, demonstrando probabilismum Iesuitarum non esse laxum, juxta ea quae legimus in principio epist. CCIX. (cf. pag. 157). At tali apologia parum profecisset apud adversarios tam universali praejudicio occupatos, tantoque odio et mala fide obcaecatos. Aliam igitur viam inivit ut ab hominibus quos veritate aperta convincere non poterat, congregationem suam tueretur et ab interitu societati Jesu comminato saltem exciperet. Relicta igitur societatis Jesu causa, (quam profecto nullo justitiae officio sed ex sola caritate patrocinari tenebatur; et ab hoc caritatis officio aperte exercendo, excusabatur propter gravissimum inde propriae Congregationi impendens detrimentum) solam suae Congregationis famam et conservationem tuendam suscepit iis solis mediis quibus auxilium *efficax* in illis adjunctis suppeditari posse prudentissime judicavit. Apologiam idcirco conscripsit qua omnibus demonstraretur se suosque sodales non sequi Iesuitarum probabilismum eo sensu quo adversarii ipsum intelligebant atque laxum proclamabant: « non

seguito la dottrina de' Gesuiti, *come alcuni mi vogliono caricare* » et in epist. CCXIX. « avevo inteso che in Palermo si lagnavano che io, nella mia Morale, e i miei compagni seguitavano il *lasso* probabilismo gesuitico; e ciò è quello che mi ha mosso a fare tale apologia. »

Idemque repetit ab initio § I ejusdem apologiae.

Hisce cohaerent verba S. Doctoris in fine introd. n. 7. dissertat. ital. ann. 1765. « Del resto a me non è permesso di far catalogo di tanti Vescovi, Preti e Religiosi dotti, i quali sono della stessa mia sentenza; mentre ho timore che taluno di essi non voglia essere nominato per non essere posto in canzona, e tacciato da *lassista*, se vien chiamato Probabilista, secondo la moda che corre. La nota di *lasso* ad ognuno dispiace ma della nota di rigido molti se ne vantano e ne fanno oggetto di loro stima. »

## PUNCTUM XI.

***In art II. — Expenduntur textus ex H. A. et aliae epistolae.***

Quispiam tamen excipiet S. Doctorem non solum respondisse *ad hominem* laxum probabilismum intelligendo in sensu adversariorum, sed Iesuitarum probabilismum, *proprio nomine* ut laxum reprobasse. Nam n. 2. in eadem dissertatione, quam latino idiomate donatam in compendio H. A. tr. 1. n. 31. sqq. inseruit, unde Auctor noster textum sub n. 78 f.) citatum excerpsit, legitur: « Tre son le sentenze circa l'uso lecito delle opinioni probabili; la prima è, che possa lecitamente seguirsi l'opinione anche meno probabile per la libertà, ancorchè l'opinione per la legge sia certamente più probabile. Questa sentenza è stata tenuta quasi comunemente dagli autori del secolo passato, ma noi diciamo, che ella è lassa e non può lecitamente abbracciarsi. »

Cui objectioni jam respondimus quando late explicavimus

sensum quo S. Doctor distinctionem adhibuit isti *certitudini* excessus probabilitatis.

Qui enim dicit opinionem *certo* minus probabilem posse pro libertate retineri, relicta certe probabiliori, spectata *per se sola* hujusmodi formula, ansam praebere potest aequivocationi infidis praesertim adversariis: cum alio sensu dicatur *certus* excessus probabilitatis in sensu composito cum probabilitate oppositae, quam jam prius constat esse solidam et gravem; alio sensu possit dici *certus*, quando fuerit notabilis et cum tanto excessu ut oppositae opinionis soliditatem concutiat. Unde distinctionem omittenti, formula ista per se spectata periculum inducit ut in conclusione sequatur sententiam tenuiter vel dubie probabilem, quod esset sequi « verum laxismum. » — Atque hoc modo spectavit hanc formulam S. Alphonsus quando scripsit verba relata. — Atvero auctores saeculi XVII communiter imo communissime et speciatim Jesuitae, dum ex una parte hanc proponebant formulam sine *expressa* certitudinis illius distinctione, ex altera tamen aequivalenter, implicite et validissimo modo restringebant certitudinem ad sensum verum quem S. Alphonsus in secunda sua regula tuetur, uti fusius explicatum est. Atque hoc ipsum certissime Alphonsum non praeterfugit. (Cf. text. paulo infra citat. ex intr. contra Adelph. Dosit.)

Idcirco si S. Doctor istum probabilismum damnavit ut laxum, non damnavit nisi *ratione periculi* quod absolute loquendo induci poterat *laxae interpretationis*, et quidem non omnibus indiscriminatim sed vel adversariis malae fidei, vel incautis.

Accedit validissimum argumentum a P. Ballerini propositum in dissertatione de systemate Alph. (Op. mor. Vol. I. append. I. nu. 35-36) quod ab absurdo deducitur. Cumque obvium omnibus sit opus Ballerinianum, ab illo transcribendo supersedemus etsi Auctor noster aestimaverit opportunum causae suae, ipsum reticeri. Aliud tamen S. Alphonsi testimonium a Ballerini n. 40 ibid. relatum omittere non possumus, quippe quod mentem S. Doctoris praemissae nostrae explicationi adamussim congruere luculenter ostendit.

« Dignum est quod advertatur, ait Ballerini l. c., quomodo S. Doctor plus semel testetur, si quid in probabilistis scriptoribus anterioris aetatis occurrat, quod minus probari queat ob aliquam laxitatis speciem, id non vitio systematis eorum proprii sed vitio male utentium systemate adscribendum esse. Ita S. Doctor in Apologia contro Adelfo Dositeo § III. in fine: « Ed in verità nel secolo passato vi fu abuso in alcuni Probabilisti, errando non già nel opinare, ma nel mal opinare col chiamare probabili molte opinioni che erano lasse..... » Pergit deinde Ballerini: « Idque S. D. repetit in secunda adversus eumdem Dositheum apologia etc..... » — Coeteroqui objectum oper. H. A. locum ab eodem P. Ballerini omni ex parte discussum et egregie a fallaci recentiorum interpretatione vindicatum, adhibita ope aliarum dissertationum quas S. Doctor post ann. 1762 edidit, eruditus lector reperiet in eadem vol. 1. oper. balleriniani appendice a n. 34 ad 50, et praesertim in nn. 44. 45.

Hisce rite intellectis nemini mirum videbitur S. Alphonsum, ut refert Auctor sub n. g.) ex epist. CCXVII et CLXXXVIII, noluisse permittere ut sive sacerdotes suae dioccesis, sive suae Congregationis alumni sententiam certo minus probabilem retinerent. Hanc enim explicaverat esse vel tenuiter vel dubie probabilem: porro jam in apologia prima contra Adelph. Dositeum (in antepenult. paragr. introduct.) scripserat: « so bene che niuno Probabilista di dottrina soda dà per lecito l'uso della tenuamente o dubbiamente probabile. » — Quomodo igitur ex illis testimoniis sequatur S. Doctorem a probabilistis discrepare in systemate suo, revera non apparet.

## PUNCTUM XII.

***In art. II. — Epistola alias allegata expenditur.***

Hic demum locus est perpendendi verba S. Doctoris in epistola CCCVIII. mens. dec. 1776. (corr. spec.) ab auctore superius, n. 71, relata: « Le dico che se io sapevo quest' ultima ristampa, l'avrei fatto sparambiare forse più di 10 fogli di carta, con togliere quelli fogli che vanno a principio, ciò è dalla pagina XI alla pag. LXXVI: perchè tutti quelli fogli, secondo il mio nuovo sistema che ho dichiarato nel *monito* (istud monitum quo compendium exhibetur totius systematis, invenitur ad calcem III vol. edit. 7. theol mor. et in 8. edit. cum seq., constituit I. partem dissertat. de systemate morali) poco o per dir meglio niente più servono. Servivano prima secondo il sistema de' gesuiti ch'io tenevo in parte (qui mancano parecchie parole).... (tutti questi fogli,) secondo il mio desiderio, se si potessero togliere da mezzo, lo avrei molto a caro; poichè alcuni perciò han criticata la mia Morale perchè leggendosi a principio quelli 18 fogli, pensavano che in tutta la mia Morale seguitassi il sistema dei Gesuiti: ma ciò non è vero perchè io nelle opinioni ho tenuta la più probabile. »

Haec porro, ut plenius intelligantur sejungi non debent ab aliis verbis S. Doctoris ex aliis epistolis ad eumdem Editorem quae non multo post, hanc secutae sunt:

Epist. CCCXII. 6. jun. 1777. (per l'ottava ristampa che vuol fare) « io mi posi a faticare per aggiustar l'opera come ha da venire, facendovi più picciole aggiunte, e togliendone molte carte e specialmente a principio dell'opera, le quali a parer mio, pregiudicano all'opera e rimuovono i compratori dal comprarla: perchè *al presente alla gente non piaciono più le cose che prima si scrivevano.* Basta. ».

Epist. CCCXIII. 19 junii 1777. «... (all'opera aggiustata per l'8 ediz.) « si sono aggiunti più fogli, che la rendono assai più desiderabile a compratori, secondo lo genio corrente (hic desunt duae lineae). »

Epist. CCCXIV 26. jun. a. 1777. « Per ora in Napoli i revisori de libri non han fatta difficoltà di ricevere queste copie antiche; ma per l'avvenire non sarà difficile che in Napoli queste copie antiche non si ricevano più: mentre al presente si trova dismessa la Compagnia,

e sono aborriti i libri e specialmente le morali de Gesuiti: onde per l'avvenire non sarà difficile che in Napoli (e cosi forse in altre parti d'Europa) facciano difficoltà di ricevere questa mia Morale antica in cui vi stanno aggiunti in principio più trattati fatti da Gesuiti, a favore del Probabilismo che oggidì è detestato universalmente da tutti ed in Napoli specialmente non si può nominare. Ed io in Napoli sono stato caricato da un Ministro.... che ha fatto una relazione contra di me e contra la mia Morale, dicendo che dalle opere mie si vede che io sono Probabilista e seguace del sistema de' Gesuiti distrutti: perlochè certamente a V. S. non converrà più di fare altra ristampa della mia Morale, se non che secondo la riforma che ho fatta di questa copia aggiustata, dove ho tolti tutti i trattati fatti da Gesuiti a favore del Probabilismo. »

Epist. CCCXVI. 27. nov. a. 1777. « io, sin d'allora, le avrei mandata questa Morale che ora sta da me cosi ben riformata, secondo quella copia che ultimamente le ho mandata; e questa sto certo che al presente, secondo il genio moderno, sarebbe molto più acclamata e ricercata della passata, la quale perchè stà unita con molte cose che al presente sono nauseate ed abborrite da letterati, (dispiace) specialmente per quelli trattati preliminari che vi sono al principio, ne quali sono molte cose probabilistiche; onde la gente leggendole, a principio, disprezza tutto ciò che viene appresso etc. »

Epist. CCCXVIII. 3 dec 1777. « Resto ora assicurato che Ella già ha ricevuta l'ultima mia Morale riformata; e spero prima di morire, che verrà tempo nel quale la stamperà in modo ch'io la possa far prendere a molti, poichè questa sola posso io chiamarla una opera compiuta e perfezionata, e plausibile a letterati del secolo corrente. »

Neque omittendae sunt aliae epistolae, quindecim circiter ante annos conscriptae, quando Sodales SS. Redemptoris primum consilium ceperunt ut textus Busembaum ab Opere morali S. Alphonsi expungeretur:

Epist. CII. 12 junii a. 1763. « Essendochè il nome di Busembaum si è renduto odioso quasi per tutto il mondo, ed io per mia disgrazia mi ritrovo aver preso a commentare questo benedetto autore che, quando è nominato, fa orrore come fosse nominato Lutero: pertanto hanno pensato i miei compagni della Congregazione di togliere dalla mia Morale il testo di Busembaum e fare che la Morale sia tutta mia, aggiungendovi però le definizioni, le distinzioni e le prime proposizioni

o sieno principj, che vi vogliono di più. Si lascerebbero le mie dissertazioni che stanno dietro dell'Opera; ma si toglierebbero tutte le aggiunte, fatte dal P. Zaccaria, le quali sono state belle un tempo, ma ora anche sono odiose parimente come Busembaum. L'opera in somma sarebbe tutta mia, come la vorrebbero oggidì le genti. Lodano l'opera, poi mi tagliano; perchè ho voluto commentare Busembaum.... quanto mi pento di aver preso a commentar Busembaum! Ma chi potea presagire la tempesta che dovea esservi contro il povero Busembaum?..... » Ep. CIII, 15 jun. 1763. « ..... Io già le scrissi la mia idea di fare componere (una nuova theol. mor. grande) dalle stesse mie cose, già scritte.... levandone affatto Busembaum, renduto odioso per tutto il mondo, e non solo il frontespizio (ut ipse Remondini editor proposuerat), ma anche tutto il testo di Busembaum.... Io da tutte le parti ricevo questo rimprovero di aver voluto seguitar Busembaum e non aver voluto fare questa opera della morale, tutta mia. — Io per altro non mi fiderei al presente di farlo solo; ma spero di farlo coll'aiuto dei compagni..... V. S. mi risponda e mi faccia sentire il suo sentimento. Se vuole la teologia tutta mia, come ho detto, tolto affatto il testo e nome di Busembaum, io procurerò di farla quanto più presto si può. Se poi vuole solamente le aggiunte mi chiamerò etc..... Ma si assicuri per quello che sento che tolto Busembaum da mezzo l'Opera mia avrebbe assai maggiore smaltimento. »

Epist. CIV. jul. 1763... « Ella poi mi scrive che stima di levarne dall'Opera Busembaum e Zaccaria e mettere solo il nome mio... Mettendosi poi già il testo di Busembaum, stimerei opportuno che non si levassero l'operette che vi stanno del P. Zaccaria le quali per altro sono belle. Del resto, in ciò faccia ella come comanda. » Ep. CVI. jul. 1763. «..... Io già avevo dato a raccogliere le aggiunte per la ristampa dell'opera con Busembaum; ma sentendo ora in questa vostra ultima che avreste a caro di stampare l'Opera, come tutta mia, siccome si è disegnato di fare, io già ho scritto a miei compagni etc... — Se poi V. S. mutasse sentimento e volesse queste aggiunte, per ristampare l'opera con Busembaum, me lo scriva, che ce le manderò. Ma io direi che sarebbe meglio di aver un poco di pazienza, finchè si compisca l'opera nel modo pensato etc. »

In epist. CXVII. mens. aug. 1763 (cf. etiam epist. CCLXIII. 20 aug. 1772.) Exponit maximas difficultates quibus in praesentibus adjunctis ipsi impossibile fit opus morale refundere sine textu Busembaum; decernit

itaque rursus edendum esse cum isto textu et novis adjunctis. Deinde in P. S. subdit: « Non ha dubbio che il nome di Busembaum oggidì è odioso: nulladimeno è certo che sinora è stato lodato e il suo metodo è celebrato da tutti. E non solo La Croix ma anche Franzoia, autore rigido ha commentato Busembaum; e il mio libro, benchè abbia commentato Busembaum, pure ha avuto smaltimento da per tutto. »

Idem repetit in ep. CVIII. 26 aug. 1763.

Epist. CIX. 1. sept. 1763. « .... e la pregherei a non toglier niente dal libro come ora sta: perchè i prolegomeni del P. Zaccaria, è certo che sono belli.... io, come dico, non toglierei niente; perchè può essere che dicano poi che questa nuova edizione sia uscita mancante » — cf. epist. XVI (corr. spec.) — epist. XXII. — epist. XXXIV.

Ep. CXI. Octob. 1763. « La prego a non togliere dal libro i Prolegomeni del P. Zaccaria, perchè son dotti e sono stati piaciuti. »

Ep. CXIII. 24 oct. 1763. « La prego quando si farà la ristampa a non lasciar di mettervi le cose del P. Zaccaria e del P. Mansi, perchè son cose molto utili.

Idemque repetit in epist. CXIV. CXV.

Bene perspectis itaque omnibus istis documentis, evidentius adhuc apparet quod [1]) ratio praecipua qua S. Doctor Busembaum et probabilistarum doctrinam abnuere modo quem vidimus coactus est, desumenda est ex vicissitudine temporum, ad majus malum avertendum; [2]) quod si in prima epist. citata dixerit se *in parte* tantum probabilistarum systemati adhaesisse hanc assertionem retulit ad sensum quo in apologia contra Magli et in variis epistolis audivimus ipsum dicentem se *non esse probabilistam*:

Eo sensu nempe 1) quod abnuit ex *sola* opinionum probabilitate desumi posse fundamentum sufficiens ad efformandam conscientiam practice certam (cf. v. g. corr. spec. epist. CCLXI). — 2) Quod voluit explicite distinguere certitudinem excessus probabilitatis a majori probabilitate ejusdem excessus. — 3) quod in multis particularibus controversiis, subjectivum adhibuit criterium rigidius, quam plerique probabilistae (v. g. in fine ep. CCXVII. et ep. LXXX.)

Atqui quoad primum probabilistae universi idem docen,

ipso S. Alphonso teste; quoad secundum, probabilistae alia via in eamdem distinctionem concurrunt. Tertium vero est quid omnino subjectivum et independens a systemate.

Ergo *partialis* iste dissensus a systemate probabilistarum referri debet non ad principia systematis, sed ad *modum* et formulam proponendi unum idemque systema, et ad rationem eo utendi, particulari personae propriam.

Coeteroqui in epist. CCCVIII. in qua ista verba (il systema de Gesuiti che io teneva in parte) scripta sunt, Editor ipse Epistolarum S. Doctoris advertit intra parenthesim illic deesse nonnullas lineas. *Quomodo* autem acciderit hujusmodi mutilatio praecise in tali loco, et in aliis etiam epistolis de simili argumento, semel vel iterum contigisse advertatur; nobis, quibus, nec manuscripta originalia nec eorum singulorum historia praesto sunt, divinari non licet neque convenit. Unum dicimus; quaecumque tandem fuerit causa vel occasio lacerationis, probabile satis est S. Doctorem in istis praecisis lineis sensum verum antecedentium verborum aperuisse; quidquid tamen sit de hoc, satis debile videtur criticum argumentum ex verbis truncatis desumptum.

In fumum itaque, ni fallimur, abierunt « numerosa, » « convincentia » « evidentia » « manifesta « ab Auctore nostro congesta testimonia in confirmationem primi sui argumenti. (a. n. 76. ad 78).

## PUNCTUM XIII.

***In art. II. — Prima pars argumenti secundi Auct. dissolvitur.***

Nn. 79 - 84. S. Alphonsus probatur fuisse aequiprobabilista nedum probabilista, ex derelictione istorum omnium quae pristinae suae doctrinae pure probabilisticae favebant.

Imprimis Auctor animadverti vult nequaquam in hypothesi vel potius in thesi ipsius, requiri explicitam retractionem Pro-

babilismi simplicis a S. Doctore post ann. 1762 factam, quam desiderari implicite fatetur egregius Auctor noster. — At, quaeso nonne hoc ipso probatur omnes propositiones illas numeris antecedentibus ab A. relatas, quibus S. Doctor diffitetur se esse probabilistam, se sequi systema et laxam doctrinam Iesuitarum etc, non prout sonant esse audiendas? Si autem ita est, ad quid heic congestae sunt? Hoc tamen omisso, transeamus ad singula quae dum probabilisticae doctrinae favent, dicuntur a S. Alphonso derelicta.

PRIMUM est (n. 80) axioma: qui probabiliter agit, prudenter agit. Auctor itaque dicit hoc axioma pure probabilisticum et communiter receptum, fuisse a S. Doctore primo admissum in dissertat. ann. 1749; postea vero declaratum per se loquendo falsum, in dissert. ann. 1762; quamvis in theol mor. l. 1. n. 80. habeatur ut prudens et certum si accipiatur tanquam innixum aliis principiis reflexis; falsum autem si accipiatur absque illis, tanquam principium directum.

Atqui, dicimus nos, jam ab anno 1749 S. D. ad finem conscientiae certae efformandae de honestate actionis, recepit ipsum, non sejunctum ab aliis principiis reflexis sed tanquam iis innixum, et hoc modo postea semper ipsum retinuit; quotiesque rejecit, rejecit tanquam principium directum ab illis aliis sejunctum. Ergo nulla variatio invenitur in doctrina S. Doctoris relate ad hujusmodi axioma, nisi forte quod postea explicite et diserte explicavit id quod minus explicite jam in dissert, ann. 1749 docuerat, ut statim fiet manifestum ex ipsomet ejus testimonio.

Probatur itaque minor:

In dissertat. ann. 1749 ita scribit S. Doctor: (pag. 6. vol. 15. edit. taur. 1829).

« Secunda sententia docet licitum esse uti opinione solide probabili, probabiliori omissa. » Deinde pag. 10: « At non solum auctoritatibus sed etiam validissimis rationibus et potissimum quinque nostra sententia firmatur: Ratio I. est quia ad honeste agendum sufficit prudenter agere quin prudentius agere

teneamur. Commune est enim et communiter receptum axioma illud: *qui probabiliter agit prudenter agit.* »

Porro censendus est S. Doctor non usus esse isto axiomate in hoc argumento efformando, alio sensu ac adhibebatur *communiter* ab omnibus probabilistis, quandoquidem ipsum assumit ut axioma communiter receptum, nec aliud quidpiam heic tradit ad ipsum declarandum, praeter communem th. th. adhaesionem.

Atqui ipsemet S. Doctor nos docuit th. th. communiter hoc axioma recepisse non sejunctum ab aliis principiis reflexis sed tanquam iis innixum. Ergo. Probatur haec ultima minor: In dissert. ital. ann. 1765, cap. VI. n. 6. legitur: « Ma questi autori (la comune dei th. th.), mi dice il P. Lettore, da voi stesso tengonsi per ingannati, mentre per tal sentenza dell' uso lecito dell' opinione probabile avvaleansi di quel principio che da voi è riprovato, *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Si signore, tale principio dico che solo e per se direttamente parlando, non basta per operare lecitamente, perchè non avendosi altro fundamento che la sola probabilità dell' opinione, manca la certezza morale dell' onestà dell' azione. Nondimeno dico che (come abbiam veduto di sopra) già molti autori si son avvaluti dello stesso nostro principio che la legge dubbia non può obbligare. Di più io giudico che neppure gli autori mentovati appoggiavano solamente a quel principio *Qui probabiliter agit* ecc. la loro sentenza e la discorro così. Essi da una parte confessavano già che per operare lecitamente è necessaria la morale certezza che l'azione sia onesta, secondo la scrittura che dice: *Ante omnia verbum verax praecedat te et ante omnem actum consilium stabile. Eccl. 37. 20.* E questo è quel che volle dire il Card. Bellarmino scrivendo ad un Vescovo... che dove la coscienza non trova la certezza morale di ben operare (che è la verità che solo può e dee cercarsi nelle materie morali) dee tenersi la parte più sicura. All' incontro essi medesimi autori aveano scritti ed asseguati come principi, che non obbliga la legge, la quale non è sufficientemente promulgata: e che dove possiede la libertà, la legge

dubbia non può indurre un' obbligazione certa, con quel principio da essi così spesso adoperato, che *in dubio melior est conditio possidentis.* Dunque se tali principj non li spiegavano, certamente almeno li supponeano. Dice un' Autore probabilista (Ferraris. Bibl. t. 2. v. Conscientia n. 8.) che chi opera secondo l'opinione probabile, oltre il giudizio opinativo diretto, ha almeno virtualmente il giudizio riflesso, col quale certamente giudica di lecitamente operare. È vero che asseriscono già come un' assioma gli Autori riferiti il Detto, che opera prudentemente chi probabilmente opera; ma se fosse stato loro dimandato: Come poteva operar prudentemente, chi operava senza il dettame certo della coscienza? Avrebbero facilmente risposto, che il dettame certo formavasi per gli altri principj dichiarati di sopra; sicchè l' assioma suddetto era da essi affacciato nón già come principio, ma più presto come una conseguenza, ossia corollario che ricavavasi dagli altri principj. » Brevius repetit idem cap. eod. n. 8. Locum hunc deinde latine translatum, inseruit in th. mor. l. 1. n. 80. unde Auctor noster excerpsit quidem *distinctionem* quam S. Doctor huic principio adhibuit, *reticet* vero *testimonium* quo S. D. protestatur auctores Probabilistas *cum hac debita distinctione eodem axiomate fuisse usos.*

Coeteroqui rem ita esse sicut affirmat S. Alph., cuicumque facile erit propriis oculis cernere, si legerit textus plurimorum DD. a P. Ballerini congestos, institutamque ab eodem criticam hujus rei demonstrationem in Oper. mor. Edit. 2ª v. I. tr. II. n. 83-104.

Haec jam sufficerent ad demonstrandam ineptitudinem hujus primi argumenti R. Auctoris. Verum idem confirmatur etiam si paulo diligentius perpenderimus I. rationem illam a S. Alph. in dissertat. a. 1749, allatam in confirmationem thesis sibi propositae.

Sane S. Doctor immediate post verba a nobis jam recitata, subjungit: « Sinnichius et alii tenebant non esse licitum sequi opiniones probabiles sed inter probabiles tutiores semper eligendas esse etc. » et prosequitur polemice et late demonstrando

licitum esse sequi opiniones probabiles nec semper tutiores esse eligendas, ex eo quod sola rei probabilitas non cogit intellectum, voluntati vero *potest* esse bonum, imperare assensum huic parti probabili. Haec autem ejus conclusio heic late demonstrata, potiusquam sit ipsum illud axioma: *Qui probabiliter agit etc.*, est *suppositum* huius axiomatis quod Sinnichius negaverat.

Totum vero argumentum S. Doctoris quod proprie constituit *I rationem* ejus thesis, continetur tribus illis propositionibus quas ab initio transcripsimus.

Porro ut curreret conclusio hujus argumenti satis in praesenti erat ut verum esset *licere aliquando practicum usum* opinionum probabilium, qui significatur per verba: « *qui probabiliter agit* ». Atque hoc verum esse S. Doctor assumit ex communi th. th. adhaesione relato axiomati. — *Quomodo* deinde in praxi ad efformandam conscientiam practice certam de honestate actionis, *utamur* opinionibus probabilibus, hoc, inquam, *in isto loco*, a S. Doctore non explicatur diserte et ex professo, sed *supponitur* et satis significatur, ut ostendimus, eo solo quod sumitur axioma *sensu eodem* quo communiter accipiebatur a Probabilistis. Diximus *in isto loco*, quia in eadem dissert. pag. 49 edit. citatae, ex professo docet et propugnat hunc usum opinionis speculative dubiae, fieri licitum ex certitudine reflexa; idque incipit declarare postquam brevi synopsi resumpserat quinque allatas rationes pro sua thesi.

Postea, Patutio sophistice urgente, ut audivimus in dissert. anni 1765, S. Doctor coactus est exponere explicite et ex professo idem quod implicite in hac dissertatione innuerat. Quocirca si serius, pluribus locis et in epistolis et alibi, *absolute* rejecit illud axioma, ad id adactus est pertinaci adversariorum et nominatim Patutii impugnatione, qua isti, neglectis ejus responsionibus, easdem semper objectiones veluti nondum dissolutas recoquebant. (Cf. th. mor. l. 1. n. 86-88 monit. II.) Unde Sanctus et mansuetissimus Alphonsus satius duxit abstinere a defendendo axiomate quod ex adversariorum perfidia occasionem et periculum induce-

bat ut laxismi incriminaretur, dum veritati sufficienter in ipsius systemate consultum erat aliis statutis principiis reflexis.

Quare Egregius aequiprobabilismi propugnator in praesenti apologetica dissertatione, isto loco tandem aliquando nihil aliud fecit quam alio modo idipsum rursus affigere S. Alphonso quod ipse S. D. in Patutio retuderat. (« Ma questi autori, mi dice il P. Lettore etc. » ut supra).

## PUNCTUM XIV.

***In art. II. — Secunda pars argumenti II. Auct. dissolvitur.***

ALTERUM DOCTRINAE PROBABILISTICAE ELEMENTUM, quod S. Alphonsus decursu temporis dereliquisse ab auctore dicitur, refertur ad ipsius doctrinam de elisione. Auctor itaque docet S. Doctorem dum in dissertat. a. 1749 eam rejecit, deinceps primo quidem in dissertat. a. 1755, eam partim rejecisse partim admississe; post vero annum 1762, absque ulla restrictione retinuisse non solum in conflictu aequiprobabilium sed etiam in concursu certe probabilioris cum certe minus probabili opinione; atque singula heic asserta verbis S. D. allegatis corroborat. Verum haec facile diluuntur.

1) In dissert. anni 1749 S. D. idem omnino ex professo docuit, quod postea legitur in dissert. ann. 1755.

2) In concursu opinionis certe probabilioris cum certe minus probabili, in *omnibus* dissertationibus eamdem constanter retinuit doctrinam, de elisione cum omnibus probabilistis; hoc solo discrimine quod post ann. 1762 ipsam alia formula proposuit.

3) In conflictu aequiprobabilium *nunquam* elisionem admisit nisi relate ad *assensum* alterutri opinioni, qui, spectatis aequalibus utrinque momentis irrationabiliter imperaretur.

Quoad *primum* sane in dissertat. ann. 1755 n. 13 scribit: « Falsum esse, majorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam *concincens* ar-

gumentum, ut contraria vere improbabilis, vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis (ut fere semper accidit in opinionum concursu) vim accipiat; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur etc. »

Iamvero in dissert. ann. 1749 (p. 20) scripserat: « Falsum est igitur dicere quod major probabilitas sententiae unius elidat et destruat contrariae probabilitatem. » Idque declarat duplici alio allato argumento atque post viginti lineas pag. 21 subdit: « non nego autem quod etiam in genere judicii major probabilitas elideret, minorem, casu quo ex eodem principio utraque probabilitas procederet sed utique non elidit, cum illae, probabilitates ex diversis principiis emanant, quia tunc quaelibet vim suam retinet, dum adhuc pro minori probabilitate tunc esse veritas probari potest. » — Ac ibidem pag. 13, 14. « Nostri autem auctores bene distinguunt sententiam moraliter certam ab opinione probabili: et dicunt quod sententia, cujus opposita *non est probabilis, vel est exigue probabilis* illa est certa moraliter. Opinio vero probabilis est ea quae gravi motivo nititur, sed fallibili et cum formidine oppositi ita ut contraria *opinio etiam sit probabilis* ideoque vera esse possit. » — Infra pag. 56 in concl. §. I. « Concluditur igitur, licitum esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, *modo illa gravi motivo nitatur*, sive intrinseco scilicet ex ratione, sive extrinseco ex auctoritate dd. »

Quae porro si conferantur, inveniuntur identica, tum quoad substantiam, tum quoad proponendi modum; unica discrepantia in eo est quod in dissertatione ann. 1755, pars cui opponitur opinio improbabilis vel dubie sive leviter probabilis, appellatur « opinio probabilior habens pro se argumentum adeo *convincens* ut ... »; in dissertatione vero ann. 1749, haec eadem appellatur « sententia moraliter certa. » — At profecto in re morali, ut saepe ex ipso S. Alph. didicimus, haec duo aequiparantur, praecipue relate ad praxim.

Quod ad *alterum* attinet, res evidens fit ex locis dissert. a. 1749, nunc allatis. S. D. enim in sua conclusione non concedit licitum esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, *nisi illa gravi motivo nitatur;* imo praecipua argumenta totius dissertationis directe evincunt licitum esse sequi sententiam solide tantummodo *probabilem*, neque dari obligationem sequendi probabiliorem isti oppositam.

Ergo implicite docet eo ipso, *non esse licitum eam* sequi, si morali oppositae certitudine deprimatur ad levem probabilitatem sive ad improbabilitatem. Imo et hoc explicite etiam docet. — Praeterea circa idem tempus primam theol. mor. editionem deprompsit sub titulo: Medulla theol. mor. R. P. Busembaum cum adnotationibus, etc. Atqui in ea docet ipsis Busembaum verbis (supra relatis:) « si (opinio) probabilitatem amiserit ob..... rationem gravem de novo inventam quae difficulter refutanda videatur, non habet locum responsio. » Haec autem a Busembaum desumpta sunt ex doctrina Probabilistarum communi. Ergo stat secundum nostrum assertum.

*Tertium* tandem jam fuse probatum est.

## PUNCTUM XV.

***In art. II. — Tertia pars argumenti secundi Auctoris dissolvitur.***

Tertium doctrinae probabilisticae elementum circa quod Auctor dicit S. Alphonsum sententiam variasse (n. 82), est, *in conflictu opinionum aequiprobabilium, judicium suspendi:* nam in dissert. a. 1755 docuit ex S. Thoma bene posse alicui parti assentiri, licet cum formidine oppositae. (dissert. 1755. n. 68.) — Postea vero, in th. m. *l. 1. n. 69.* scripsit: « Alterum principium quorumdam Probabilistarum est hoc, quod cum utraque opinio est probabilis homo circa opinionem tutiorem judicium suspendit et probabilitati opinionis benignae se innitens, operatur. Sed *juste* P. Berti tale principium *reprobat:* illud enim nequaquam de actionis honestate nos certos reddere valet, cum hujusmodi

*suspensio judicii sit mere voluntaria,* unde excusare non potest quin ignorantia sit vere vincibilis, ideoque eo modo nequit equidem dubium deponi. » Rursus *l. 1. n. 71.* « Cum duae probabiles opiniones occurrunt ipsae *adeo* judicium *suspendunt,* ac si nulla ex utraque parte probabilitas existeret. »

Atqui, reponimus, haec neque in re, neque *specie tenus,* ut ait Auctor, sibi contradicunt; sed isti duo textus in eo quod *diserte* exprimunt inadaequate tantum distinguuntur, ut legenti fit manifestum; in eo vero quod *supponunt* optime conciliantur. Ergo. —

Sane quod asseritur in dissertatione ann. 1755 diserte repetitur in th. m. n. 69: *suspensio judicii est mere voluntaria;* verba vero ex n. 71. pluries jam ostendimus non posse intelligi nisi de defectu *rationabilis* motivi imperandi assensum alterutri parti, praecise *quia probabilitas utriusque subsistit.*

Quod autem asseritur in n. 69. th. moral. scilicet: istud principium *per se* non sufficere ad efformandam conscientiam certam de honestate actionis, dubio practico deposito:

Idipsum in illa dissert. anni 1755 jam fuerat perspicue demonstratum n. 15 ubi S. D. scripserat: « *semper* distinguere oportet (in quantum pertinet ad operandum) duas veritates, unam rei speculativam, alteram honestatis actionis practicam.... unde dicimus quod non quia probabilius sit aliquid a lege vetari, ideo non liceat uti opinione libertati favente; quamvis enim propter aliquod argumentum videatur probabilius veritatem *rei* stare pro lege, tamen potest esse probabilius, veritatem *honestatis* stare pro libertate propter alia motiva quae directe honestatem probent nimirum quia lex dubia non obligat etc... » — Idemque apertius etiam jam docuerat in dissert. ann. 1749 pag. 49 edit. citatae, ut vidimus; atque iterum in diss. an. 1755. n. 26 iterumque nn. 54, 55 tandem nn. 74, 75 supra dicta succincte resumendo. Jamvero idem a fortiori evidentissime valet in conflictu aequiprobabilium, ut innuit S. Doctor in diss. a. 1755 nn. 61, 62.

Quae cum ita sint, manifestum est in iis omnibus *speciem*

variationis illi soli apparere potuisse qui vel abrepta a contextu verba legerit, vel contextum sibimet dissimulare quacumque tandem ratione voluerit; quorum utrumque, quantum sanae noceat criticae, nemo non videt.

## PUNCTUM XVI.

***In art. II. — Quarta pars argumenti secundi Auct. dissolvitur.***

QUARTUM ELEMENTUM probabilismi simplicis quod, juxta Auctorem, S. Alphonsus postea dereliquit, in eo est quod in disp. an. 1755 professus erat *moraliter impossibile* ut fiamus *certi* aliquam opinionem esse *vere* probabiliorem vel habere requisitam praeponderantiam. Dum e contra, post. ann. 1762 constanter supponit *nos posse hanc assequi certitudinem* cum prima regula *sui* systematis ab ipso ut certa et evidens tradatur; quando sententia legi favens est *certo et sine haesitatione* probabilior, est omnino retinenda.

Haec sane satis aperta esset retractatio, si supponeretur S. Doctor, dum post. ann. 1762. totum systema duabus illis regulis saepe relatis contraxit, subdivisisse tantum, ad eas statuendas, opinionem probabiliorem, in paulo probabiliorem et multo probabiliorem; non vero novam divisionem instituisse, sub respectu diverso ab eo sub quo prius in praenotionibus opinionis probabilis species tradiderat: sicut fuse explicatum jam est. In illa enim hypothesi, opinionibus in *subdivisione* relatis convenire deberent omnes notae opinionis probabilioris quam subdividerent: inde tot contradictiones quas ut evitaret egregius Auctor recurrendum censuit ad thesim illam Patutii aliorumque ejusdem furfuris, circa proprie dictae probabilitatis definitionem.

Atvero remota illa hypothesi, reque, ut diximus, explicata, omnis contradictio evanescit, cum ea quae opinioni simpliciter probabiliori conveniunt, non debeant necessario tribui ei

opinioni quam S. D. sub alio respectu vocavit certo probabiliorem.

Perpendantur sane ex una parte verba n. 48 dissert. ann. 1755 ab Auct. citata; perpendantur alia omnia ex eadem dissertatione a P. Ballerini in n. (a) ** n. 66. vol. I. Gury. congesta: singula profecto ibi asserta a S. Alphonso, experientia luculenter comperiuntur vera esse, de opinione sive parum sive multum probabiliori *cujus tamen oppositam jam certo constat esse solide probabilem.* — Reapse de ea S. D. totam suam instituit dissertationem, sicut ipso titulo fit manifestum.

Opinio ex altera parte, quam in suis regulis ipse dicit certo probabiliorem, uti vidimus, est penitus alia ab opinione probabiliori cui jam certo constat opponi solide probabilem; neque alia potest esse quam illa quae agnoscitur in publica scholarum aestimatione *communissima.* Porro haec omnibus consentientibus facillime potest sine haesitatione agnosci notabiliter probabilior.

Ergo in statuenda sua regula S. D. non abjecit, ut scribit Auctor, alterum membrum dilemmatis quod fecerat inter excessum probabilitatis *parvum* vel *magnum*, sed significare voluit opinionem illam quae suo pondere *adeo* praevalet oppositae ut hanc deprimat ad levem vel dubiam probabilitatem: porro hoc non efficit quivis notabilis etiam excessus sed ille solus de quo nulla omnino superest certa ratio dubitandi sive ex parte ipsius sive ex parte oppositae: gradus sane multi, quantumvis difficile determinentur, revera tamen dantur in hac praeponderantia.

Unum adhuc liceat advertere: « textu isto (dissert. a. 1755. n. 48.), scribit Auctor, contra Aequiprobabilistas *abutuntur* Ballerinianí: puta Ballerini (in Gury t. 1. de consc. n. 66 nota a), Raphael a S. Joseph. (de Consc. n. 226). » — Omisso nunc egregio hoc altero theologo, satis sit pro P. Ballerini respondere.

Nimirum in citata nota, iste textus S. Alphonsi et plures alii ex eadem dissertatione, depromuntur non quidem ut demonstretur S. Doctor fuisse probabilista, (de hac enim quae-

stione ne verbum quidem ibi facit aut Gury in textu, aut ejus adnotator); sed ut per *objectivam doctrinam* textibus contentam quae sua vi et evidentia se commendat, confirmetur argumentum III Gury contra *Probabilioristas*. *Abusus* itaque de quo A. incriminatur Patrem Ballerini in hoc tantum potest consistere quod verum objectivum dixerit, atque ad ipsum exprimendum ad terminos recurrerit a S. Doctore Alphonso olim adhibitos. Incriminatio idcirco vel convincitur falsa vel aequo titulo ac in Ballerinium, recidit in Sanctum.

Verum hujusmodi lapsum potius calamo quam scribenti tribuere malo.

QUINTO LOCO recenset Auctor mutationem a S. Alphonso admissam quoad applicationem principii possessionis. Qua de re quamvis jam monuerimus hanc mutationem nihil omnino conferre causae Auctoris nostri, infra alio tamen fine, in ejus c. IV opportunius cum ipso agemus.

Duobus tandem ultimis argumentis a R. P. de Caigny sub. nn. 85-87 propositis jam abundanter ex dictis satisfactum est.

Articulo sequenti adversariorum interpretationes in quaestione critica systematis alphonsiani ab Auctore rejiciuntur atque, iis quae omnibus Ballerinianis, ut ait, communia sunt, in ipsius P. Ballerini interpretationem reductis, alia nonnullis nostrae aetatis auctoribus specialia speciali trutina pensantur.

## SECTIO II.

### *Aliorum Probabilistarum interpretatio vindicatur.*

---

### PUNCTUM I.

#### *In art. III — Duo praemonenda.*

Antequam singula quae heic asserta leguntur ad crisim revocemus, quo expeditius et clarius progrediamur in ipsa crisi instituenda, duo convenit praemittere.

I. quidem sedulo distingui debet *veritas* hujus *criticae* conclusionis: systema quod S. D. Alphonsus ab anno 1762 docuit et retinuit est simplex et communis probabilismus alia indutus veste, ab ea sub qua ann. 1749 et 1755 eum ipsum tradiderat: distingui, inquam debet, a criticis argumentis quibus eam demonstrare aliter alii inter probabilistas susceperunt. Praecipui sane, quos heic recenset Auctor, in eamdem conveniunt conclusionem; non omnes tamen eadem via: viae rursus quas singuli prosequuntur, *in substantia* tandem aliquando plus minusve non discrepant atque rectae dici possunt, quamvis una alterave aliquo circuitu detorqueatur minus recto. Hujusmodi tamen aberratio Aequiprobabilistis hodiernis occasionem praebuit non solum argumenta sed et conclusionem impugnandi, sicut cuique diligenter perpendenti hanc nostram dissertatiunculam, fieri potest manifestum.

Ita v. g. P. Ballerini in diss. posth. (8 - 13. 15-18) critice et ineluctabiliter demonstrat opinionem certe probabiliorem quam S. D. postea dixit esse retinendam, diversam omnino esse ab illa probabiliori pro lege quam in concursu solide probabilis, antea (ann. 1749, 1755) docuerat posse relinqui. Atque hoc medio termino rite ibi statuto, legitime et statim fluit conclusio. — Decursu tamen huius demonstrationis (14) occurrit ipsi schema opinionum probabilium duplex, alterum a P. Haringer, al-

terum a P. Heilig propositum, et in utroque confusio illa quam supra indicavimus, duplicis divisionis sub diverso respectu factae, in unam unumque schema. Quam confusionem forte non advertens clarissimus scriptor, occasionem et ansam aequiprobabilistis praebuit (qui ne quidem ipsi confusionem adverterunt), ut totum argumentum suspicarentur esse fallax aliamque a probabilioristicis principiis mutuarentur textus alphonsiani explicationem.

II. Idcirco menti opportune revocandum est S. Doctorem in prima definitione et divisione quam dedit (th. mor. l. 1. n. 40. — H. A. tr. 1. n. 21, 29) opinionis probabilis, eam veluti a priori, in abstracto, in suis notis essentialibus spectasse; quas ut definiret eam *opposuit* illi objectivo motivo quod intellectum absque prudenti formidine firmat: ut autem divideret, eam spectavit relate ad vim movendi quae oppositae opinioni plus minusve superest. Unde oportet ut eadem cum tenuiter probabili motivo et cum moraliter certo *oppositio* quae solide probabili *in genere* competit, conveniat etiam singulis hujus divisionis membris. Numquam ergo opinio probabilior ita definita potest confundi cum moraliter certa: illa enim essentialiter consistit in assensu cum prudenti formidine oppositi; haec in assensu absque ea; contradictorie ideo et essentialiter distinguuntur.

Verum S. Doctor prae oculis etiam habuit doctrinam quam ann. 1749 in citata dissert. pag. 48 his verbis ex antiquioribus scholasticis desumpserat: « certitudo enim ALIQUANDO non resultat ex uno principio convincente, sed ex multis conjecturis gravibus et verisimilibus quae ad idem conferunt, ut dicunt S. Antonin. et Sylvius ap. Croix n. 184 his verbis: certitudo moralis non resultat ex evidentia demonstrationis sed ex probabilibus conjecturis, grossis et figuralibus, magis ad unam partem quam aliam se habentibus: seu ex iis quae pluribus et maxime sapientibus apparent vera. Et huic consentiunt etiam adversarii... Nat. Alexand. *l. 3. de pecc. reģ. 18....* Fagnan. *in c. Innitaris de Const.....* » Et immediate antea scripserat: « Ad certitudinem autem moralem alicujus sententiae non requiritur, ut

auctores oppositam docentes omni ratione adhuc levi careant; sed sufficit si sententia illa, *omnibus perpensis, ita vera apparet ut contrariae vix supersit apparentia veritatis*, ut ait Croix l. 1. n. 181.. vel, ut docet ibid. Lessius, ut contraria non videatur satis probabilis. »

Ista congruunt cum iis quae p. 98 notavimus juxta dissert. ann. 1765, certitudinem moralem *strictam* esse *duplicem*, unam ex motivo adeo *convincenti* ut oppositum *certo falsum* censeri debeat, alteram ex motivo adeo *gravi* ut oppositum *levem ad summum* suspicionem ingerat. Heic porro hanc ultimam significavit, cui deinde proxime accedit opinio *probabilissima*, oppositam habens *dubiam* probabilitatem.

Haec ipsissimis S. Doctoris verbis ex diss. ann. 1749, retulimus non quasi recurrendo ad ejus auctoritatem; sed ut critice ostendamus ipsum meminisse hujus doctrinae quae certissima est, quamque ne quidem Auctor noster diffitetur, ut infra videbimus (ad n. Auct. 114 sqq.)

Hoc itaque supposito manifestum est S. Alphonsum non praeterfugisse SENTENTIAM MORALITER CERTAM, quando motivo nec convincente, nec stricte evidenti nititur, ratione « conjecturarum gravium et verisimilium ex quibus ipsa exsurgit, opposita gravem veritatis apparentiam non retinente, sententiam, dico, moraliter certam posse hac ratione motivi *non stricte evidentis* APPELLARI OPINIONEM CERTO PROBABILIOREM non quidem ubi per definitiones stricta specierum probabilitatis notio erat tradenda, sed ubi quaestio *practice* erat solvenda, utrum major probabilitas pro lege sineret an non, nos uti principiis reflexis. Unde relicta priori divisione quae ipsi inservierat ad bene determinandam notionem et gradus solidae probabilitatis, novam instituit opinionis divisionem sub exclusivo respectu conscientiae certae practice ex principiis reflexis efformandae, uti jam explicavimus.

Potuisset sane, absolute loquendo, ad instar methodi communiter a Probabilistis retentae, ex sola prima facta divisione statuere principium : ubicumque opinio contra legem est solide

probabilis in quocumque gradu, lex est dubia ideoque non obligat: potuisset, inquam, ita procedere, quia reapse, si opinio pro lege est modo supra explicato certe et notabiliter probabilior, opinio contra legem non remanet solide probabilis ideoque nec applicari amplius potest principium statutum (Revera probabilistae, ut audivimus ab ipso S. A. in diss. a. 1749. pag. 13, 14 ed. cit., vocabant illam opinionem adeo probabiliorem ut opposita non sit probabilis, *sententiam moraliter certam*; ideoque pro ipsis non dabatur locus confusioni notionum in primo schemate divisionis statutarum). Sed ex pertinacia et ex difficultatibus adversariorum antiprobabilistarum adactus est ad rem eamdem alio aspectu proponendam, proficiscendo nempe non amplius ex solidae probabilitatis consideratione, sed ex consideratione excessus probabilitatis de quo erat controversia; atque ex eo quod probabilioristae vocabant *opinionem certo probabiliorem*, eam quam probabilistae appellabant *sententiam moraliter certam* utrique autem concedebant eam ipsam, si legi faveret, esse retinendam; inde S. Doctor, mutato ejus nomine, idipsum quod probabilistae asserebant, asseruit sub formula probabilioristarum. Hoc autem ut logice faceret, non subdivisit pristinam divisionem statutam, sed novam sub novo respectu instituit, ne confunderentur notiones.

Res nimirum sola declaratione fieri potest manifesta;

Etenim, supposito quod lex dubia, sive lex incerta non obligat, quaestio practica erat solvenda, quandonam revera posset lex dici dubia. S. D. itaque advertit legem dici posse positive dubiam quoties opinio pro lege est solide probabilis; inspecto autem primo schemate definitionis et divisionis opinionis probabilis, vidit opinionem pro lege esse solide probabilem quoties opinio contra legem est probabilis, probabilior; non vero si opinio contra legem est sive late sive stricte moraliter certa.

— Hoc statuto, se convertit ad audiendos adversarios, hinc probabilistas, inde probabilioristas, atque animadvertit 1) verum esse legem non esse dubiam quoties opinio pro lege est probabilior sensu quo ipsi probabilioristae probabiliorem expli-

cant, i. e. moraliter certa. — 2) hoc eorum assertum *materialiter* convenire cum asserto probabilistico: inspecto enim schemate probabilistico, agnovit probabiliorem Probabilioristarum eam ipsam esse quam probabilistae vocant moraliter certam late vel stricte. — Ut eos igitur conciliaret unam sumere voluit denominationem unius ejusdem opinionis quam adversarii diverso appellabant nomine: denominationem autem desumpsit a probabilioristis quia tandem aliquando certitudo lata vel stricta (secundo sensu) moralis, huic opinioni provenit non ex evidentia sed ex excessu verisimilitudinis. Hoc tamen potuit facere quin perverteret notiones et definitiones statutas, quia sub novo respectu exclusive spectabat excessum probabilitatis, sub quo certe poterat novam divisionem instituere: atque iste respectus erat, quod excessus probabilitatis oppositam opinionem relinqueret *dubiam vel non.*

Tunc non amplius in abstracto et veluti a priori, uti diximus pro primo schemate instituendo, spectavit notiones essentiales, sed *a posteriori, ex inductione* inquisivit quandonam *de facto* contingeret excessum probabilitatis efficere ut opposita opinio non esset amplius dubia. In praxi itaque et *a posteriori* agnovit hoc contingere quoties sine haesitatione, omnibus perpensis, certo asseri potest adesse hujusmodi excessum; hoc autem non posse certo asseri *nisi* quoties excessus iste est notabilis valde; Quoties vero excessus non est ita notabilis, id non posse sine haesitatione certo asseri. Potuit idcirco et voluit relate ad dubium remanens vel non in parte opposita, *adaequate dividere* excessum probabilitatis in excessum *certum* et in excessum *non certum*; atque regulam generalem et adaequatam tradere: in primo casu, si excessus militat pro lege, legem non esse dubiam, in secundo vero casu, legem esse dubiam.

Hunc porro fuisse processum S. Doctoris ad statuendam duplicem suam regulam, potest *critice* demonstrari: haec sane probatio critica efflorescit tum ex analysi supra a nobis instituta textus classici in hac materia, *th. mor. l. 1. n. 55. 56. 57.*;

tum ex omnibus animadversionibus passim allatis ad ostendendum sensum verum quo ipse dubium *strictum* intellexit; tum ex collatione omnium omnino locorum in quibus proponit hanc divisionem excessus probabilitatis, constanter sub exclusivo respectu practico quem diximus, dum e contra eam reticet in locis in quibus notionem et divisionem tradit probabilitatis *in se* spectatae; tum denique ex eo quod opinio quam ipse dicit certo probabiliorem est ipsissima quam alii, probabilistae quidem, moraliter vel quasi moraliter certam dicunt ex adeo gravibus conjecturis ut opposita gravem veritatis apparentiam non servet; probabilioristae autem dicunt « omnibus perspectis veram apparere » (Tyrs. Gonzalez, Patuzzi); — dum S. Doctor dicit « eam pro se certum habere fundamentum quod ipsa sit vera ».

Pro certo itaque retineri potest S. Doctorem (quamvis ex professo non dixerit: « aliam instituo divisionem sub alio respectu »), *exercite* et de facto duplicem instituisse divisionem opinionis, sub duplici diverso respectu. Unde fieri potuit, uti jam alias monuimus, absque logicae detrimento, ut membrum secundae divisionis complecteretur tot membra prioris, quot sunt quibus convenit novus respectus sub quo facta est nova divisio.

Quibus praemissis redeamus ad Auctorem nostrum.

## PUNCTUM II.

***In art. III. — An opinio certo probabilior pro S. Alph. non aequipolleat moraliter certae. Expenditur primum Auctoris argumentum.***

Proposita interpretatione quae textui classico S. Alphonsi adhibita est a P. Ballerini, a P. I. Bucceroni, a P. Raphael a S. Ioseph. Ord. Carm., a Gury praesertim in primis editionibus et a P. Lehmkuhl; quaeque in eamdem recidit conclusionem quam dedimus nos; R. P. de C. contradictoriam statuit sequenti thesi.

« Verissimum est S. Alphonsum per opinionem certe aut

notabiliter probabiliorem minime talem indicasse excessum, ut sententiae moraliter certae aequipolleret vel saltem in probabilissimam recideret. »

Huic thesi satius jam esset respondere per sola verba S. Doctoris Alphonsi qui th. mor. l. 1. n. 56. scripsit: « dum opinio pro lege est certe et sine haesitatione probabilior..... non erit jam dubia... sed est moraliter aut quasi moraliter certa, saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum quod ipsa sit vera. »

Accedunt et verba ipsiusmet Auctoris in scholio ad thesim qua statuerat « illud proprie dici et esse probabile quod motivo nititur fallibili quidem, sed absolute gravi ac relative graviori » : « Haec autem probabilitas, ut infra videbimus, nuncupari solet certitudo moralis lata. » (n. 45).

Magnus profecto erit Apollo, cui contigerit ista conciliare. (cf. fin. Disp. II. et Punct. II. Disp. III.) At argumenta singula perpendamus.

« 1ª Pars: S. Alphonsus per verba certe aut notabiliter probabilior non intellexit sententiam moraliter certam. »

« Constat 1. *Ex praesumptione.* Opinio utut probabilior et sententia moraliter certa seu certitudo moralis stricta non solum specie accidentali sed essentiali differunt. Atqui S. Alphonsus certissime distinctionem illam servasse dicendus est. Ergo. »

R. *Distinguo majorem:* Opinio utut probabilior et sententia moraliter certa seu certitudo moralis stricta essentialiter differunt si comparentur sub respectu propriae utriusque et essentialis definitionis juxta primum schema divisionis tantum: *concedo majorem*; — si comparentur sub respectu motivi quod relinquunt *tenue* tantum in parte opposita, essentialiter differunt; *subdistinguo*: opinio certo probabilior et sententia moraliter certa *ex motivo convincente* cujus oppositum est *certo falsum, transeat;* — opinio certo probabilior et sententia moraliter certa *stricta secundo sensu*, i e, ex motivo adeo *gravi* licet non convincente vel evidenti, ut opposita maneat tenuiter probabilis; *nego.*

Atqui S. Alph. certissime distinctionem hanc servasse dicendus est : *contradistinguo minorem:* ubi ista duo forte comparavit intelligendo utrumque in sensu rigoroso propriae utriusque essentialis definitionis juxta primum schema, *transeat* sed *nego suppositum*, eum scilicet sub hoc respectu ista duo heic comparasse. — Ubi ista duo comparaverit sub respectu exclusivo levis probabilitatis quae remanet in eorum opposito, *nego minorem.*

Ergo per verba certe aut notabiliter probabilior, S. Alph. non intellexit sententiam moraliter certam *distinguo consequens:* moraliter et stricte certam ex motivo convincente vel evidenti, *concedo.* — moraliter et stricte certam ex motivo licet non plene convincente, adeo tamen gravi, ut oppositum remaneat tenue, *nego consequens et consequentiam.*

Hae distinctiones ex praemissa explicatione sunt manifestae.

Inde ea quae ad majorem confirmandam ab Auctore afferuntur ex absurdis : quod certitudo tunc absurdissime a S. Alphonso supponeretur exsurgere ex gradibus probabilitatis ; valeret quidem de certitudine quacumque proprie dicta *ex motivo convincente* sive evidenti ; non de illa certitudine morali quam omnes concedunt, ut audivimus ab ipso S. Alphonso, posse resultare ex multis probabilibus conjecturis, opposita opinione gravem veritatis apparentiam non retinente : quam quidem moralem certitudinem S. Doctor ipse vocavit *strictam* in oppositione ad opinionem *probabilissimam* ab eo qualificatam tanquam certitudinem *lato sensu*, eo quod oppositam relinquit *dubie probabilem.*

Explicatio quae subnectitur de specie *accidentali* et *essentiali* modum dicendi habet a dialectica alienum. Sed de his, quae in praesenti, nostra non referunt, jam pag. 88, 89, in nota declaravimus S. Doctoris sensum. Cf. etiam pag. 41, 42, adverto 1°.

## PUNCTUM III.

***In art. III. — Expenditur alterum Auctoris argumentum.***

N. 91. Alterum argumentum proponitur *ex notis essentialiter distinctis* quas S. Alphonsus tum opinioni certe probabiliori tum sententiae moraliter certae attribuit. Verum ratiocinatio tota heic nititur *falso supposito eodem* ac argumentum praecedens : quando nempe S. Doctor loquitur de illa *certe probabiliori* non sumit eam in sensu stricto definitionis probabilitatis, prout probabilitas opponitur certitudini; sed in sensu quo excessum probabilitatis consideravit sub respectu exclusivo quod aliquando tantus est ut opposita non sit certo prudenter formidanda; atque sub isto respectu non opponitur certitudini morali strictae *secundo sensu* intellectae sed *cum ea convenit.* — Idem dicendum de opinione probabilissima, ex qua Auctor heic argumentum, a fortiori confirmat. Haec enim *gradu* distinguitur (ideoque et opponitur) a certe *probabiliori* quae intelligeretur sensu illo quo ab initio tractatus de conscientia in th. m., divisit gradus probabilitatis. Verum ibi S. D. non memorat gradum istum specialissimum *certe probabilioris.* Sub respectu vero depressionis quae ita contingit oppositae ut ex ea non possimus uti principio reflexo legem esse certo dubiam, sub hoc respectu probabilissima non opponitur sed convenit cum certe probabiliori. Idcirco S. D. eam vocat « *moraliter aut quasi certam* »; Atque ea duo epitheta cum adverbio, non debent explicari *sensu composito,* sicut interpretatur R. P. de C. in isto loco (a), perinde ac si « *quasi moraliter certa* » nihil aliud esset quam explicatio restrictiva epitheti « moraliter certa » quod praecedit; sed debent intelligi *sensu diviso,* ac si dixisset : « *opinio certe probabilior reincidit in sententiam moraliter certam stricte dictam secundo sensu, aut in opinionem probabilissimam quae relate ad praxim est quasi moraliter certa ideoque vocatur certitudo moralis lata, juxta doctrinam Alexandri VIII in damnatione III propositionis* ».

Pariter quae ibidem addit S. Doctor: « saltem (opinio certe probabilior) nequit dici stricte dubia »; manifeste congruunt explicationi traditae, Auctorisque sensum excludunt: sane 1) sicuti jam critice ostendimus, S. Alphonsus non definivit *objectivam* opinionem probabilem ex relatione quam habet ad statum mentis *opinantis*, in oppositione ad statum dubitantis et certo asserentis; sed ex oppositione ad motivum leve et ad motivum firmum i. e. objective certum. — 2) Dubium objectivum *strictum* in sensu S. Doctoris, exsurgit ex motivo *certe prudenter* formidando in parte opposita, uti saepe advertimus; atqui hoc aeque excluditur a motivo *certe probabiliori* illo, ac a motivo *probabilissimo* et a motivo *moraliter certo*. — Unde S. Doctor pro illis qui scrupulose et subtiliter vellent litem instituere de illis tribus gradibus, institit in eo quod saltem ab hujusmodi meticulosis ingeniis concedi debet, quodque ad practicae ejus conclusionis consequentiam sufficit.

## PUNCTUM IV.

***In art. III. — An opinio certe probabilior pro S. Alph. non recidat in probabilissimam.***

***Expenditur primum Auctoris argumentum.***

« PROBATUR II PARS. *S. Alphonsus per verba* certe aut notabiliter probabilior *non intellexit tantum probabilioritatis excessum, ut in probabilissimam recideret.* »

« Constat 1. *Ex praesumptione.* — Opinio probabilior, etiam certe et notabiliter, specie differt a probabilissima. Atqui S. Alphonsus hanc distinctionem servasse censendus est, nisi grave quid obstet. Sed tale nihil obstat. Ergo. »

R. *Distinguo majorem:* opinio probabilior, etiam certe et notabiliter si intelligatur *probabilior* his limitibus constricta, sub quibus in primo schemate divisionis opponitur, hinc tenue pro-

babili, inde moraliter certae; et rursus, simpliciter et solide probabili, atque probabilissimae, specie differt a probabilissima: *subdistinguo*: *gradu* in eadem specie, *concedo majorem*; — specie: *omitto majorem*: heic enim nihil juvat de hoc disputare.

Opinio probabilior *certe et notabiliter*, si spectetur exclusive sub respectu *non certe* solidae probabilitatis quam relinquit in opposita parte, idque in ordine ad practicum usum principiorum reflexorum, specie differt a probabilissima: *nego suppositum*: quod nempe sub hoc respectu dividantur istae opiniones per genus et species.

Ad *minorem*: Atqui S. Alphonsus hanc distinctionem servasse dicendus est, nisi grave quid obstet. *Concedo hanc conditionalem propositionem.*

Sed tale nihil obstat; *nego hanc alteram minorem.*

« Patet minor, subsumit A. noster: nihil enim obstare videtur nisi adversariorum affectus et praejudicata opinio quae veritatis criteria non sunt. »

R. Obstat *logica et critica* interpretatio omnium S. Doctoris Alphonsi textuum, ut satis constare potest legenti vel etiam solam hanc nostram dissertationculam, quam sincerissimo erga S. Doctorem affectu (Ipse novit!) et praejudiciis ex dialectica atque ex S. Thomae doctrina desumptis, jugiter conscribere curavimus.

Pergit egregius Auctor: « Constat major: a) ex communi auctorum testimonio qui gradus probabilitatis recensentes, opinionem utique non *dubie* sed *certe* probabiliorem et probabilissimam specie distinguunt. »

R. *Distinguo assertum*: opinionem probabiliorem cui jam certo constat opponi graviter probabilem ex altera parte, Auctores communiter specie distinguunt a probabilissima cui hujusmodi gravem probabilitatem ex adverso opponi certo non constat, *transeat.* (Cf. v. g. proemium dissert. S. Alph. ann. 1763. in edit. 5. theol. mor. adhuc per accidens insertae.) Ideo, quia in moralibus confinia probabilitatis maximae vel etiam majoris et initia certitudinis moralis strictae secundo sensu intellectae,

neutiquam mathematico cultro interciduntur potiusque practico criterio agnosci possunt quam comparatione ad notiones a priori constitutas; ideo auctores ut hoc practicum judicium facilius et tutius instituant, prius inquirunt in parte istis opinionibus adversa, utrum gravis supersit probabilitas; qua in re satis obvia est certitudinis consecutio; unde moralem quandam aestimationem desumunt de excessu probabilitatis in altera parte, definiuntque num iste excessus ad moralem certitudinem aequari possit necne in judicio *directo*, quantum necesse est et sufficit ut tuto possint recurrere ad judicium *reflexum* in conscientia efformanda.

Auctores *communiter* specie distinguunt probabilissimam a probabiliori, praecisione facta a gradu probabilitatis solidae vel non quae in adversa parte deprehendatur, *nego assertum*. Hunc procedendi modum auctores aevi nostri communiter relinquunt puris aequiprobabilistis; antiquiores vero, probabilioristis.

Porro, praestituto quod certo constet de adversae partis solida probabilitate, opinioni alicui Auctores communiter (non excluso S. Alphonso) attribuunt excessum probabilitatis *certum*, eo modo quo *certitudo* praedicari potest in hujusmodi adjunctis, ut jam explicavimus pag. 129, 130, non vero eo sensu quo S. Alphonsus certitudinem excessus intellexit et significavit in sua prima regula, in qua loquitur de ea probabiliori cui gravis non opponitur probabilitas.

Prosequitur Auctor; « constat major *b*) ex ipsa existentia duorum systematum moralium, nempe tutiorismi mitigati et probabiliorismi, quorum differentia ex praefata solum probabilitatis specifica distinctione dignoscitur. »

R. Quis, quaeso, in causa fuit, cur exstarent tutioristae mitigati et probabilioristae, nisi ipsimet utriusque systematis inventores, qui suam scissionem a communi omnium saeculorum praxi et doctrina, neque ex logicae principiis neque ex rectis definitionibus vindicare potuerunt? Ideo, ut distinguantur duae istae aberrationes, jam novisse sufficit una usum probabilium opinionum infra probabilissimam excludi; altera infra probabilio-

rem, quin etiam inquirere oporteat utrum probabilioristae suam probabiliorem specie distinguerent necne a probabilissima.

De facto tamen ipsi fuerunt qui ut suum defenderent paradoxum, discrimen utriusque opinionis sustulerunt, unde recte dicit S. Alphonsus in prooem. diss. a. 1755. n. 3., confutato probabiliorismo, rigorismum mitigatum eo ipso confutari: quae illatio *a fortiori* valet, si discrimen illarum duarum opinionum retineatur; *a pari* vero si auferatur.

Nimirum, mirabile est quod distinctio istorum systematum ab initio orta est praecise ex distinctione opinionis probabilissimae ab illa probabiliori quam transmisimus posse dici aliqua ratione specie distingui a probabilissima; ab illa nempe probabiliori cui ex adverso opponitur adhuc gravis probabilitas, sicuti *testatur* ipse S. Alphonsus ibidem n. 2. « tertia sententia communis inter probabilioristas dicit licere uti opinione probabili pro libertate, semper ac ipsa nititur fundamento graviori, licet contraria pro lege etiam sit graviter probabilis. » Immediate antea dixerat: « secunda sententia (rigorismus mitigatus) tunc tantum tenet licitum esse sequi opinionem minus tutam, quando opposita pro lege est tenuiter probabilis, ita ut leve vel fere leve fundamentum habeat. » — Probabilioristae deinde, inducta confusione notionum, atque aequivoco principio de elisione adhibito, dixerant hanc ipsam probabiliorem esse *moraliter certam*. Unde ipsi magis quam rigoristae damnati qui omnem probabilitatis usum rejiciebant, logicam offenderunt nec sibi cohaerentes fuerunt sed *alia via* in rigorismum mitigatum reciderunt. S. Alph. reapse H. A. tr. 1. c. 3. n. 32. eos a rigoristis mitigatis non distinguit. — Eos porro in praesenti imitatus est Auctor noster quippe qui in antecedenti hujus sui argumenti affirmat factum quod supponit distinctionem, *sensu quo nos eam concedimus;* in consequenti vero ex facto asserto deducit distinctionem inter probabilissimam et *aliam probabiliorem de qua sermo non erat in antecedente*, quam tamen in suo systemate perperam introduxerunt probabilioristae.

Unde in forma respondemus assertum distinguendo: diffe-

rentia inter utrumque systema dignoscitur solum ex specifica distinctione opinionis probabilissimae a probabiliori *cui tenuis tantum ex adverso probabilitas* opponitur, *nego assertum* et *nego suppositum*, nempe istas duas specifice distingui; — a probabiliori *cui gravis adhuc ex adverso* probabilitas opponitur: *concedo suppositum;* assertum autem *subdistinguo*: unde differentia utriusque systematis est potius historica et *nominalis, concedo;* quae differentia est substantialis ex parte probabiliorismi: *nego*, quia ipsi probabiliorem reducunt ad moraliter certam.

## PUNCTUM V.

***In art. III. — Expenditur secundum Auctoris argumentum.***

« Probatur II. Pars II. *Ex critico verborum S. Alphonsi examine.* »

« 1. Ex proprietatibus quas opinioni probabilissimae assignat. »

Porro proprietates istae sunt ut opinio probabilissima *gravissimo* nitatur fundamento, atque *supremum* locum occupet *intra* probabilitatis fines.

Inde, utique sequeretur opinionem certo probabiliorem, gradum huic inferiorem, juxta mentem S. Doctoris obtinere, si unam tantum divisionem instituisset sub uno eodemque respectu. Cum autem jam satis constet ipsum non unam, sed duas diversas sub diverso respectu divisiones instituisse, cumque respectus sub quo divisit *certo* probabiliorem a non certo probabiliori, conveniat illi opinioni quam sub alio respectu definivit et vocavit *probabilissimam*; ideo opinio certo probabilior in secundo divisionis schemate complecti potest etiam probabilissimam primi schematis. Auctoris idcirco illationes pro thesi militant, aerem tantum verberando.

Quod subjungitur, « istas duas opiniones *per accidens* iden-

tificari posse, » retorqueri valet contra thesim Auctoris, ope sequentis minoris: atqui critice constat S. Alphonsum novam instituendo divisionem sub *novo respectu qui reapse etiam convenit illi opinioni* quam in prima divisione vocavit probabilissimam, constat, inquam, ipsum considerasse opinionem certe probabiliorem *praecise sub respectu sub quo per accidens identificatur cum probabilissima.* Ergo sequitur propositio thesi Auctoris contradictoria.

Sub n. 93 « 2. a) *ex relatione opinionis certo aut notabiliter probabilioris cum dubie et paulo probabiliori.* »

Argumentum est hujusmodi: S. Alphonsus in sua prima regula intellexit *certo probabiliorem*, eo sensu qui necessarius et sufficiens est ut distinguatur a dubie et paulo probabiliori de qua instituit secundam suam regulam.

Atqui sensus qui necessarius et sufficiens est ut certe probabilior distinguatur a dubie et paulo probaliori de qua in secunda regula, non est ut recidat certo probabilior in probabilissimam. Ergo.

Major patet ex eo quod S. Doctor duabus regulis solis adaequate omnem constrinxit in praxi possibilem usum probabilitatis et principiorum reflexorum, uti libenter concedimus et nos.

Minor autem sic probatur ab auctore: excessus qui sufficiens et necessarius est ut opinio *certo probabilior* distinguatur a *dubie et paulo probabiliori*, talis, juxta S. Alphonsum, esse tantum debet ut certe probabilior non possit aequeprobabilis aestimari ac opposita quia parum pro nihilo reputatur. (th. mor. l. 1. n. 55.)

Atqui talis tantummodo excessus, profecto non ille *supremus* tantum est quo opinio fit probabilissima. Ergo.

Minor rursus, si opus sit, declaratur: ut *removeatur* excessus adeo tenuis et dubius qui possit pro nihilo reputari, sufficit ut paulo *major* sit excessus quam ut pro nihilo reputetur, non est necesse ut *maximus* sit, qualis est in probabilissima.

Uno verbo, si certe probabilior recideret in probabilissimam, perimeretur gradus *medius* inter opinionem dubie et paulo pro-

babiliorem, atque probabilissimam: nempe gradus *mediocris* et *certae* praeponderantiae. Hoc autem absurdum est in interpretatione S. Doctoris. Ergo.

Argumentum hoc tanta vi pollere etiam nonnullis eruditissimis pobabilistis aevi nostri visum est, ut in aliam secedendum sibi esse viam autumaverint ne logicae peccatum S. Alphonso imputare cogerentur. P. Ballerini v. g. arbitratus est dissertationem posteriorem qua duae istae regulae proponuntur, non adaequate ex se sola totum exhibere systema sed antecedentes omnes partiales controversias *complere* tantum. (Cf. diss. posth. *praef. n 4. parag. ult.* — diss. n. 54. 58. 66 - 83).

Cuipiam tamen mentem S. Doctoris diligentissime ex omnibus textibus eruere satagenti forte videbitur, aliter posse omnia componi, subjectumque argumentum facile dissolvi.

Primo quidem opportunum erit audire ab ipso S. Alphonso, qua ratione hos probabilitatis gradus aestimandos esse judicaverit:

Mense nov. a. 1768 (corr. spec. epist. CCXVII). scribit ad P. Blasucci: « Veniamo ora al vostro sentimento, di dover seguire l' opinione rigida che tiene uno o due gradi di maggioranza ».

« Questa regola a me pare molto confusa e scrupolosa; mentre è difficile trovare questa mezza canna che misura questi due o uno grado di preponderanza. » Deinde prosequitur verbis alias a nobis partim relatis (pag. 138.) inde: « È vero nondimeno che quando la rigida è certamente *probabiliore*, allora è ancora con molta preponderanza più probabile; ma quando la preponderanza è poca, allora è dubbio se sia più o egualmente probabile; ed allora corre la regola: *parum pro nihilo reputatur.* »

In epist. CCXIX. ad eumdem, d. 8. aug. 1769 scribit: « Dirà V. R. circa il punto di *notabilmente* più probabile, che il peso di dieci oncie è certamente maggiore di quello di nove, con tutto che l'eccesso non sia notabile. » — Quae est difficultas ipsa quam heic in auctore suscepimus perpendendam. « Rispondo che ciò corre in materia fisica; ma in materia metafisica circa

i giudizi d'intelletto, dico che quando l'eccesso è certo, è ancora notabile; perchè se non fosse notabile, non sarebbe certo, ma ambiguo e dubbio, e così non dimostrerebbe moralmente promulgata la legge..... e così io intendo quel *parum pro nihilo reputatur*, cioè quando l'opinione benigna è tanto meno probabile che si *dubita* se sia un poco meno probabile o egualmente probabile; perchè quando la maggior probabilità per la legge è così poca che si dubita se vi sia o non vi sia, ella non fa *traboccar* la bilancia, nè dimostra che la legge sia promulgata. » Et in fine; « Sì signore, basta che la sentenza sia più probabile di un grado, ma intendiamoci bene: questo grado ha da essere tale che mi faccia certo che la sentenza sia più probabile, e che mi faccia vedere moralmente o sia sufficientemente promulgata la legge; e con ciò non ne parliamo più di questa materia. »

S. Doctor itaque censuit in *morali* aestimatione probabilitatis *relate ad practicum usum principiorum reflexorum*, notabilem solummodo excessum esse observandum; coeteros omnes posse negligi, dummodo constet de gravitate probabilitatis utriusque partis. — Ut autem medium practicum traderet discernendi notabilem hunc *excessum qui usum principiorum reflexorum impedit*, advertit moraliter impossibile esse in hujusmodi *materia* non quidem *veritatis* objectivae quae sua se evidentia prodit sed verisimilitudinis tantum seu *apparentiae* veritatis quae essentialiter conjunctam habet apparentiam etiam falsitatis, moraliter, inquam, impossibile esse cum evidentia et certitudine impavida determinare gradus praeponderantiae, quemadmodum fit in physica quantitate dividenda; quia, dum oppositae parti superest grave verisimilitudinis fundamentum, ratio etiam gravis superest dubitandi non solum de *veritate* alterius partis, sed etiam de *veritate ipsius* ejus *excessus*. (Quod a posteriori jam alias (pag. 114.) declaravimus). — Advertit tamen a posteriori, excessum hujusmodi, si fuerit notabilis, posse quandoque cum certitudine morali stricta sine ulla haesitatione affirmari: hoc tamen non contingere donec adversae parti gravis aliqua reman-

serit ratio probabilitatis quae haesitationem extrinsecus inferat affirmationi praeponderantiae alterius. — Idcirco statuit regulam experimentalem et adaequatam : quoties excessus unius partis, *certo et absque haesitatione* ulla, potest affirmari, *signum est* oppositam, grave non retinere pondus: si vero nequit absque haesitatione affirmari, signum est, oppositam grave adhuc retinere pondus.

Haec autem prima hypothesis locum de facto non habet nisi excessus sit notabilis: quoties ergo non verificatur prima hypothesis, quicumque tandem sit praecisus et determinatus gradus excessus (quem determinatum gradum nec possumus *certo* dignoscere nec interest ut dignoscamus) ipsi applicari potest regula: parum pro nihilo reputatur; casusque reducitur ad regulam *aequiprobabilium*.

Iste sane est et non alius, sensus illorum verborum: « È vero nondimeno, che quando la rigida è *certamente probabiliore*, allora è ancora con molta preponderanza più probabile; ma quando la preponderanza è poca (idem est ac si dixisset: ma quando la preponderanza *non è molta*), allora è *dubbio* se sia più o egualmente probabile; ed allora corre la regola: parum pro nihilo reputatur. »

Unde hoc explicato sensu S. Doctor egregie potuit scribere in dissert. a. 1765, C. V. n. 25. « l'opinione veramente probabile è quella SOLA, che ha fondamenti intrinseci ed estrinseci, egualmente o quasi egualmente validi, che non ha la contraria per la legge, in modo che la legge apparisce certamente e strettamente dubbia. »

Quem textum P. Ballerini refert (app. I dissert. n. 44.), dempta voce: SOLA, quae redundare ipsi ideo forte visa est, quia regulam de aequiprobabili, *pro terminis quibus a S. Doctore effertur*, P. B. aestimavit esse restrigendam ad solum casum in ea rigorose expressum. — Atvero si spectetur haec regula non tantum absolute prout sonat sed cum interpretatione ipsi a S. Doctore data, tum in loco classico th. mor. saepe citato, tum in epistolis, in quibus explicat *quomodo* ad eam statuen-

dam deveuerit, fit satis manifestum eam in mente S. Alphonsi complecti omnem casum solidae probabilitatis in quo excessus unius partis *non sit certus* omnino; quocumque demum gradu determinato alteri parti praevaleat: excessum autem non posse esse omnino certum nisi sit admodum notabilis.

Insuper idem ostendi potest, si termini ipsi S. Doctoris in se perpendantur: sane, ubicumque hanc tradit regulam, constanter dicit, sicut paulo ante legimus: *aeque* vel *quasi aeque probabilis*. Qui dicendi modus immeret excludi excessum mediocrem illum de quo est sermo in argumento Auctoris, si reapse daretur unquam in materia moralium controversiarum, *perfecta* utriusque probabilitatis aequalitas. Verum « chi ci darà la mezza canna per misurare quest'uguaglianza? » Hoc scilicet et a natura moralis probabilitatis et a communi sensu abhorret: in praesenti potius, aeque probabiles sunt et dicuntur eae solae opiniones quae *plus minusve* aequale pondus habent adeo ut DD. alii unam, alii oppositam, singuli eam cui adhaerent, probabiliorem censeant.

Idcirco S. D. dicendo *aeque probabilem*, hanc *plus minusve* aequam probabilitatem voluit certo certius significare.

Ergo constanter addendo: vel *quasi* aeque probabilem, *alium superiorem* gradum voluit significare *praeter eum* qui jam in prima parte dictionis implicatur.

Hic autem est ille *mediocriter* praeponderans, de quo Auctor; atque *ideo* potest alteri inferiori aequiparari et sicut iste, pro nihilo reputari, *quia* et *donec* eadem ratio gravis adsit in alterutra parte *dubitandi* quod ipse vere excedat oppositum.

Si vero adeo excrescat ut altera pars non amplius praebeat fundamentum cur prudenter dubitari possit de ipsa ejus praeponderantia: dubium fit certo *latum* seu imprudens excluditque usum principiorum reflexorum.

Hisce ergo statutis jam possumus Auctoris argumentum dissolvere: Ad Primum: R. *Concedo majorem; nego* minorem. Ad probationem: *distinguo majorem*: computata aequiprobabilitate, gradibusque praeponderantiae computatis *mathematice*,

transeat major sed *nego* S. A. *supposito* hoc inniti; computatis istis moraliter, et unice relate ad praxim facile determinandi certo superesse dubium positivum et grave de legis existentia, *concedo majorem.*

Contradistinguo minorem : si gradus deberent mathematice distingui, *concedo minorem.* — Secus et unice ad praxim ut supra; *nego minorem.*

Ad declarationem additam : distinguo assertum : « sufficit ut paulo *major* sit excessus quam ut pro nihilo reputetur » ; spectata probabilitate in se non vero unice relate ad effectum solidi dubii remanentis, quod permittat usum principiorum reflexorum, *concedo assertum* sed *nego suppositum.* Secus, inverse, *nego assertum.* — pariter « ut removeatur excessus adeo tenuis et dubius qui possit pro nihilo reputari, non est necesse ut *maximus fiat* qualis est in *probabilissima* »: *distinguo* hanc alteram partem asserti : ut removeatur, *in se* spectatus, sufficit ut gradus paululo elevetur, *transeat*; — ut removeatur unice in ordine ad practicum et licitum usum principiorum reflexorum, non est necesse ut quoad effectum efficiendi dubium *latum, aequivaleat* vel opinioni probabilissimae vel moraliter certae, *nego assertum.*

Ideo diximus S. Doctorem exclusive sub hoc novo respectu, instituisse novam divisionem opinionis, in opinionem *certe* probabiliorem et non *certe* probabiliorem.

## PUNCTUM VI.

***In art. III. — Critica quaedam explicatio P. A. Ballerini non recipitur.***

Ad rationem criticam a P. Ballerini desumptam ex successiva et partiali adversariorum confutatione quam S. Doctor decursu multorum annorum (1749-1765) partialibus dissertationibus complendam suscepit; Respondemus :

1) Praejudicium contra hanc interpretationem invenitur in

eo facto historico, quod S. Doctor reapse ab anno 1762 antecedentes duas dissertationes neglexerit nedum inserendas curaverit cum novis, in opere majori: quod tamen fecisset si necessariae fuissent ad completam systematis propositionem.

2) Varias scripsit epistolas a nobis relatas, quibus ostendit se non tantum complevisse systema ultimis dissertationibus sed potius ipsum sub nova forma reintegrasse: quod etiam proba tur ex critico examine ipsius systematis quod circa annum 1762 proponere incepit.

3) Reapse dissertatio ann. 1749 scopum restrictum habere videtur ex ipso titulo utriusque paragraphi, quibus constat: « § I. Utrum liceat usus opinionis probabilis in concursu probabilioris. » « § II. Utrum probabilitas extrinseca veram probabilitatem quandoque constituat » — Pariter, dissertatio ann. 1755 titulum habet « de celebri quaestione an liceat usus opinionis probabilis in concursu probabilioris. ». — Verum in prooemio hujusce opusculi, propositis variis sententiis, S. Doctor n. 3. ostendit quomodo controversia *tota* restringatur ad confutationem Probabilioristarum quae perficitur demonstrando « benigniorem et communissimam » sententiam « nempe licitum esse uti opinione probabili *etiam* in concursu probabilioris pro lege, semper ac (voluit dicere *quoties*) illa certum et grave habeat fundamentum. » — Inde sequitur quod utraque dissertatio in solvendo hanc unicam quaestionem hac ratione propositam, revera *totum* exhibet systema.

Dissertatio deinde quae ab ann. 1753 usque ad ann. 1763 (ex accidentali circumstantia, inserta fuerat adhuc in 5. edit. th. moral. (Baller. l. c. 80) legitur in theol. mor., in propositione quidem argumenti *generalis* praescindit a questione directe proposita in prioribus dissertationibus, quamvis aequivalenter ostendat et hanc affirmative solvendam (cf. Baller. diss. posthum. 59-63); atque restrictam exhibet quaestionem, ad casum probabilioris pro libertate contra probabilem pro lege. — Atvero rationes *quinque allatae*, sunt fere eaedem ac illae quae in dissert. ann. 1755 proponuntur: eamdem idcirco conclusionem *virtua-*

*liter* continent, licet explicita conclusio restringatur contra expressam thesim tutioristarum mitium. — S. Doctorem heic in mente non habuisse abnuere conclusionem dissert. a. 1755, non solum ex *vi objectiva* patet argumentorum, sed etiam satis aperte innuitur dum n. IV. scribit: « secunda igitur sententia nostra et communis tenet *licere usum opinionis absolute probabilis*, aut saltem probabilioris, etsi contraria pro lege sit probabilis. » Ergo et haec dissertatio, *licet ad speciales adversarios dirigatur*, dici potest revera *totum* systema virtualiter saltem continere.

Verum quidem est, ut advertit P. Ballerini l. c. n. 59, S. Doctorem in ista dissert. n. I. « sententiae Probabitistarum duas partes diserte distinctas recensere: Alii demum, probabilistae vocati, putarunt licitum esse usum opinionis solide probabilis in concursu *aeque probabilis* ac *etiam probabilioris* » — Verum etiam est quod primam partem in tribus primis dissertationibus non tractaverit *ex professo* neque contra tutioristas mites, nec multo magis contra probabilioristas, sed solum in quarta et quinta.

Sed PRIMO quidem P. Ballerini ipse (n. 75. 78.) concedit a S. Doctore, in ipso initio dissert. a. 1755, n. 3 in fine, adsignificari primam istam partem thesis probabilisticae evinci *etiam* eo ipso quod vindicatur secunda atque argumenta ab ipso in tribus dissertationibus allata contra tutioristas mites et probabilioristas ex professo vel pro secunda parte sola, virtualiter evincere primam.

Hoc porro qui concedit, concedit etiam tres primas dissertationes totum singulas continere systema probabilistarum.

SECUNDO inde non sequitur statim, dissertationes anni 1762 et anni 1765, in quibus haec prima quaestio explicite et praecipue agitatur, *unice* fuisse exaratas ad scopum *complendi* totam controversiam (cf. Ball. l. c. n. 80.): atque in hoc rationem adaequate sufficientem inveniri cur omiserit in ultimis hisce opuscolis loqui de illa *mediocriter* probabiliori opinione. Ista duo sane dicenda essent ut curreret argumentum P. Ballerini (n. 66-83.)

Revera inde sequitur *alterutrum*: vel quod *totum* systema, successive vindicavit contra diversos adversarios: vel quod in singulis dissertationibus *partem* tantum systematis vindicaverit, respondentem impugnationi propriae adversarii. — *Utrum* autem ex istis duobus modis vindicandi tenuerit, inquiri debet ex diligenter perspecta indole singularum dissertationum:

Atqui, uti diximus, prima et secunda dissertatio reapse *totum* vindicat systema; tertia rursus *virtualiter* saltem ipsum totum continet; quarta demum et quinta annorum scilicet 1762 et 1765 nonnisi ex *falso supposito* P. Ballerini et aliis visa est manca et incompleta, sicuti ostendimus in responsione ad argumentum auctoris; ex falso, inquam, supposito, quod scilicet secunda regula, de aequiprobabili in mente S. Alphonsi, non debeat valere pro omni casu in quo opinioni certe probabili adversatur opinio probabilior cujus excessus non sit *omnino certus*, nedum pro solo casu opinionum rigorose aequiprobabilium. Atque in hoc falsum suppositum devenerunt, eo quod non adverterunt S. Doctorem in statuendis duabus suis regulis novam opinionum divisionem instituisse sub novo respectu exclusive practico usus liciti principiorum reflexorum; sub quo respectu omnes gradus praeponderantiae qui non perveniant ad gradum opinionis *certe* probabilioris, possunt aequiparari.

Paucis ergo concludere licet.

Concedimus S. Alphonsum suum systema successive vindicasse contra rigoristas mitigatos et contra probabilioristas, diversis dissertationibus pro diversitate impugnationum; — concedimus etiam eum contra probabilioristas successive propugnasse duas theses probabilisticas: scilicet 1) licitum usum probabilis in concursu probabilioris; 2) licitum usum probabilis in concursu aequiprobabilis. — Non autem concedimus duas istas theses constituere partes systematis omnino distinctas: sed dicimus utramque, in mente quam S. Alphonsus satis manifestavit eas singillatim propugnando, utramque *totum* exhibere systema, *diversimode* tamen: primam in duabus prioribus dissertationibus propugnatam, *a fortiori inferre* alteram; vice

versa deinde secundam, de aequiprobabili, prout eam in ultimis dissertationibus ab anno 1762 propugnavit, *includere alteram:* hoc autem factum est quia in istis ultimis opusculis S. Doctor hanc thesim de *aequiprobabili* intellexit non in sensu *stricto* quo opponitur primae de licito usu probabilis in concursu *probabilioris*, sed sub alio respectu quo non opponitur isti thesi, sed ad eam se extendit: sub respectu nimirum quo opponitur *certe* probabiliori in conflictu cum tenuiter vel dubie probabili. — Per accidens autem contigit S. Doctorem inductum fuisse ad *totum idemque systema probabilisticum*, sub novo isto respectu polemice proponendum: nempe a natura thesis et sophismatum probabilioristarum.

Singula tandem heic asserta efflorescunt fiuntque critice etiam manifesta ex crisi a nobis hucusque instituta.

## PUNCTUM VII.

### *In art. III. — Coetera in argumento secundo ab Auctore allata dissolvuntur.*

Ad Auctorem nunc redeamus: secundum argumentum quo secundam partem thesis probare nititur, desumit etiam sub littera b) *ex relatione opinionis probabilissimae cum certitudine morali stricte dicta.* Ab hac enim, juxta S. Alphonsum probabilissima vix in praxi distinguitur; unde, concludit Auctor; si certe probabilior in sensu S. Alphonsi probabilissimae aequivaleret, cum ex altera parte, pro S. Alphonso, « opinio parum probabilior practive eadem sit ac aeque probabilis: » « ecquis.... non videat *apertum* inter istos tam distantes gradus *hiatum* » a S. Alphonso fuisse relictum; quod absurde cogitaretur. Ergo dicendum omnino est hunc *hiatum* ab opinione non *dubie* quidem sed *certo* probabiliori ad mentem S. Doctoris esse implendum.

Verum heic nova responsio non occurrit, cum suppositum

quo nititur argumentum jam multoties ostenderimus esse falsum.

Idem secundum argumentum ab Auctore deinde confirmatur « 3. ex aperto S. Doctoris testimonio. » Heic autem refricantur quinque S. D. textus ex epistolis, in quibus profitetur se esse probabilioristam non vero tutioristam nec probabilistam. Atqui, scribit Auctor; « Probabilioristis sufficiebat opinio certe probabilior libertati favens, ut lex non obligaret, dum tutioristae mitigati opinionem probabilissimam exigebant. » Ergo juxta S. D. mentem opinio certe probabilior non recidit in probabilissimam: « secus foret non verus Probabiliorista sed Tutiorista mitigatus. »

Porro nulla est haec difficultas. In uno sane ex locis allegatis, (corr. generale, epist. DCCCXXII. ) S. Doctor sensum restrictum istarum trium assertionum ex professo non declarat sese tamen remittit ad declarationem systematis quam duos ante annos contra Magli ediderat, hujusque opuscoli exemplar epistolae accludit: illic autem rem apertissime significat, sicuti jam vidimus (pag. 163). – In aliis allegatis epistolis S. Doctor explicat se eatenus tantum esse probabilioristam « mentre io dico che la probabile non può seguitarsi come probabile; giacchè, per operar bene, vi bisogna la certezza morale: [1]) onde la sola

---

[1]) Hunc locum quidam perperam interpretati sunt (Cf. Lehmkuhl, theol. mor. Edit. 8. vol. 1 n. 89 notula (1) ) quasi S. Doctor « per accomodationem » quandam *heic* intellexerit *probabilius pro moraliter certo*; — verum quidem est S. Doctorem intellexisse opinionem *certo* probabiliorem esse vel moraliter certam, vel quasi moraliter certam, ut ex professo docet th. mor. l. 1. n. 56; sed in hac epistola eo sensu se dicit *probabilioristam*, quatenus cum illis qui hoc gerebant nomen convenit in impugnandam illam fallacem rationem docendi probabilismum, qua quispiam diceret ex *sola* probabilitate alicujus opinionis, posse *directe* efformari conscientiam de liceitate actionis, *quin recurratur ad principium reflexum certum*, unde conscientia fiat *practice*

probabilità non dà bastante fondamento di operare. » (Corr. special. epist. CCLXI et epist. CCCXV). et alibi : « probabiliorista... perchè dove l'opinione per la legge è certamente probabiliore, dico non potersi seguire la meno probabile per la libertà. » (ibid. epist. CLXXXV. — item epist. CCVII et CCCXXV.) — Quo autem sensu dicat se esse ita probabilioristam ut non sit tutiorista, habemus ex epist. CLXXXV. in qua statim post verba nunc relata, prosequitur : « Chi dice poi che fra due probabili eguali dee seguirsi la più tuta costui è tutiorista, non già probabiliorista » paulo enim ante dixerat: « io sono già probabiliorista tutiorista no. » Quae ratio recidit in eam explicationem quam jam dedimus (p. 131), S. Doctorem nempe convenire in conclusionem Probabilioristarum, de sectanda *certo* probabiliori, *praecisive* spectatam quia, ut et ipsi tenebant, *certo* probabilior recidit in *moraliter certam*; non vero in eorum conclusionem *exclusive* assertam quo sensu exclusivo defendebant partem minus tutam *non* posse retineri *nisi* foret probabilior; eo quod dicebant, *certo* probabiliorem *solam* esse proprie dictam probabilem et inde inferebant in casu aequiprobabilium non dari veram probabilitatem, ideoque dubium esse practicum, sub quo pars tutior est sequenda, atque ita *etiam*, in tutiorismum recidebant. S. Doctor autem cum ab hac ratione atque ab hoc consectario abhorreret, professus est se esse *ita* probabilioristam *ut* tutiorista non fieret. Diximus : « ita *etiam*, in tutiorismum recidebant probabilioristae, » quia ex alia parte in idem systema jam recidebant quippe qui asserebant certo probabiliorem esse moraliter vel quasi moraliter certam, atque certo Probabiliorem *solam* contra legem, posse retineri, unde sponte fluebat conclusio tutioristarum mitigatorum. Atque haec omnia adeo vera

---

*certa*. Quo sensu audivimus eum impugnare principium : *qui probabiliter agit, prudenter agit*. (cf. th. mor. l. 1. n. 69 ; — apolog. quarta : dichiaraz. del sistema n. 3. 4 — cf. etiam quae de hac re retulimus ex eodem S. Doctore, supra pag. 173 399.)

sunt ut S. Alphonsus, quemadmodum jam monuimus, (p. 196) probabilioristas cum istis tutioristis, in unum confundat, in recensendo sententias suae adversas (II. A. tr. 1. c. III. n. 32); imo ibid. n. 33. scribat: « auctores autem *probabilioristae* moderni qui existimant licitum usum *probabilissimae* favore libertatis.... vocantur quoque *tutioristae sed tutioristae mites.* « (Cf. ibid. n. 65. ab initio ubi objectionem tutioristarum mitium ponit in ore probabilioristarum modernorum etc).

Hisce itaque praesuppositis, manifestum fit loca allegata, nobis, nedum Auctori favere; S. Alphonsus enim profitetur se esse eatenus probabilioristam, quatenus isti asserebant certe probabiliorem recidere in probabilissimam vel in moraliter certam ideoque, si pro lege militet, esse retinendam. Atqui haec assertio involvit contradictoriam thesis Auctoris in praesenti. Unde vir optimus in sua minori sumpsit probabilioristas sub adspectu inadaequato, sub quo a tutioristis aliqualiter secernuntur, uti vidimus alias. S. Alphonsus e contra dum asseruit se esse probabilioristam, eorum thesim 1) sumpsit eo sensu quo in tutiorismum recidunt mitigatum; 2) et in hunc ipsum sensum non *exclusivo* modo approbavit, propter quem eos et ipse impugnabat, sed sensu *praecisivo*, quo eamdem conclusionem aliis verbis defendebant etiam probabilistae; 3) abnuit tamen se inde posse notari tutiorismi quia argumenta hujus systematis et principia cum consectariis abnuit. Nihil igitur remanet nisi ut *sensum praecisivum* propositionis probabilioristarum, quem approbat, approbaverit sensu et argumentis *probabilistarum*. Quare loca ista ab Auctore pro se allegata, diligentius discussa, tandem aliquando evincunt S. Doctorem fuisse tunc etiam probabilistam.

## PUNCTUM VIII.

***In art. III. — Tertium Auctoris argumentum diluitur.***

Sequitur sub n. 94, argument. III. in confirmationem II partis thesis Auctoris: « ex distinctione duplicis elementi cognitionis nostrae, objectivi videlicet et subjectivi. »

Ab initio advertit Ballerinianos duplex illud elementum videri confundere; et infra: n. 95 « perpere Ballerinianos refundere verba S. Alphonsi (in textu classico et in parallelis saepe citatis) *certe et sine ulla haesitatione*, in objectivam probabilioritatem ut eam ad probabilissimam evehant, cum juxta S. Doctorem potius ad subjecti cognitionem sint referenda. » Tandem in fine hujus numeri dicit P. Bucceroni (Inst. mor. Tom. 1. de consc. n. 41, et sqq. quae est prima editio hujus operis) jugiter supponere opinionem *subjective* evidenter probabiliorem expostulare gravissimum excessum ex parte *objecti.*

Balleriniani equidem in hac re nihil confundunt sed de *statu certitudinis proprie dictae* docent universi cum D. Thoma, id quod Auctor noster ex ipso Angelico nobis nn. 18, 58 in mentem revocare non omisit, scilicet cum *necessario non determinari nisi objectiva evidentia* mediata vel immediata; ideo de certitudine proprie dicta admittunt utique, id quod Auctor noster voluit perperam extendere ad statum *opinionis* relate ad probabilitatem (n. 40. — cf. et crisim nostram pag. 41, 42, 49.) certitudinem nempe esse perfecte correlativam evidentiae objectivae.

Praeterea Balleriniani universi sedulo distinguunt judicium cujus *objectum* est ipsa rei *probabilitas*, et judicium cujus *objectum* est *res ipsa*; atque tenent utrumque posse esse *certum* posse esse probabile; si autem certum, nonnisi ex *evidentia* (hic non loquimur de assensu fidei) *objecti*, quod pro primo judicio est ipsa *probabilitas* rei pro altero est ipsa *res*. Unde cum proprie dicta certitudo judicii mentis sit essentialiter correlativa evi-

dentiae *objecti*; sive istud objectum sit probabilitas rei, sive sit ipsa res, ubicumque habetur (omni erroris causa remota) omnimoda et sine ulla haesitatione *subjectiva* certitudo, Balleriniani legitime inferunt eam non esse ortam nisi ex *objecti evidentia* sive agatur de judicanda *probabilitate*, sive de judicanda ipsa re.

Idcirco quando audiunt S. Alphonsum ponere casum ejus hominis qui judicat *sine ulla haesitatione* et cum omnimoda *certitudine* de probabilitatis excessu, legitime inferunt probabilitatis excessum, quod est *objectum* hujus judicii, *objectiva evidentia* intellectui istius hominis apparuisse.

Id sane et ipse S. Alph. expresse profitetur scribens: *H. A. tr. 1. c. III. n. 77.* « secus autem esset, quando excessus esset *evidens* atque *certus*.... » Porro istud « *evidens* » vel explicat Auctor noster de evidentia objectiva excessus, et habemus quod volumus, vel de evidentia subjectiva atque haec non oritur nisi ex objectiva, juxta ipsam ejus definitionem ab eodem Auctore traditam n. 18.

Idem confici potest ex *n. 70 lib 1. th. mor.* ubi S. D. sua facit sensa Eusebii Amort: « scribit (Eus. Amort) quod ubi opinio pro lege evidenter et notabiliter probabilior non apparet, moraliter certum est legem obligantem non existere dicens, quod Deus juxta suam divinam Providentiam, cum ipse vult legem suam obligare, efficere tenetur ut evidenter et notabiliter probabilior appareat. » — Qua explicatione profecto apertissime significat S. Alphonsus evidentiam *subjectivam* judicii de excessu probabilitatis ortum habere ex *objectiva* notabilitate ipsius excessus, hanc enim Divina Providentia *obiective* inducendo, efficit ut intellectui humano excessus evidenter certus appareat.

Nunc autem quod dicitur jugiter supponi a P. Bucceroni, opinionem scilicet *subjective evidenter* probabiliorem expostulare gravissimum excessum ex parte *objecti:* idipsum ideo a P. Bucceroni eo loco supponitur quia ibi critice proponit *doctrinam S. Alphonsi circa Probabilismum*, sicut ex titulo § IV. patet; S. Alphonsus autem idipsum expresse docet nedum supponit

tantum. Multoties enim jam ab ejus ore audivimus decursu hujus dissertatiunculae: sufficiat hic unum alterumve textum recolere: theol. mor. l. 1. n. 56. « dixi *certe* probabilior: quia dum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior (in judicio subjectivo), tunc opinio illa (in objectivo suo motivo) non potest esse nisi notabiliter probabilior. » — Epist. CCXVII. « È vero nondimeno che quando la rigida è certamente probabiliore, allora è ancora *con molta* preponderanza più probabile; ma quando la preponderanza è poca, allora è dubbio se sia più o egualmente probabile: et allora corre la regola: *parum pro nihilo reputatur*. » — Epist. CCXIX. « Del resto, dico che, quando la rigida è *certamente* probabiliore, anche di un grado, allora è anche notabilmente più probabile; perchè quella certezza della maggior probabilità prova che quella probabilità è *talmente preponderante* che basta per far TRABOCCAR la bilancia: e così dico essere la stessa la sentenza *certamente* più probabile che la *notabilmente* più probabile, perchè se non fosse notabile l'eccesso, non potrebbe fare traboccar la bilancia. Del resto sempre che dico che, quando la sentenza è certamente più probabile, quella deve seguirsi, è tolto ogni equivoco, ancorchè sia più probabile (ma certamente) di un solo grado. »

Ex quibus evidenter patet S. Doctoris mentem esse ut tota norma practica secernendi excessum probabilitatis qui legem satis promulgatam facit ab excessu qui eam dubiam relinquit, desumatur a *subjectiva certitudine proprie dicta* judicii de existentia hujus excessus probabilitatis pro lege. Quae norma in praxi cuique theologo facilis est quia cuique propria conscientia testatur utrum judicet firmiter an cum prudenti formidine. — Ut autem rectitudinem hujus normae ostendat, S. D. affirmat a posteriori, *exclusivam relationem* hujus *subjectivae* certitudinis, cum *objectiva* motivorum pro lege praeponderantia *tanta* ut comparari possint cum pondere quod *totaliter praecipitet* alteram lancem, nedum *inflectat* solum (ut parum accurate vertit textum italicum Auctor noster:) haec autem est

praeponderantia *multa* (epist. CCXVII.) sive *gravissimus* excessus, sicut Auctor dicit Patrem Bucceroni supponere. — Ratio autem data a S. Doctore hujus exclusivae relationis pariter est a posteriori desumpta: nisi nempe esset pondus rationum adeo notabile, sensu explicato, non posset certitudinem subjectivam parere in judicio de excessu. Ergo quoties *certum* vere est hoc udicium, toties objectivus excessus est notabilis sensu explicato. Probat autem antecedens ex eo quod si excessus esset minus notabilis, hoc ipso esset objective dubius. Si autem est objective dubius non potest subjectivam certitudinem parere in judicio de excessu, quod per se patet. Ergo. — Rursus major ista conditionalis ab ipso ita declaratur ex ipsa natura probabilitatis quae involvit essentialiter apparentiam falsitatis cum apparentia veritatis; scilicet hoc ipso quod excessus probabilitatis non est notabilis, ratio habetur ex parte opposita et ex ipsa parte rationis intrinsecae quae fundaret judicium de excessu, cur intellectus anceps haereat in judicando utrum excessus vere adsit pro una parte necne: quod est dubium objectivum, cui in mente respondet rationabiliter dubitatio subjectiva circa judicium de excessu eliciendum: « ma quando la preponderanza è poca (i. e. non est notabilis) allora è *dubbio* se sia più o egualmente probabile. »

P. Bucceroni idcirco rectissime expressit mentem S. Doctoris, atque Auctor noster telo quod ad illum direxit, ipsum percussit S. suum Parentem.

## PUNCTUM IX.

### *In art. III. — Loca S. Alphonsi allegata in allegantem retorquentur:*

Reapse textus S. Alphonsi a R. P. de C. allegati, singuli contra allegantem retorquentur:

1) n. 94: « Ubi praeceptum est *vere et stricte dubium* non est obligatio illud servandi: non tenemur sequi tutiorem, ubi tutior non apparet probabilior. » (th. mor. l. 1. n. 56.) — Omittamus nunc quod ista verba in loco cui Auctor ea refert, haud leguntur in praesenti, quamvis sensum referant S. Doctoris, si intelligantur de *certe* probabiliori.

Porro sufficit advertere, quod multoties diximus, dubium strictum legis juxta S. Doctorem, subsistere, donec rationes contra legem non fiant leves vel dubie probabiles: hoc autem contingere si ad minus sententia tutior fiat *certo* probabilior; secus legem esse stricte dubiam, quia omnis praeponderantia probabilitatis pro lege, *quae non est omnino certa*, potest *in praxi*, juxta ipsum, pro nihilo reputari, atque relate ad usum principiorum reflexorum, casui stricte aequiprobabilium acquiparari. Idipsum exprimit S. Doctor in altero loco allegato:

2) « Cum dubitatur an opinio tutior sit vel non aliquantulum probabilior vel omnino aeque probabilis quam altera minus tuta, eo casu lex remanet vere dubia dubio stricto, ideoque non adest tunc obligatio sequendi tutiorem. » (th. mor. edit. 7. Monit. Auct.) — Porro ipse docebat, ut audivimus, dubitari de excessu, *quoties* non est multus et adeo notabilis ut praecipitet mentis judicium in suam partem. Atque eo sensu debet intelligi iste « *aliquis* notabilis excessus » de quo ibidem: non vero, de excessu illo *mediocri* quem interpretatur auctor.

3) « Requiritur *certa* et *manifesta* praecepti cognitio cum lex sit regula actionum, opus est ut homo eam intucatur. » (th. mor. l. 1. n. 65.) — Qui locus inepte omnino eligitur ad pro-

bandum S. Doctorem non refudisse certitudinem omni haesitatione expertem quam in subjectivo excessus judicio requirit, in objectivam excessus ipsius evidentiam omnino strictam. Nam si homo legem « intueatur, » nisi ipsa vel ejus saltem quasi moralis objectiva certitudo, objective sit *evidens*, quid *intuetur?*

Sub n. 96. Objicitur quod si opinio certe probabilior in probabilissimam recideret, mens hoc judicium eliciens, rei non se adaequaret, in judicium idcirco falsum voluntate contra naturam abriperetur.

Sed facilis admodum est solutio advertenti gradus istos mathematice non posse discerni, ideoque, dummodo constet nullam in opposita parte gravem certo superesse rationem, parum referre ad praxim, num opinio pro lege appellari debeat aut reapse sit certo probabilior cum supradicto notabili excessu, an probabilissima, an etiam moraliter certa, quandoquidem judicium de gradu ejus non effertur ut praecise determinetur qualis sit istorum trium, ideoque sub respectu quo invicem opponuntur et distinguuntur, sed sub respectu sub quo conveniunt in ordine ad praxim: Quem scopum practicum S. Doctor Alph. vel ea sola jam ratione dicendi significat, quam toties adhibet; « licet *sequi* opinionem; ... non licet *sequi.* »

Textum in *conclusione* allegatum ex c. 3. n. 81. dissert. ital. an. 1765 jam expendimus pag. 117, 118.

Sequitur apud Auctorem, n. 97-99. refutatio interpretationis a R. P. Raphaele a S. Joseph Ord. Carm. propugnatae.

Verum, quandoquidem ipse R. P. de C. fateatur hunc cl.Theologum fideliter in hac quaestione amplexum esse ballerinianam doctrinam, satius erit in hac paragrapho non immorari.

Caeteroqui singula heic ab A. asserta, vel alia occasione in decursu nostrae crisis evelluntur, vel omni probandi vi, ex iis quae a nobis dicta sunt atque critica demonstratione firmata, videntur esse destituta.

## PUNCTUM X.

***In art. III. — Vindicatur interpretatio P. A. Lehmkuhl.***

Interpretationem P. Lehmkuhl sic exponit Auctor noster: « Quaestionem historico-criticam solvit hac conclusione: *re* igitur eadem doctrina (S. Alphonsi) mansit (nempe simplex Probabilismus) in modo vero loquendi quamdam diversitatem observare utique licet. » (Th. mor. T. I. n. 89). Haec autem in modo loquendi diversitas, ob externas temporum conditiones ortum habuit, ait cl. Auctor, qui libenter approbationem a S. Sede doctrinae Alphonsianae tributam in Probabilismum suum transfert (l. c. n. 86.) Istiusmodi porro solutio communiter a Ballerinianis traditur, praecipue a Bouquillon. »

Porro conclusio ista est eadem quam nos hac dissertatiuncula statuimus; atque argumenta a R. P. Lehmkuhl ad eam confirmandam adhibita (n. 89), licet brevius expressa parum discrepant a nostris, quae fusius exponere oportuit ratione institutae crisis.

Quod ab auctore additur quasi incidenter: « Patrem Lehmkuhl libenter approbationem a S. S. doctrinae Alphonsianae tributam, in probabilismum suum transferre » insidiosa ambiguitate non caret, dum optimo scriptori inferri videatur quod *gratuito* vel *illogice* laudes S. Alphonsi doctrinae tributas, in suum probabilismum derivet. At vero quoad hoc, conclusio cl. Auctoris a P. de C. reticetur: « n. 90. *Ex omnibus igitur, quae de S. Alphonso hucusque disputavimus, colligitur*, Ecclesiam positive approbando opera et doctrinam S. Alphonsi, etiam approbasse usum opinionum quae vere probabiles sint et maneant, libertati faventium. » Atque concludit duorum aliorum argumentorum medios terminos proponendo. Aperte itaque profitetur P. Lehmkuhl se *nonnisi praemissa probatione* conclusionem asserere. Porro probatio quae nn. 87-89 continetur, praecipuam vim desumit ex eo quod directe ostendat S. Doctorem « in ul-

timis operum recensionibus » i. e. in ultim. edit. bassanensi thol. mor. simplicem probabilismum profiteri : quod et nos fusius et ex aliis locis post ann. 1762 editis confecimus.

Citatur equidem a P. Lehmkuhl etiam dissertatio ann. 1755; at unice ratione *materiae* quae uno loco, ab eo dicitur « egregie refutare palmare argumentum (de elisione) adversariorum ». (Qua de re recole Punct. XIV. sect. I. huj. disp.) alio loco consistit in facto historico duplici: simplicem probabilismum fuisse usque ad illa tempora *communissimam sententiam* ; atque fuisse Ecclesiae permissione toleratum. Quae omnia non ea ratione afferuntur ut statim concludatur ex *sola critica allegatione:* « ergo S. Alph. semper fuit probalilista » sed etiam ope minoris reticitae quia omnino obvia est : scilicet : atqui hujusmodi confutatio elisionis, et hujusmodi facta historica sunt adeo patentia ut si S. Alphonsus ea semel advertit et admisit, semper certo certius debuerit retinere. Ergo.

Proposita interpretatione P. Lehmkuhl, Auctor sub n. 101. *refutationem* subjicit. Quae tamen cum tota heic consistat in *asserendo* tantum S. Doctorem ante annum 1762 *non definitive* Probabilismo simplici adhaesisse, postea vero docuisse aequiprobabilismum et in eo docendo perseverasse, nobis etiam utrumque *simpliciter negando* respondere licet: huic sane negationi omnia hucusque disputata suffragantur eo magis quod ipse Auctor conclusioni quidem P. Lehmkuhl utcumque respondere tentavit, atvero ejusdem argumenta prudentius duxit esse in hoc loco reticenda.

Sub n. 102. duo concedit P. d. C, et duo negat; « concedimus licitum quandoque esse ad repellendas calumnias verum *omittere* quod et fecit S. Alphonsus; concedimus etiam temporum iniquitatem in causa fuisse, cur *toties* sententiam suam a *systemate Jesuitarum* diversam esse protestatus sit. Sed asseveranter negamus S. Doctorem post annum 1762 simplicem Probabilismum adhuc retinuisse, atque ob ejusmodi causas, quo melius systema istud velaret, *verbis aequivocis* usum fuisse. »

Et nos libentissime concedimus S. Doctorem ab anno 1762,

toto animo adhaesisse systemati quod sub nova illa veste proponebat; apertissime idcirco et absque ambiguitate ulla doctrinam quam mente gerebat quamque optimam et certam et sub optima forma propositam plena convictione existimabat, doctrinam hanc sincerissimis verbis adaequate expressisse.

Negamus tamen hoc systema ita vestitum; esse aequiprobabilismum, prout Auctor noster eum intellexit, idque tota crisis nostra demonstravit.

Si autem quaeratur qua de causa S. Doctor *omiserit* perseverare in proponendo Probabilismo sub forma sub qua antea ipsum propugnaverat: hanc, triplicem fuisse dicimus: prima, quia ratione praejudiciorum quibus mentes plurimorum imbutas esse noverat [1]), arbitratus est quod veritati communissime in scholis fere usque ad ea tempora retentae [2]), aditus iterum aperiretur sub nova ista forma facilior et suavior, in mentes bona fide forte deceptas.

Quod revera contigisse ipse narrat in fine dissertationis anni 1765, et alibi; epist. CCXVII; apol. secunda (vol. XVI. edit. taur. 1829. quattro apol. etc.) pag. 29.

Altera, quia revera existimavit tantam idearum confusionem [3]) quam innumera rigidorum sophismata induxerant, duabus suis simplicissimis regulis perspicue posse omnique ex parte removeri [4]). Idcirco hanc novam simplicis probabilismi formam, optimam aestimavit forte non *absolute*, sed *relative* ad circumstantias et impugnationes adversariorum.

Tertia, quia, proposito probabilismo sub ista forma, secu-

---

1) Cf. ex. gr. verba ex n. 7 introd. dissert. an. 1765, a nobis relata in fine Punct. X. sect. I. huj. disp.

2) Uti historice testatur S. Doctor in dissert. ann. 1755 n. 3. 4. et alibi passim, v. g. in apol. secunda citata, pag. 31. 38. illius cit. vol.

3) Cf. citatam apol. secund. pag. 28. 29 parag. *mi dice che.* — apol. quart. pag. 175. circa medium. — ibid. append. pag. 202. in ultimis lineis.

4) Epis. CCXVII.

rius occurri existimavit periculo decidendi in sententias *particulares* paulo laxiores, sicuti paucis probabilistis, quos decursu suorum operum notavit, non vi systematis contigit sed malo ejus usu [1]).

Quocirca via *media* [2]) quam ineundam esse censuit rigidam inter et benignam sententiam, non in eo fuit quod probabiliorem opinionem solam esse dixerit vere et proprie dictam probabilem, unde non in mediam sed in extremam viam logice deflexisset; sed in eo quod opinionem *probabiliorem* de qua vertebatur, *distinguere* voluit, duplici sensu: in uno, probabilistarum assertum retinuit; in altero, non exclusive sed praecisive intellecto, in probabilioristarum partes concessit, in quas *probabilistarum* principiis ipsisque solis logice deductus est.

Unde nequidem quando professus est se esse probabilioristam; se non esse probabilistam; se non sequi systema Jesuitarum; *aequivocis verbis* indiguit ut totam veritatem aperte satis manifestaret. Nam toties etiam vel ex professo in contextu vel saltem aequivalenter et implicite, vel remissive sensum restrictum a nobis explicatum istarum assertionum indicavit. Si deinde vel revisores a gubernio deputati vel ministri regii vel quicumque alii, ex propria ignorantia vel ex proprio praejudicio verba S. Doctoris in suum detorquerent sensum, ecquis unquam istorum stupiditatem intentioni S. Doctoris referre audebit? Etiamsi hanc praevideret detorsionem, satius ipsi erat eam *permittere*, nec tenebatur impedire aliter, cum bonum effectum ex propria defensione juxta rei veritatem instituta immediate sequentem unice et omnino laudabiliter intenderet.

Neque nos ideo, *aequivocorum verborum* usurpationem S. Doctori attribuere indigemus ut ejus systema ab anno 1762 pro-

---

[1]) Cf. pag. 167 textum alleg. ex apol. contra Adelf. Dosit.

[2]) Cf. corr. spec. ep. CCLX. « La mia (sentenza) non è la rigorosa, nè è quella de Gesuiti, ma è fra mezzo l'una e l'altra. » Cf. ibid. ep. IX. a nobis pag. 136 citatam.

pugnatum, in probabilismum simplicem recidere demonstremus. Ad hoc enim abunde sufficit critice simul et logice perpendisse textus in quibus S. D. ab illo anno suum evolvit systema.

## PUNCTUM XI.

***In art. III. — Vindicatur interpretatio Josephi Frassinetti.***

Sub nn. 103-105, Auctor noster proponit et confutare conatur interpretationem critice datam a cl. Frassinetti.

Quoad hujus interpretationis expositionem, eam mutuatur a P. Van Reeth O. Praemonstratensis. Atvero si egregius P. de C. ipsum Frassinetti textum legisset aliter, ut reor, fuisset locutus. Sane P. Van Reeth teste P. de Caigny ita scribit: « juxta (Frassinetti interpretationem) S. Alphonsus *dumtaxat* reprobat usum opinionis certe minus probabilis et minus tutae, *quae* tenuiter seu dubie probabilis est ». (Van Reeth. de Prob. S. Alph. n. 9.) — « Qua dicendi ratione hic auctor primum quidem recedit ab interpretatione communi, juxta quam S. Alphosus non reprobat usum opinionis certe minus probabilis, *quae* tenuiter seu *dubie* probabilis *est*, sed *quia* omnis opinio certe minus probabilis *prae* certe probabiliori, *fit, redditur, evadit* tenuiter seu dubie probabilis. » (l. c). Ita P. Van Reeth O. P.

Nunc ipsum audiamus Jos. Frassinetti:

Recitato pag. 48, 49, textu classico S. A. th. mor. l. 1. n. 56, sic pergit: « Ex mente igitur S. Alphonsi sensus thesis est, non licere usum opinionis pro libertate, quando opposita pro lege et certe et sine ulla haesitatione, atque adeo notabiliter est probabilior..... Porro ex ejusdem S. Alphonsi mente ejusmodi probabilior opinio jam sententiae moraliter certae aequipollet. » Prosequitur critice probando hanc minorem, deinde: « Atvero quando opinio quae pro lege militat, tanta rationum firmitate polleat, ut pro moraliter certa queat haberi, omnemque oppositi prudentem formidinem excludat, manifestissimum est, adversam opinionem, quae pro libertate facit, nulla solida probabilitate posse fulciri. Quod quidem ipsissimum CONSECTARIUM. Beatus quo-

que Alphonsus ex praemissa illa probabilioris opinionis notione sic DEDUCIT disertis verbis: *unde fit (inquit) quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret* etc... Idipsum cernere est in opere, cui titulus *Homo apostolicus:* etc. »

« Quae cum ita sint, quis enimvero contendat, S. Alphonsum, dum haec statueret, explodere voluisse sententiam quam catholicae scholae docebant, quamque ipse operosius propugnaverat? Haec nimirum pro certo habet, opinionem libertati faventem, utut minus probabilem, solido tamen fundamento sic inniti, ut etiam prae probabiliore opposita, vere et solide probabilis permaneat. »

Et infra: «.... nonnulli minus caute ad quamlibet majorem probabilitatem ea (transtulerunt), quae statuerat S. Alphonsus de majori quodam dumtaxat et insigniori probabilitatis excessu, nempe quod oppositae opinioni probabilitatem demat. Atqui a mente S. Alphonsi id prorsus alienum est, quippe qui nunquam senserit aut docuerit *generatim* solidam cujuspiam opinionis probabilitatem, licet minorem ex majori oppositae interire. » Inde subjicit n^m^ 13 ex diss. a. 1755 a nobis alias recitatum de elisione, atque pergit: « idque confirmat definitio probabilioris opinionis quam et in ipsa postrema editione tradit..... Quod autem in istiusmodi definitione S. Alphonsus asseruit, centies facto ipso per totum opus confirmat. Nihil enim tibi frequentius occurret, quam ut asserta majore alicujus opinionis probabilitate, alterius quoque aut etiam duarum aliarum opinionum probabilitatem astruat aut defendat. Quum igitur S. Alphonsus generatim solidam probabilitatem non neget opinioni, cui opponatur probabilior, palam est thesim, quae objicitur, de solo illo probabilitatis excessu intelligendam esse, qui opinionem seu potius sententiam moraliter certam efficit. »

Interpretatio itaque Ios. Frassinetti non *simpliciter* reducitur ad illam primam propositionem a P. de C. ex P. Van Reeth expressam: « S. Alphonsus dumtaxat reprobat usum opinionis certe minus probabilis et minus tutae, *quae* tenuiter seu dubie probabilis est. » Sed praeterea vel potius, *antea* ad sequens ratiocinium: S. Alphonsus tenendam esse dicit opinionem quae *certe* probabilior est: — dicit autem certe probabiliorem, eam quae sententiae moraliter certae aequipolleat.

Atqui sententiae moraliter certae nonnisi dubie aut tenuiter probabilis opinio adversatur. Ergo quam S. D. hac regula reprobat, est illa quae tenuiter aut dubie probabilis est.

Porro praemissae exhibent *rationem consequentiae* conclusionis: consequentia exprimitur per conjunctiones *ideo, quia.*

Jamvero ratio allata in istis praemissis est tanta excessus praeponderantia ex una parte, ut aequipolleat ad moralem certitudinem. Ergo ratiocinium Josephi Frassinetti unica propositione efferri potest: S. Alphonsus hac regula reprobat usum opinionis oppositae certe probabiliori, *quia* certe probabilior est moraliter certa.

Haec autem propositio, supposito eo quod omnes admittunt; oppositam scilicet sententiae moraliter certae, non esse nisi tenuiter vel dubie probabilem, haec, inquam, propositio qua ratione differat ab hac alia quae in textu Auctoris nostri *negatur* fuisse a Frassinetti significata: « S. Alphonsus reprobat usum opinionis certe minus probabilis *quia* omnis opinio certe minus probabilis *prae* certe probabiliori *fit, redditur, evadit* tenuiter seu dubie probabilis », revera non assequimur. Omnes enim probabilistae assentiunt S. Alphonso scribenti in dissertatione a. 1755 n. 12: Falsum est majorem probabilitatem elidere minorem.... nisi opinio probabilior HABEAT PRO SE TAM CONVINCENS ARGUMENTUM ut contraria vere improbabilis, VEL NON AMPLIUS GRAVITER ET CERTO PROBABILIS VIDEATUR »: i. e. moralem certitudinem unius partis *elidere* probabilitatem alterius: i. e. opinio certe minus probabilis *prae certe probabiliori fit, redditur, evadit* tenuiter seu dubie probabilis.

Aliis verbis omnes probabilistae admittunt proprie dictam *elisionem* inferioris probabilitatis, per moralem certitudinem oppositae opinionis. Idcirco Frassinetti interpretando opinionem certo probabiliorem a S. Alphonso significatam fuisse ut aequipollentem moraliter certae, intellexit hanc, vi suae certitudinis moralis, seu notabilis praeponderantiae *elidere* pondus oppositae. Inepta igitur est distinctio ab Auctore nostro heic allata: « opinionem certe probabiliori oppositam tenuiter aut dubie pro-

babilem dici posse *vel* quia inferior a superiore *elidítur*, *vel* quia inferior *per meliorem considerationem* praecisa omni elisione, gravitatem qua prius pollere videbatur, amittit. » Inepta, dico, est hujusmodi distinctio, quippe quae contradictoria involvit, vel recidit in idem: nam ista consideratio melior fit *relativa* comparatione motivorum utriusque partis quarum probabilitas non est absoluta tantum sed essentialiter relativa ad vim motivi oppositi, sicuti nos docuit alias egregius Auctor noster. Ista autem relativa comparatio infert considerationem utrum opposita sit necne moraliter certa vel fere moraliter certa: si vero talis sit opposita, omnes admittunt, uti diximus, inferioris probabilitatem elidi. Ergo vel melior ista consideratio recidit in admittendam elisionem, vel dicendum est probabilitatem esse absolute non vero relative spectandam quod non cohaeret doctrinae Auctoris et communiter omnium sanae mentis philosophorum.

Peccat igitur refutatio interpretationis Frassinetti, in eo quod *inadaequate* spectavit hujus auctoris asserta. Coeteroquin et ipse clarissime expressit mentem suam atque S. Alphonsi sensum genuinum assecutus est: nam pag. 49 exhibet deficientiam solidae probabilitatis in parte opposita certe probabiliori, non *tanquam rationem* cur superior probabilitas sit sequenda, sed tanquam CONSECTARIUM ejus praeponderantiae et refert verba S. Alph. in textu classico citato. — Pag. 50 dicit S. Alphonsum non cuicumque probabiliori opinioni sed tantum illi quae majore et insigniore excessu praevalet alteri, tribuisse quod « oppositae probabilitatem *demat* »: quod praecise est idem ac *elidere*.

Si tandem concludit pag. 51, asserendo excessum probabilitatis de quo loquitur S. Alphonsus, intelligendum esse de *morali certitudine*, id facit non quasi talis esset ipsa ultima su ratiocinii *conclusio* sed ideo quia hic est medius terminus ex quo fluit tota vis consequentiae verae et ultimae conclusionis: opinionem certo probabiliorem, juxta mentem S. Doctoris, *non* esse illam quam *semper* censuit tam in primis dissertationibus

quam in ultimis editionibus th. mor., posse relinqui, dummodo constet de solida probabilitate oppositae.

Quod ab Auctore nostro deinde subjungitur n. 105, reducitur ad recoctionem argumenti quod jam supra undique fuit dissolutum.

## PUNCTUM XII.

### *In art. III. — Reducitur in medium P. Lehmkuhl.*

Heic etiam n. 103, in medium reducitur P. Lehmkuhl: « Hisce (i. e. interpretationi Frassinetti dimidiatim exhibitae) satis consonat Lehmkuhl; videsis th. mor. T. 1. n. 89, ubi tamen clarius loqui potuisset, statum quaestionis apertius ponendo, nempe utrum in concursu non dubie sed certe probabilioris opposita adhuc solide probabilis videatur. »

Jamvero haec sunt verba P. Lehmkuhl, postquam textus varios S. Doctoris attulit, qui sibi contradicere videntur: « Quae dicta S. Doctoris negotio non adeo difficili conciliari possunt. Evidens enim est ex doctrina S. Alphonsi esse opiniones probabiliores legem suadentes, quae obstent, et esse ejusmodi probabiliores opiniones quae non obstent licito usui contrariae opinionis minus probabilis libertati faventis. — Obstare licito usui opinionis oppositae eas quae sint *certo*, *notabiliter*, *cum excessu* probabiliores, quae ad quamdam moralem certitudinem accedant; non obstare eas, quae non notabiliter excedant in majore probabilitate, vel *quae oppositam opinionem relinquant* vere probabilem. — Haec S. D. *constanter* docuit etc. » Affert nimirum medios terminos duorum argumentorum quae rem critice conficiunt. Et infra: « Aliis verbis S. Doctor dicendo: non licet sequi opinionem minus probabilem, quando opinio probabilior est *certo notabiliter* probabilior; nihil aliud fecit nisi signum quoddam attulit, quo aliquando discerni posset utrum contraria opinio benigna vere probabilis esset necne: si vere pro-

babilis non maneret, negavit eam admitti posse. — E contrario idem S. Auctor dicens licere sequi opinionem etiam minus probabilem contra probabiliorem, modo gravi ratione innitatur: negavit, *semper* aliquam opinionem evadere non vere probabilem eo quod contraria videatur aut dici debeat probabilior; atque tunc tantum, quando evadat non vere probabilis, ejus usum rejecit. »

Porro hisce ita exhibetur mens S. Alphonsi, 1) ut dicatur *certitudo* excessus *notabilis* probabilitatis esse *signum* practicum quo discerni possit hunc excessum pertingere ad quandam moralem certitudinem.

2) Ut dicatur *certitudo* excessus notabilis probabilitatis pro lege obstare licito usui opinionis oppositae praecise ideo quia tunc excessus pertingens ad moralem certitudinem efficit ut opposita opinio *evadat non vere probabilis.*

Qui autem ita refert sensum S. Alphonsi, evidenter profitetur opinioni notabiliter et certe probabiliori oppositam, non posse vere probabilem videri : secus *certa* et *notabilis* ejus probabilitas non esset « *signum* quo aliquando discerni posset utrum contraria opinio benigna vere probabilis esset necne ». Signum enim rei manifestativum, necessariam et infallibilem connexionem cum re signata habeat oportet.

Pater Lehmkuhl ergo concedit et quidem satis aperte hunc excessum si sit adeo notabilis ut pertingat ad quamdam moralem certitudinem, sitque in hac praeponderantia *certus*, perimere veram oppositae probabilitatem : aliis verbis : concedit certitudinem excessus *qui* sit adeo notabilis et quia est adeo notabilis, esse signum peremptae solidae probabilitatis in opinione contraria.

Quando vero iste excessus non est adeo notabilis ut ad quandam moralem certitudinem pertingat, negat ipse et dicit S. Alphonsum negasse, *solum excessum* probabilitatis ex una parte esse rationem sufficientem cur *semper eo ipso* opposita non sit vere probabilis. Haec sane est thesis *pure probabilioristica*, a qua S. Alph. jugiter abhorruit.

De quaestione vero utrum *solus* excessus adeo notabilis ut recidat in quamdam moralem certitudinem, possit sine ulla haesitatione affirmari vere certus; et omnis excessus qui non sit adeo notabilis, debeat potius dici *dubius* quam certus, de ista quaestione non agit P. Lehmkuhl ex professo.

Contentus tamen est asserere doctrinam S. Alphonsi fuisse, quod excessus adeo notabilis ut recidat in quandam moralem certitudinem, et *simul* omnino *certus*, est signum peremptae solidae probabilitatis ex altera parte. Reapse ad hoc in substantia reducitur regula illa alphonsiana; inde sane factum est ut Auctor noster autumans se totum probabilisticum aedificium a fundamentis diruturum, suam thesim sensu *contradictorio* statuerit dicens (n. 90): « S. Alphonsus per opinionem certe aut notabiliter probabiliorem minime talem indicavit excessum, ut sententiae moraliter certae aequipolleret vel saltem in probabilissimam recideret ».

Intelligenti pauca. Perspicuitate itaque non deficitur, ista cl. P. Lehmkuhl expositio, quamvis praescindat a nonnullis secundariis quaestionibus quae ansam hodiernis aequiprobabilistis obtulerunt communiorem probabilistarum interpretationem impugnandi.

De hisce satis et amplius.

Sequitur apud Auctorem controversia cum alio scriptore, de opinione unice probabili: qua in re non est cur immoremur.

# DISPUTATIO TERTIA.

## *Crisis theologica Aequiprobabilismi.*

---

Expleta historica disquisitione de systemate morali a S. Alphonso proposito, Auctor in sectione II capitis III, quaestionem juris aggreditur, aequiprobabilismi sui stabiliendo fundamentum. Cardinem difficultatis in eo esse dicit, utrum *in concursu opinionis certe probabilioris* legi faventis, opposita dici adhuc queat *certe et solide probabilis;* atque controversiam sic limitatam solvit sensu probabilioristarum, quamvis diffiteatur se aliis eorum principiis ideo subscribere.

Rem totam idcirco sequentibus conficit propositionibus.

I. Ratio practica cum speculativa confundenda non est.

II. Non eadem in diversis scientiis quaerenda est certitudo; in re morali sufficit ordinarie certitudo lata, nec non reflexa, si directa haberi nequit.

III. Doctrina S. Alphonsi statuentis opinionem certe probabiliorem efformare certitudinem moralem late dictam, per se ad obligandum vel liberandum sufficientem, plane consonat doctrinae D. Thomae atque ex illa efficaciter confirmatur.

IV. Opinio opposita opinioni certe probabiliori fit subjective improbabilis.

V. Voluntas nequit licite imperare assensum opinioni libertati faventi, in concursu opinionis certe probabilioris pro lege.

Nobis pauca sufficiat advertisse de singulis.

## PUNCTUM I.

### *In praenotanda Auctoris. — De statu quaestionis.*

Cum S. Doctor Alphonsus, uti jam saepe monuimus, ad restringendum duabus solis regulis omnem licitum usum opinionis probabilis de quo adhuc vigibat controversia, solidam probabilitatem spectare unice voluerit sub respectu practico; ab experientia etiam et a posteriori procedere voluit ut practicam hanc normam determinaret. Satis enim est, in n° 56 l. 1. th. mor. et in epist. CCXVII. CCXIX. (cor. spec.) alias a nobis citatis, reascendere per rationes singulas quibus suas assertiones successive firmat, usque ad primam ejus regulam, ut intelligatur processus *a posteriori*, quo devenit in statuendam *certitudinem* excessus probabilitatis in una parte, tanquam unicam normam et infallibile signum quo cognoscatur adesse obligatio sequendi probabiliorem.

Scilicet a posteriori adverterat S. Doctor hanc *subjectivam certitudinem* sine ulla haesitatione haberi non posse, nisi excessus probabilitatis *objectivae* adeo fuerit notabilis ut morali objectivae certitudini aequipolleat vel saltem prudentem certamque errandi formidinem excludat; ipsum autem excessum probabilitatis eo usque quandoque augeri, admittebant et ipsi probabilistae; atque post damnatam prop. 3 Alexandri VIII, omnes conveniebant *sufficere* hanc moralem certitudinem, pro lege, ad *obligandum*, contra legem ad *liberandum*. Tota igitur S. Doctoris demonstratio, pro prima ejus regula a posteriori perficitur.

At vero probabilioristae S. Alphonso coaevi, atque hodierni aequiprobabilistae suam thesim de opinione probabiliori, *a priori* potius demonstrari autumant, ex ipsa nempe indole hujus opinionis, atque in hac procedendi ratione totam vim ponunt sui systematis, totumque ejus a probabilismo discrimen; adeo ut primam S. Alphonsi regulam propugnent, non tam ex

eo quod *de facto* certitudo excessus non habeatur nisi opinio probabilior, moraliter certae aequivaleat, quam ex eo quod excessus *ex se*, quatalis, probabilitatem oppositae partis, menti reddat inacceptabilem.

Dixi: totum aequiprobabilismi a probabilismo discrimen: sane (omissa nunc quaestione de probabili cessatione legis quae certo extitit), ut alii nuper adverterunt, [1]) aequiprobabilistae in praxi sunt hodie probabilistae easque sententias plerumque docent libere posse retineri, quas nos sectari posse docent et probabilistae. Id porro inde contingit, quia illi sequuntur sententias particulares S. Alphonsi: idcirco, quamvis peccent in interpretando, uti diximus, ejus systemate, per accidens tamen, errore suo non abducuntur, atque sententiae quas ipsi, sequendo S. Doctorem, aestimant esse certe probabiliores, plerumque coincidunt cum illis in quarum oppositis probabilistae non agnoscunt solidam probabilitatem; unde viis diversis ambae partes conveniunt in eamdem praxim: probabilistae quidem cum vero *systemate* S. Alphonsi, *logice, vi systematis*; atque aequiprobabilistae non vi sui systematis, sed vi *auctoritatis* S. Alphonsi in singulis quaestionibus. Nisi enim ejus auctoritate in particularibus sententiis in tramite plerumque recto servarentur, *logice* fierent probabilioristae imo forte et cum istis in delectu opinionum vergerent in rigorismum.

Aliis verbis, in prima regula a S. Doctore tradita, aequiprobabilistae vim faciunt in eo quod *materialiter* tantum se habet, in probabilioritate nempe opinionis; atque ponunt in obliquo et incidenter, id quod in sensu S. Doctoris *formaliter* se habet, quippe quod ratio ipsi est a posteriori inductam, cognoscendi obligationem. Illi nempe dicunt: opinio quae certe probabilior est, retinenda est *quia probabilior*; dum S. Alphonsus dicit: probabiliorem opinionem, *tunc et ideo* video a posteriori esse retinendam, quando et quia est omnino *certus* ejus excessus. — Regula,

---

[1]) Zeitschrift fuer Katolische Theologie vol. XIX. XX.

ut patet, materialiter utrinque eadem est; *ratio* regulae est diversa: illa a priori et analytica; ista a posteriori et synthetica.

Porro ex hoc discrimine statim sequitur ingens discrimen in natura systematis S. Alphonsi: si enim a priori deducit certo probabiliorem *esse retinendam*, ex eo praecise quod probabilior est, aequiprobabilista est, vel potius probabilioristis victas tradit manus; si e contra ideo tenet certo probabiliorem esse sectandam, quia a posteriori certitudo subjectiva ejus excessus *signum* ipsi est eam objective attingere moralem certitudinem, probabilista est, quia *ratio ultima* cur eam doceat non posse relinqui, est ea ipsa cujus subjectiva certitudo ejus excessus est *signum* experimentale, nempe *objectiva ejus moralis certitudo:* quae doctrina est probabilistica.

Hac itaque sua sectione II, Auctor noster istam vim analyticam vindicare intendit primae regulae S. Alphonsi, demonstrando praesertim ex auctoritate S. Thomae, ex natura elisionis et ex natura opinionis, probabilioritatem *ut sic*, in re morali vim certitudinis habere.

Porro lis ex iis quae in 1ª et 2ª nostra disputatione leguntur, praejudicata jam censeri posset, nisi pro scopo nostro, singula nobis essent successive retundenda. Equidem primas duas Auctoris propositiones transmittere licet absque ulla animadversione, quippe quas omnes nunc libenter admittunt. Tertiae autem accurata distinctio est adhibenda.

## PUNCTUM II.

***In art. II. Auctoris. — An opinio certe probabilior qua talis, certitudinem moralem late dictam efformet. — Expenditur I. argum. ex auctoritate S. Thomae.***

Thesi prius enuntiata quam *Puncto praec. n. III.* jam retulimus, Auctor noster duo praenotat: « Dicitur (in thesi) *certe probabilior* ut distinguatur a *probabilissima:* ipsae namque, juxta S. Alph. et recte quidem, differunt specie, sicut gradus proba-

bilitatis supremus et inferior, sed practice *in ratione obligandi* aequivalent; quod thesis est. »

Auctor itaque opinionem certe probabiliorem heic considerat sub respectu sub quo a probabilissima distinguitur, ideo et ipsi opponitur; Eam nempe sumit, in primo schemate a S. Alphonso tradito, dum S. Doctor, uti vidimus, ad suam regulam conficiendam, sub respectu alio, *certe* probabiliorem, a *dubie* probabiliori contradistinxit, sub respectu scilicet sub quo *certe* probabilior cum probabilissima convenit. Unde jam ab exordio quaestionis agitandae, Auctor a systemate S. Doctoris secedit, et alio litem transfert. At dum S. Alphonsus egregie potuit de illa opinione certe probabiliori quae cum probabilissima convenit, in exclusione prudentis et certae formidinis de opposito, potuit, inquam, praedicare quod *obliget* sicut probabilissima; Auctor noster idem non potest sine flagranti contradictione praedicare de certo probabiliori prouti ipse eam intendit. Sane, prout Auctor eam intendit, sumpta nempe in primo schemate divisionis a S. Alph. explicato *th. mor. mor. l. 1. n. 40*, opinio certe probabilior *opponitur* probabilissimae in eo quod includit prudentem et certam adversae partis formidinem, quippe cui motivum suffragatur adhuc *certo* probabile; dum in parte opinioni probabilissimae adversa, motivum superest *non certo* sed ad summum *dubie* probabile; et quidem ista certa vel dubia probabilitas, adversae parti tribuitur non in se tantum et *absolute* spectatae sed, juxta ipsius Auctoris doctrinam, *relative*, et in comparatione cum motivis partis superioris.

Ipse itaque dicit quod opinio certo probabilior ita intellecta, si sit pro lege, faciat eam sufficienter promulgatam et *certam*.

Atqui S. Thomas, uti vidimus, eamdem opinionem describit dicens quod per eam « intellectus quidem accipit unam partem semper tamen *dubitat* de opposito. » — Intellectus ergo juxta Auctorem potest esse simul certus moraliter, ideoque carere prudenti et certa formidine de opposito, et prudentem certamque habere formidinem de opposito. — Ita sane logice et juxta

sana principia concluditur; atque hoc suum paradoxum Auctor ex ipsa S. Thomae doctrina confirmare vult.

Probare scilicet intendit, sicuti 2° loco praenotat, hujusmodi opinionem *per se*, i. e. vi sua atque eo ipso quod est *certo probabilior*, certam includens prudentemque oppositi formidinem, in materia morali sufficere ad obligandum, sicut sufficit moralis certitudo stricte dicta, et sufficit opinio probabilissima, *dubiam* tantum prudentem oppositi formidinem includens.

Videamus ergo hoc portentum.

Affertur sub n. 116, textus S. Thomae, ex 2. 2. Q. 70. a. 2., de injustitia pertinente ad personam *testis*. — Utrum sufficiat duorum vel trium testimonium; ubi Angelicus docet quod certitudo non est similiter quaerenda in omni materia. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia; et ideo sufficit *probabilis certitudo*, quae ut in *pluribus* veritatem attingat etsi *in paucioribus* a veritate deficiat. » Hucusque transcripsit Auctor; sed pergit S. Thomas: « Est autem probabile quod magis veritatem contineat dictum multorum quam dictum unius; et ideo cum reus sit unus qui negat, sed multi testes asserant idem cum actore, rationabiliter institutum est de jure divino et humano quod dicto testium stetur. Omnis autem multitudo in tribus comprehenditur..... ternarius quidem constituitur asserentium, cum duo testes conveniunt cum actore; et ideo requiritur binarius testium, vel ad majorem certitudinem ut sit ternarius, quae est multitudo perfecta in ipsis testibus etc. »

« Atqui, ait Auctor, opinio certe probabilior respondet huic probabili certitudini. » Quod sic probat: « Probabilis haec certitudo 1) non est certitudo *stricta*, ut patet ex adjectivo *probabilis*, quo deprimitur ad *latam* certitudinem: 2) nec est opinio aeque probabilis, quia certitudo aliquid magis innuit: 3) nec est opinio *probabilissima*, secus non dixisset « ut in *pluribus* veritatem attingat » sed « ut in plurimis: » Ergo nonnisi opinio certo probabilior esse potest, quae apprime comparativo verbo « ut

in *pluribus* » respondet. Consonat Mayr S. J. « S. Th. tantum exigit ut sit verum in *pluribus*, quamvis non in *paucioribus;* nec dicit in *plurimis* aut *paucissimis*. » (Theol. schol. tr. IV, n. 373.)

Atvero allegatio ista ad rem non facit, multiplici ex causa: 1) quia probabilis illa certitudo de qua heic S. Thomas, plures gradus habet, ut per se est manifestum. Jamvero S. Thomas non dicit quod *quoties* ratione materiae, ipsa sola requiri potest, toties *in eo tantum gradu* sufficiat, in quo, ut *in pluribus* veritatem attingit etsi in paucioribus deficiat. Sed, proposito principio generali, certitudinem similiter non esse quaerendam in omni materia, tantum dicit in materia contingenti et variabili, qualis est materia *judiciorum et testimoniorum*, istum gradum probabilis certitudinis sufficere. Ergo ut possit inde concludi eumdem gradum sufficere, juxta Angelicum, ad legis promulgationem atque ad obligationem inducendam, opus esset ostendere etiam quod S. Thomas docet *ex natura legis, promulgationis, obligationis*, non exigi *majorem* probabilis certitudinis *gradum* quam illum qui requiritur circa actus humanos contingentes et variabiles *in judiciis et testimoniis*.

Porro comparata jam sola *natura* legis, cum *natura* sententiae judicialis, prout utriusque discrimen proponit S. Thomas (1. 2. Q. 96. a. 1. ad 1), apparet non *eodem* certitudinis moralis gradu decerni posse a judice circa *particularia* facta, quo certitudinis gradu legem convenit esse praeditam, utpote *normam in communi* propositam, non factum mere particulare. — Idem a fortiori dicendum in doctrina S. Thomae, de natura promulgationis et obligationis, quae exigunt ut existentia sive legis, sive judicialis sententiae *certius* constet, quam judici constare possit de facto contingenti.

Unde ipse S. Alphonsus multas paginas impendit ad demonstrandum Sensum S. Thomae esse quod natura legis, promulgationis, obligationis exigit certitudinem, quae nisi saltem prudentem et certam oppositi formidinem excludat, sufficiens non est. Ergo ex *solo illo textu nondum deduci* potest *eamdem* pro-

babilem certitudinem quae sufficit in judiciis, sufficere etiam in eodem gradu, pro obligatione legis, in doctrina S. Thomae. — Sed etiam dato, *eamdem* utrinque requiri certitudinem, non sequitur tamen Auctoris conclusio: sane: 2) Scopus S. Thomae in art. II citato est ut demonstret sufficere duos vel tres testes in judiciis. Id autem conficit Angelicus sequenti ratiocinio:

In materia judiciorum sufficit probabilis certitudo quae ut in pluribus veritatem attingat, licet in paucioribus deficiat.

Atqui ubi sunt contra unum reum, vel duo testes cum actore, vel praeter actorem tres testes, habetur probabilis certitudo quae ut in pluribus veritatem attingit licet etc.

Ergo in materia judiciorum sufficiunt duo vel tres testes.

Majorem probat ex materia contingenti et variabili judiciorum atque ex lege illa morali quod *multi* de eadem re, si concordant, difficilius errant, quam si unus de ea solus judicet; minorem, ex eo quod omnis *multitudo* in tribus comprehenditur.

Totumque confirmat ex Script. et ex Augustino.

Porro in hisce Angelicus non explicat sed *supponit quale* debeat esse testimonium istorum testium, ut pariat certitudinem probabilem quae in judiciis de contingentibus sufficit: heic enim probat tantum quod duo vel tres testes *possunt* eam parere, *si aliunde sint idonei.*

Iamvero et nos, et omnes probabilistae concedimus *majorem* et certam probabilitatem quae in *pluribus* verificatur, *posse* quandoque sufficere ad obligationem inducendam; atque quaestio nunc cum Auctore vertitur, *qualis* debeat esse haec major probabilitas ut ad obligandum sufficiat; ipse enim dicit eam ex se sufficere: nos dicimus, non ex se, sed solum si prudentem et certam in opposita parte probabilitatem non relinquat.

Ergo Locus iste S. Thomae totam controversiam nostram integram relinquit, atque alius requirendus est textus, ubi S. Doctor agat de qualitate testium.

Hunc porro textum habemus explicitum in art. sequenti et indirecte etiam in praesenti, ad 2.

Sane in art. III. scribit A. D.: « quidquid est quod probabi-

litatem afferat in contrarium reddit testimonium inefficax. » Deinde varios defectus enumerat qui probabilitatem afferunt in contrarium. — Et in praesenti ad 2: « discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis, quae variant *substantiam* facti.... aufert efficaciam testimonii, quia si discordant in talibus, videntur singulares esse in suis testimoniis et de diversis factis loqui. »

Ergo evidens est Angelicum, quando in praesenti asserit sufficere testimonium plurium, i. e. duorum vel trium, *supponere* ipsum non aliunde reddi inefficax ex quacumque causa quae probabilitatem afferat in contrarium.

*Tunc* ergo *solum* censet valere in judiciis *plurium* testimonium, quando nulla probabilis ratio vel ex alio teste vel aliunde ipsum impetit. Haec autem est thesis nostra.

3) Ratiocinium S. Th. in art. 2° praecipuam suam vim desumit in majori, ex lege illa morali, propter quam *praesumimus* multos, si conveniant in idem assertum, non errare : « est autem probabile, ait ibi S. Thomas, quod magis veritatem contineat dictum multorum quam dictum unius. »

Ergo si, dum isti de facto conveniunt, ex adverso rationes adsunt quae praesumptionem hanc impediant, profecto testimonium plurium quod reapse adest, remanebit inefficax nec certitudinem probabilem pariet.

Atqui rationes solide probabiles quae consensum testium aliter explicare possint quam ex rei veritate donec adsunt ex adverso, praesumptionem fundatam in sola consensione testium impediunt. Ergo.

Minor est ipsa illa propositio S. Thomae in art. III : « Testimonium non habet infallibilem certitudinem, sed probabilem. Et ideo quidquid est quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit testimonium inefficax. »

Idem etiam confirmatur ex responsione ad 3 in art. II. ubi S. Th. docet, contra episcopos et clerum Ecclesiae romanae, rationabiliter exigi majorem illum testium numerum qui in *2. Q. 4. c. 11* determinatur. Tota ratio responsionis fundatur

in eo quod pro istis, tum propter dignitatem, tum propter adversarios iniquos, tum propter bonum nomen totius ordinis, *ratio probabilis adest quae in dubio ponit efficaciam* testimonii *duorum* vel *trium* tantum. Ergo e contra quando in coeteris S. Thomas aestimat duos vel tres testes facere certitudinem sufficientem, ideo aestimat quia supponit non superesse ex parte adversa rationem probabilem quae in dubio ponat veracitatem testimonii. Secus enim nec sibi nec juri canonico cohaereret Angelicus.

Idcirco ad Auctoris argumentum responderi in forma potest:

« Angelicus saepe docet quod probabilis certitudo in re morali sufficit ». — *Concedo majorem.*

« Atqui opinio certe probabilior respondet huic probabili certitudini. » *Distinguo minorem:* quando ex parte adversa non superest prudens certa ratio dubitandi etiam relative spectata, *conc.* — secus, *nego.*

*Distinguo* eodem modo consequens.

Ad probationem minoris: 1) *concedo* probabilem certitudinem non esse certitudinem moralem strictam; 2) *concedo* etiam non esse opinionem simpliciter aeque probabilem.

3) Certitudo probabilis non est opinio probabilissima secus non dixisset S. Th. ut *in pluribus*, sed, ut *in plurimis: transeat* totum.

Ergo nonnisi opinio certe probabilior esse potest, quae apprime comparativo: « ut in pluribus » respondet: *distinguo* consequens: opinio certe probabilior et adeo notabiliter probabilior ut relate ad obligationem inducendam attingat moralem certitudinem ideoque ne speculative quidem probabilem relinquat oppositam, *concedo* consequens — opinio certe probabilior cui probabilis adhuc opponatur, *nego* consequens.

In ultimo hoc membro, juxta sensum quo S. Alphonsus dixit *certe* probabiliorem, negandum etiam esset suppositum: dari posse *certe* probabiliorem cui opponatur adhuc certa solida probabilitas. Istud tamen suppositum in mente S. Doctoris non negatur, ex sola ratione probabilioritatis ut sic, sed ex ratione

a posteriori, *certitudinis* subjectivae excessus, quae signum est probabilioritatem objective attingere moralem certitudinem, juxta explicata.

Animadversio ex Ant. Mayr desumpta: « S. Thom. tantum exigit ut sit verum in *pluribus* quamvis non *in paucioribus*; nec dicit in *plurimis* aut *paucissimis*. » solum probat quod S. Thomas gradus admittit in majori et notabili probabilitate, neque exigit ut judex semper requirat *supremum*, quod esset infinitis difficultatibus et anxietatibus obnoxium, cum isti gradus plerumque tanta praecisione distingui et determinari non possint in rebus humanis; non probat autem quod S. Thomas etiam in parte adversa huic majori probabilitati, admittat posse superesse probabile fundamentum quod non impediat certitudinem probabilem. Probavimus e contra S. Thomam supponere et docere oppositum.

Nec valet quod ex eodem Mayr urgetur, l. c. n. 374: « S. Thom. ad 2 in citato art. II, ait testes contradicentes vel non consentientes, actoris et rei, comparandos a judice quoad dignitatem, numerum, negotia etc. et sic judicandum: ergo non loquitur de casu, quando nullus testis est in oppositum: ut magis patebit legenti totum articulum. » — Nempe adversarius quem Mayr heic inducit, dixerat S. Thomam loqui de duorum vel trium testimonio sine teste in oppositum; quo casu non datur prudens dubium in oppositum: ideoque S. Doctorem ad moralem certitudinem latius dictam, hoc requirere. (Cf. Mayr ibid. *dices* 3.). — Haec, inquam, nihil valent; nam S. Th. in corpore enumerans et comparans testimonia opposita, ex parte rei ipsum solum numerat: « et ideo cum reus sit *unus qui negat*, sed *multi* testes asserant idem cum actore, rationabiliter etc. » ut supra. Sensus autem Angelici non est quod nullus omnino sit qui reo faveat, sed quod nullus testimonio *efficaci* ipsi faveat, quia ejus testimonium *probabilitatem non affert in contrarium* qualicunque ex causa in hac probabilitate deficiat; unde fit quod duorum vel trium testimonium contra reum, maneat efficax, juxta explicationem ipsius Angelici, art. III.

Utique, in solutione ad 2^m^ art. II. S. Thomas non considerat tantummodo casum quo pro reo nullum efficax *supersit* testimonium, quo in casu, in corpore statuerat doctrinam quod binarius vel ternarius

testium idoneorum sufficit ad moralem pariendam certitudinem in hujusmodi; sed transit etiam ad considerandum casum quo testes ex se *efficaces* sint tam pro actore quam pro reo. Nempe in tota ista responsione normam tradit aestimandi quando et quomodo *discordia* testium auferat efficaciam testimonii; quia in difficultate sibi opposuerat duorum vel trium testimonium plerumque in aliquo discordare: porro respondet distinguendo 1) materiam discordiae: vel enim spectat substantiam facti vel non: si primum, testimonia numerum non faciunt; si alterum, possunt facere numerum: uti in fine dicit; unde 2) si non obstante hujusmodi accidentali discordia, *aequalis* sit numerus testium actoris et testium rei, normam judicandi ex alio principio tradit. Deinde 3) si dissensus in materia, non tamen substantiali, sit inter testes ejusdem partis, in hypothesi quod ex utraque parte habeantur aliunde ex se idonei, « debet judex ex motu sui animi percipere cui parti sit standum, vel ex numero testium, vel ex dignitate eorum, vel ex favorabilitate causae, vel ex conditione negotii et dictorum. » 4) tandem considerat Angelicus incohaerentiam quae contingat in testimonio unius ejusdem testis; Et in fine explicat alterum membrum suae primae distinctionis, uti jam innuimus.

Atvero evidens est quod tota haec doctrina de discordia possibili in testimoniis, se habet *praeter* doctrinam traditam in corpore articuli; sufficere ad judicandum, contra reum, duos vel tres testes. Vel enim refertur ad casum quo duobus vel tribus testibus contra reum, nullus testis idoneus opponitur pro reo; vel ad casum quo etiam reus pro se testem idoneum habet: si primum, quaestio est de idoneitate necessaria ut isti duo vel tres possint facere numerum, non qualis numerus sit sufficiens: haec altera porro est soluta in corpore articuli. Si secundum, jam sumus extra casum de quo in corpore articuli Angelicus docet sufficere duos vel tres testes. Imo satis significat Angelicus solum *majorem* numerum non facere in isto casu probabilem certitudinem, cum rem remittat « ad motum animi judicis » i. e. ad quandam aequalitatem justitiae distributivae (juxta 2. 2 Q. 63. a. 4.) atque ad alia principia juris, si forte locum habeant. Nihil ergo ex tota responsione ad 2^m^ potest deduci contra interpretationem quam dedimus corpori articuli.

Prosequitur Auctor, suam conclusionem confirmando ex alio S. Thomae loco, 1. 2. Q. 91. a. 3. ad 3. Iste textus tamen

facit potius pro nobis quam pro ipso, cum ibi S. Doctor excludat a dictamine legis humanae, tantum necessitatem certitudinis *infallibilis ex evidentia demonstrationis*, quae exigi potest in speculativis, sed aperte requirat *certitudinem*, « secundum quod est possibile in suo genere. »

Iamvero haec in re morali tunc praecise attingitur in una parte, quando rationes oppositae certam et prudentem suae probabilitatis formidinem non ingerunt; non vero ex eo solo quod sit ista pars probabilior. Saltem hoc ultimum a S. Thoma non dicitur isto loco; propterea egregius Auctor noster ipsum connectit cum altero praecedenti de certitudine probabili quae ut in pluribus veritatem attingit. Atvero jam vidimus qua ratione id a S. Thoma fuerit intellectum.

## PUNCTUM III.

### *In art. II. — An Suarez Auctori favcat.*

Afferuntur et verba Suarezii, de Leg. lib. VIII. c. 3. n. 19. « Major probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit. » —

Verum haec verba ex ipso contextu ostendi possunt non eum sensum praeseferre quem Auctor eis tribuit, majorem probabilitatem *ex eo solo quod sit major*, vim habere certitudinis moralis.

Ecce sane contextus: docet prius ibi Suarez, privilegium odiosum contra commune jus, vel in praejudicium aliorum cedens, in dubio censendum esse personale; et hoc, ait, videtur esse sine controversia. Porro n. 17 jam praemiserat distinctionem dubii positivi et negativi: negativum est « in quo deficiunt rationes determinantes intellectum ad alterutram partem et ideo suspensus manet. » — Positivum est « in quo sunt pro utraque parte rationes probabiles et sufficientes ad definitum assensum praestandum, licet incertum. Primum genus dubii vix

habet locum in proposito, quia semper interveniunt conjecturae sufficientes ad ferendum aliquod judicium, ut clare constat ex materia subjecta et ex his quae diximus. Et licet fingatur casus in quo tanta sit aequalitas inter rationes et conjecturas utriusque partis, ut intellectus dubitet quid verum sit, semper tamen potest judicare unum et alterum esse probabile, quod satis est ad judicium practicum de agendis. » (Obiter advertamus, haec verba bene perpensa jam abunde sufficere ut Suarez demonstretur non fuisse aequiprobabilista, sed secundam S. Alphonsi regulam et ipse docuisse eo sensu, quo eam intelleximus nos, cf. supra disp. I. sect. II. punct. III. Sane non solum in casu quo rationes utrinque sunt *aeque* probabiles, sed etiam si quando altera sit vere *minus* probabilis, solide tamen probabilis, locus datur judicio *speculativo* de utriusque partis probabilitate, quod Suarez dicit *sufficere ad judicium practicum* (certum ex principiis reflexis) *de agendis*. Ergo Suarez non restrinxit regulam illam quam S. Alph. postea dedit de *aequi probabili*, ad casum aequalitatis *in gradu*, sed extendit ad casum de aequalitate in *specie probabilitatis*. Sed hoc nunc omittamus.)

Hisce itaque praemissis, sic n. 19 prosequitur Suarez:

« Quia vero, ut dixi, hoc dubium positivum est, ideo oportet supponere utramque partem dubii esse probabilem; nam si una sit probabilis et altera improbabilis, illa prior non dubia sed certa habenda est. In gradu ergo probabilitatis potest esse inaequalitas, et tunc si praesumptio quod privilegium sit personale, sit probabilior, a fortiori procedit simpliciter regula. Si tamen probabilius videatur esse reale, tunc certo privilegiarius ipse potest in foro animae illud retinere ut reale, et idem censeo esse judicandum in forensi judicio; tum quia major probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit; tum etiam quia major probabilitas suo modo confert majus jus, quod in sententia ferenda praeferendum est, quia in ea servari debet distributiva justitia, ut D. Th. docuit. 2. 2. Q. 63. a. 4. ad 1.^m Haec autem intelligenda sunt per se loquendo, et considerando naturam privilegii et originem ejus, antequam possessio vel usus ejus in alterutram partem inclinet: tunc enim succedit alia regula juris, quod in dubio

melior est conditio possidentis, et ideo si privilegiarius possidet illud ut reale, licet oriatur dubium, quamdiu illa pars manet probabilis, potest jus suum retinere, donec aliud per judicem authentice declaretur. »

Porro diligenter perpendenti ista, fit manifestum 1) Suarezium ideo dicere majorem probabilitatem esse quandam moralem certitudinem, quia excessus probabilitatis est *certus:* porro haec *certitudo* excessus potest esse vel *simplex conditio*, ut probabilioritas *ex se sola* jam sufficiat ad aestimandum rem esse moraliter certam sensu lato; vel *signum subjectivum* ex quo certo dignoscatur excessum esse adeo notabilem ut objective pertingat ad moralem certitudinem, probabilitate non nisi dubia remanente in parte adversa. Jamvero Suarezius heic non restringit suam sententiam ad alterutrum sensum. Quo jure igitur Auctor noster ei tribuit primum sensum potius quam alterum qui noster est et S. Alphonsi, ut probavimus?

2) Suarezium, si primum sensum intendisset, non fore sibi cohaerentem: sane ipse prius docet hujusmodi odiosum privilegium in *dubio* censendum esse personale, idque sine controversia, quia restricte intelligendum. (n. 19 ab initio).

Quod, juxta ejus explicationem, dubii positivi (n. 17), valet *donec* « pro utraque parte rationes sunt probabiles et sufficientes ad definitum assensum praestandum, licet incertum. » atque *donec* possit « judicari unum et alterum esse probabile ».

Istudque judicium directum ipse intendit mere *speculativum* quia statim adjungit: « quod satis est ad judicium *practicum* de agendis. » — Imo alibi apertius etiam loquitur: « Quamdiu est judicium probabile quod nulla lex sit prohibens actionem, talis lex non est sufficienter proposita homini; unde cum obligatio legis sit ex se onerosa, non urget, donec certius de illa constet. » de cons. disp. 12. sect. 6 et vide in 3 p. disp. 40. n. 14. — Quam citationem desuminus ex S. Alph. th. mor. l. 1. n. 66.

Hoc posito, quando (n. 19) scribit: « major probabilitas est quaedam moralis certitudo, si etc » atque ita probat quod, « si probabilius videatur (privilegium) esse reale, tunc *certe* privilegiarius ipse potest in foro animae illud retinere ut reale »;

jam supponit hunc casum probabilioritatis esse extra ambitum illius casus in quo possit speculative « judicari *unum et alterum* esse probabile » : ergo supponit partem probabiliori oppositam nec absolute nec relative posse adhuc speculative judicari probabilem, saltem certo. Jamvero hoc non contingit nisi opposita sit adeo notabiliter probabilior ut moraliter certa habenda sit ; vel aliis verbis, nisi casus fere recidat in casum de quo ipse ibidem scribit : « si una sit probabilis et altera improbabilis, illa prior non dubia sed certa habenda est. » — Ergo vel Suarezius non sibi cohaeret in eodem contextu, vel *ideo* et *tunc* intendit probabilitatem majorem esse quandam moralem certitudinem, *quando* et *quia* opposita fit objective vel improbabilis vel saltem dubie probabilis, ita ut non possit certo *judicari* probabilis i. e. *speculative* judicari probabilis.

Ad haec *objici* tamem potest Suarezium praemonuisse quod in casu quem considerat, « oportet supponere utramque partem dubii esse probabilem ». Ergo falsum est quod supponat partem probabiliori oppositam nec absolute nec relative posse adhuc speculative judicari probabilem.

*Respondemus* quod Suarez, quando heic scripsit : « quia vero ut dixi, hoc dubium positivum est, ideo oportet supponere utramque partem dubii esse probabilem » significare voluit : oportet supponere neutram partem esse *evidenter improbabilem* sive *tenue* probabilem : nam ita mentem suam statim explicat subjungens : « nam si una sit probabilis et altera *improbabilis*, illa prior non dubia, sed certa habenda est. ». Supponit itaque quempiam cui suboritur dubium de natura privilegii, in ipsa deliberatione de eo acquirendo, (cf. finem n. 19), cuique fundamentum istius dubii ex una parte videtur esse probabilius, ex altera, primo aspectu et ante seduliorem inquisitionem, videtur esse probabile : pro homine itaque in tali statu mentis constituto, facit Suarezius *duplicem hypothesim* : vel, peracta diligenti inquisitione, excessus probabilitatis pro privilegio *reali* invenitur omnino certus, et tunc in animae foro potest privilegium haberi ut reale, quia excessus probabilitatis qui sit

*certus* est quaedam moralis certitudo ; — hoc tamen in foro animae non continget, si Suarez velit sibi cohaerere, nisi excessus appareat adeo notabilis ut reapse ex parte adversa non supersit certa probabilitas. Si vero excessus probabilitatis, peracta diligenti in foro animae inquisitione, non inveniatur adeo notabilis, privilegiarius vel debet aestimare privilegium personale odiose ipsum interpretando, juxta dicta ab initio, vel potest rem ad judicem deferre. Iste porro, peracta causae discussione vel invenit et ipse excessum probabilitatis ex una parte adeo notabilem ut ex adverso non supersit ratio probabilis et tunc evidens est privilegium posse decerni reale ; vel non invenit excessum adeo notabilem, sed talem tantum ut ex parte adversa, remaneat ratio probabilis, v. g. *minor* numerus testium idoneorum, unde locum habere possit justitia *distributiva*, cum ex parte minori titulus totaliter non deficiat. Tunc autem in forensi judicio privilegium retineri potest ut reale : quia si materia judicii sit indivisibilis, ut privilegium in casu, justitia *distributiva* exigit ut deferatur parti probabiliori, quae *ex sententia judicis jus certum acquiret.* — Hic sane est sensus congruus istorum verborum. — Cum autem ipse duas adducat rationes ut probet idem posse decerni in utroque foro, secunda quidem restringitur ad solum judicium forense ; prima vero valet in utroque foro, sed quaeri potest utrum, juxta Suarez, in judicio forensi valeat ista prima etiam pro casu pro quo valet secunda, an secunda ab eo afferatur tantum veluti *suppletiva* pro casu in quo censeat ipse primam non valere. Porro hoc alterum esse dicendum patet ex ratiocinio a nobis n. 2° instituto : quia, si ex parte minori superest ratio *speculative probabilis*, casus in mente Suarezii est vere dubius in eoque valet prima hypothesis de qua controversia non est : idcirco neque judex, neque privilegiarius in foro animae poterunt hanc majorem probabilitatem habere ut moralem certitudinem, quemadmodum tamen dicit heic Suarez. Ergo ipse censet, si cohaerenter loquitur, tunc solum certitudinem excessus ex una parte valere posse pro certitudine morali, quando

in altera parte ne *speculativa* quidem superest probabilitas.

Id autem est contra sensum Auctoris (cf. dissert. P. de. C. n. 48 in fin.) Ergo immerito allegatur heic Suarez.

## PUNCTUM IV.

***In art. II. — Expenduntur alii textus ex S. Thoma allati.***

Auctor deinde adducit ex 1. 2, Q. 96. A. 1. responsionem ad 3^m^ ubi S. Thomas repetit loquens de lege, id quod jam ab eo audivimus circa materiam judiciorum; in rebus contingentibus sufficit talis certitudo ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.

Hisce porro, 1) prout jacent, eadem valeret responsio, ut patet, quam supra dedimus.

2) Verum, bene perpensis verbis S. Thomae, ostendi potest Auctorem non esse assecutum mentem Angelici qui omnino de alia re hic agit.

In quaest. enim 96 S. Th. tractat de potestate legis humanae i. e. non praecise de ejus *vi obligandi*, ut ait Auctor, sed potius de *extensione* ejus vis obligandi, sicuti evidens fit legenti summarium articulorum ab ipso Angelico praemissum. In primo autem articulo citato, legis potestatem considerat ex parte ipsius legis, quaerens utrum lex humana debeat poni in communi magis quam in particulari: i. e. utrum lex humana debeat complecti in communi actus humanos ad quos se extendit. 3) itaque sibi objicit: lex est regula humanorum actuum; atqui regula human. act. non in communi sed in particulari poni debet. Ergo lex humana non in communi sed in particulari poni debet. — Minorem sic probat: regula sive mensura debet esse certissima, juxta Arist.; atqui mensura act. hum. in communi posita nequit esse certissima. Ergo. — Minorem hanc rursus probat: mensura act. hum. in communi posita est universale quod ponitur in actibus hum. Atqui universale quod

ponitur in actib. humanis nequit esse certissimum. Ergo. — Ultimam tandem minorem sic probat: universale quod ponitur in actibus humanis nequit ita certum esse quin in particularibus deficiat. Ergo.

Aliis verbis: lex se extendit ad actus humanos, ut mensura eorum. Sed mensura debet se extendere certissime ad ea quae metitur. Ergo.

Atqui lex humana in communi posita nequit se extendere certissime ad ea quae metitur. Ergo nequit in communi esse posita. — Probatur haec minor: universale quod se extendit ad particularia in quibus potest deficere, nequit certissime ad ea se extendere. Atqui lex humana actuum human. in communi posita, est universale quod se extendit ad particulares et contingentes actus in quibus ideo potest deficere. Ergo.

Hisce itaque respondet S. D.: « sed contra est quod jurisperitus dicit.... quod jura constitui oportet in his quae saepius accidunt: ex his autem quae forte uno casu accidere possunt, jura non constituuntur. »

Deinde in corpore, rationem intrinsecam sui asserti desumit ex fine cui lex proportionari debet, quod est bonum commune.

Tandem objectionem solvit: « Ad tertium dicendum quod non est eadem certitudo quaerenda in omnibus ut in 1. Ethic. c. 3. in princ. et c. 7. sub fin. dicitur. Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia et res humanae, sufficit talis certitudo ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat ut in paucioribus. »

Patet ergo quod A. D. hic loquitur non de certitudine qua constare debet legis existentia, ut obliget, de qua est thesis Auctoris; sed de certitudine qua lex debet vel non complecti omnes casus qui contingere possunt circa ejus materiam; atque relate ad hanc certitudinem, ipse dicit quod ratione contingentiae ejus materiae, impossibile est legem infallibiliter omnes actus humanos comprehendere sicut in materia *necessaria*; sufficit vero ut se extendat ad ea quae commu-

nius contingunt. Profecto haec responsio tota est praeter et extra aliam quaestionem de certitudine objectiva quae legi necessaria est ut obliget et de certitudine subjectiva qua ejus existentiam cognoscere debemus ut possit regere actus nostros.

Hanc nempe secundam quaestionem *supponit* heic Angelicus et de ista lege vi obligandi certe praedita quaerit *quomodo* possit et debeat, ut universale quoddam, se extendere ad inferiora particularia, ad quae regulanda statuitur.

Verum quidem est quod, si dubium exsurgat utrum unus in particulari actus humanus sub ea comprehendatur necne, redibit quaestio de ipsa vi obligandi legis, ideoque quaeri poterit qua certitudine constare debeat ut lex obliget, de *extensione* ejus ad istum actum. Sed haec quaestio non solvitur demonstrando quod lex circa materiam contingentem *potest* quandoque deficere: (hoc enim et non amplius significat hic Angelicus); sed solvitur declarando quid requiratur et sufficiat ut *reapse* deficiat. i. e. hunc actum in particulari non comprehendat; i. e. relate ad hunc vi obligandi reapse destituatur. Ad hoc porro declarandum, recurrunt ad alia ipsius Angelici principia: legem ut actu obliget, debere, utpote mensuram, in sua existentia et extensione esse moraliter certam, i. e. excludere prudentem et certam formidinem suae non existentiae relate ad casum particularem; — si autem dubium est num aliquis casus particularis in ea comprehendatur, ipsam legem non esse certam moraliter, sensu dicto in majori, in sua existentia et extensione; — certum ergo esse eam in casu isto non obligare.

Uno verbo, Auctor sua thesi vult restringere casus in quibus lex *reapse deficit* atque ad eam firmandam adducit S. Thomam dicentem quod *lex potest deficere* quodque sufficit ut ea condatur pro casibus qui communius contingunt, licet interdum casus pauciores contingant qui sint extra ipsam. Quid ergo conferat hujusmodi allegatio, divinationi relinquitur.

At ecce *instat* egregius Auctor: se vim tantum facere in principio generali a S. Thoma ibi allato; nempe « in rebus contingentibus sicut sunt naturalia et res humanae, sufficit talis

certitudo ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus. »

Atqui ipsa lex humana ejusque promulgatio et extensio ad casum particularem, est factum contingens.

Ergo de ea sufficit certitudo ut ipsa sit vera ut in pluribus licet interdum possit deficere in paucioribus, i. e. *major* probabilitas.

Resp. *concedo textum* majoris, *distinguo* sensum; ita possit deficere in paucioribus ut actu tamen non habeam prudentem et *certam* formidinem quod reapse deficiat in casu meo: *concedo* sensum, tunc nempe me habere de contingenti isto, sufficientem certitudinem. — Ita possit deficere in paucioribus, ut in praesenti simul possim speculative judicare probabile quod reapse deficiat in casu: *subdistinguo*; si agatur de obligatione imponenda, vel mihi vel aliis, *nego* me habere tunc sufficientem certitudinem de existentia hujus obligationis; haberem enim dubium vel ad summum *opinionem;* — si agatur de aliis communiter contingentibus, *transeat.*

*Distinguo* minorem: est factum contingens a cujus existentia pendet restrictio meae libertatis: *concedo* minorem; — in nullo conflictu cum mea libertate, *nego* minorem.

*Distinguo* consequens: et simul excludat prudentem formidinem de non existentia legis, fundatam in judicio de certa probabilitate hujus non existentiae, *concedo* consequens; — nec hanc excludat formidinem, *nego* consequens.

Nempe consequentia non fluit in ratiocinio objecto, quia natura et gradus certitudinis qua innotescere nobis debet existentia legis ut haec obliget, non est determinanda tantum ex natura *contingenti* facti promulgationis, vel, si velis, (cf. S. Alph. th. m. l. 1. n. 68) extensionis legis ad casum particularem; sed etiam et praecipue ex proprietate regulandi et ligandi quae legi competit relate ad liberum arbitrium, ut saepe explicat Angelicus Doctor quem multoties in omnibus suis dissertationibus commentatus est S. Alphonsus; nec vacat ipsum heic referre. —

Coetera membra distinctionis patent ex antea disputatis [1]), atque ex corollario II. quod S. Alph. (th. m. l. 1. n. 75) deducit ex doctrina S. Thomae: imo ex ipso Auctore nostro qui approbando sua fecit (n. 61 suae dissertat.), verba Card. de Lugo: « certitudo minus propria (quam Auctor vocat *latam*) excludit... solum... *judicium probabile prudens* de objecto contrário. »

Urget tamen Auctor: certitudo moralis lato sensu intellecta, in doctrina S. Thomae non excludit omne judicium probabile prudens de objecto contrario, ne quidem si agatur de judicio illo moraliter certo circa legis existentiam, ad obligationem inducendam.

Sane istud judicium, cum referatur ad agibilia, eam certitudinem attingere sufficit quae prudentiae convenit.

Atqui juxta Angelicum, « non potest certitudo prudentiae tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur. »

Haec autem sollicitudo quae remanet simul cum certitudine prudentiae est sollicitudo consiliandi (1. 2. Q. 44. a. 2.). In consilio autem, minima quae parum impediunt finem consequendum, non inducunt sollicitudinem, quia de his non consiliamur (1. 2. Q. 14. a. 4.).

Ergo sollicitudo ista remanens in certitudine prudentiae, non est ex levi suspicione erroris sed ex prudenti formidine motivi graviter probabilis in contrarium.

Ita sane argui potest, juxta mentem Auctoris, ex textu S. Thomae, (2. 2. Q. 47 a. 9. ad 2.) quem refert sub n. 119.

Verum difficultas reapse nulla est, si advertatur:

1) alium gradum certitudinis prudentia exigi relate ad agibilia quae conducunt in finem nulla morali obligatione impositum, alium, relate ad agibilia quae conducunt in finem aliqua morali obligatione jam impositum.

2) judicium moraliter certum de existentia legis humanae

1) Disp. prima, de opinione, de dubio, de certitudine.

obligantis in casu particulari, ut supra diximus, non esse judicium circa factum utcumque contingens, sed ita contingens ut secum ferat ligamen morale mei liberi arbitrii. Prudentia idcirco in eo exigit non solum certitudinem factis utcumque contingentibus consentaneam sed *tantam* certitudinem quae sufficiat ad expoliandum me libertate *quam* certo possideo: ad tantam autem certitudinem judicium istud non pertingit donec secum habeat illam conclusionem *certo* et prudenter formidatam, de qua S. Thomas in descriptione opinionis a nobis disp. I. sect. II. punct. XIII. et alibi relata ex comment. ejus in 1. de anim. lect. 4. Idcirco istud judicium, ex eo quod sit de facto contingenti saepe non poterit esse firmum et certum ex *evidentia* immediata vel mediata, sed sufficere poterit ut eliciatur ex *probabilioribus conjecturis*; attamen ex eo quod elidere debeat certam possessionem meae libertatis, ex probabilioribus istis conjecturis tanti non valebit, donec solida et *certa* probabilitas superfuerit in contrarium.

Sollicitudo igitur quae morali certitudini necessariae in hoc judicio eliciendo, non officit, est ad summum ea quae oritur ex *dubia* probabilitate oppositi: haec enim non impedit quominus opinio contraria possit esse etiam *probabilissima*, juxta primam divisionem supra ex S. Alphonso desumptam; si autem lex est probabilissima, sufficienter promulgata censetur.

Hisce rite intellectis ruit tota difficultas; neque vacat distinctiones in forma ei adhibere.

Eodem modo solvitur ultimum argumentum ab Auctore desumptum ex lect. III, S. Thomae in l. 1. Ethic. Hoc autem peccat insuper aequivocatione quae jam declarata est in disp. I. sect. II. Punct. VI. VII.

## PUNCTUM V.

***In Art. II. — Quam incohaerenter Rassler in hac quaestione Scripturam S. appellet.***

Auctor sub n. 121 suam sententiam aliorum auctoritate confirmat: 1) in genere, ut ait ipse, atque textum transcribit Christoph. Rassler qui aequiprobabilistarum antesignanus fere dici potest: « Accedit hisce auctoritas haud sane levis Sacrarum Paginarum...; movet etiam non parum etc » — Heic paulisper consistere liceat et, quandoquidem omnia loca S. Scripturae quae ejus sententiae videri possent favere, egregius Auctor prudentissime censuit esse tribus punctis praetermittenda, ab ipso Rassler audiamus qua ratione rem suam in verbo Dei scripto invenerit: pergit itaque scriptor iste (Norma recti. Disp. III n. 1127.) «... Sacrarum Paginarum, ut quae tantopere, tamque frequenter nobis commendant tum studiosam inquisitionem divinae legis, tum etiam sedulam illius observantiam; cujus tamen commendationis exigua profecto ratio haberi a nobis videtur, si neque tunc divinae legi assurgamus, quando post omnia rite expensa, de illius existentia notitiam habemus notabiliter probabiliorem, qua tamen major ut plurimum haberi non potest. »

Atvero S. Scripturae non tantummodo nobis commendant studiosam divinae legis inquisitionem, sedulamque observantiam, sed fundamentum etiam nobis explicite tradiderunt unde in praxi facile et certo obligationem divinae legis cognoscere possemus. Scriptum est enim, *Eccles. 15. 14.*; « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua; si volueris mandata servare conservabunt te,..». Homo itaque potestatem habet suae voluntatis (1. Cor. 7. 37.) nisi lege certa ligetur: possidet libertas ubi lex dubia vel incerta, peracta inquisitione, remanet. Principium igitur istud possessionis et ipsum ex revelatione, immediate de-

ducitur. — Sedula itaque legis observantia quae divino praeconio nobis indicitur, istud principium in radice etiam revelatum, non destruit, sed ipsum supponit, quo uti debeamus ad inveniendum praeceptum quo obligemur.

Nunc autem aequiprobabilistae qui de hisce nobiscum conveniunt, alio controversiam divertunt, unde possint nos arguere de contemptu ipsius praecepti divini certam legem esse servandam. Aiunt enim: notitia de legis existentia, notabiliter probabilior, quum major ut plurimum haberi non possit, facit legem nobis sufficienter certam ut obliget.

Ergo probabilistae qui, legem incertam et dubiam dicunt stante tali notitia, reapse contemnunt divinum praeceptum s. l. tantopere commendatum, servandi legem sufficienter certam. Ecce sane totum Christophori Rassler ratiocinium, qui, ut apparentiam saltem consequentiae, suae conclusioni servaret, prudenter in eo reticuit proponendo, principium possessionis ex eisdem Scripturis libertati attributum.

Porro quisque videt, hisce satisfieri duplici illa distinctione saepius a nobis adhibita: notitia legis notabiliter probabilior, non tamen adeo certo probabilior ut ei ex adverso ratio non opponatur adhuc solide probabilis absolute et relative spectata, facit legem nobis sufficienter certam ut obliget: *nego* antecedens — notitia legis notabiliter probabilior atque adeo certo et sine ulla haesitatione subjective probabilior ut in parte adversa, objectiva ratio non supersit solide probabilis absolute et relative spectata, facit legem sufficienter promulgatam, *subdistinguo*: ratione sui excessus probabilitatis, ut sic, ex se: *nego* antecedens; ratione a posteriori desumpta exinde quod subjectiva illa certitudo de excessu, haberi non potest nisi reapse pars adversa facta fuerit objective, dubie saltem probabilis, *concedo* antecedens. — *Contradistinguo* in consequente propositionem incidentem. — Sub data distinctione *nego* in consequente, propositionem principalem.

Imo retorqueoar gumentum: qui destruit principium posses-

sionis pro libertate, donec lex est vere incerta, offendit Ecclesiasticum dicentem l. c. « Deus ab initio etc. » ut supra.

Atqui aequiprobabilistae, dum dicunt, stante objectiva ratione contra legem solide et speculative probabili, legem esse sufficienter certam ut obliget, destruunt principium possessionis pro libertate, quod certe valet, donec lex est vere incerta.

Ergo aequiprobabilistae potius offendunt Ecclesiasticum dicentem etc.

Haec inquam, valeant, non ad adversarios *nota* ulla inurendos, (nostrum enim non est) sed uti conclusio, quae profecto ex eorum principiis *ope logicae* deducitur; idque ex omnibus disputatis jam satis efflorescit atque egregius noster Auctor legitime potuisset inferre ex iis quae S. Alph. disputat in th. mor. l. 1. n. 77. §. *Ergo, dicit P. Patutius*; et §. *Hinc est quod*, imo ex iis quae idem Rassler, in *Norma Recti* disp. III. n. 597 seq. praesertim n. 608 desumpsit ex Suarezio. Haec ultima eo utilius recoleret R. P. de C. (loca tamen a Rassler allegata, in ipso Suarezio integra legendo); quo firmius etiam statuunt sententiae Suarezii non congruere interpretationem a R. Patre in suo n. 117, aliis Eximii verbis adhibitam. Velit, inquam relegere praesertim n. 602, 606, 608 Rasslerii et integrum n^m 5 cap. V. lib. IV. *de voto* Suarezii; quibus simul perpensis volens nolens concludere cogetur Suarezium censere legem non obligare, « *quotiescumque est opinio* [1]) *probabilis* hanc actionem non esse malam vel prohibitam vel praeceptam, » « nisi periculum detrimenti sit in re ipsa, unde obligatio oriatur »; ita autem Suarezium censere, non tantum si opinio minus tuta videatur aeque probabilis sed etiam cum *minus probabilis* videtur, sicuti Rassler ipse sensum Eximii D. est interpretatus. (Cf. S. Alph. l. 1. n. 66 Suarezii verba allegantem.)

---

[1]) Et alibi scribit: quandiu est *judicium* probabile quod nulla lex sit prohibens actionem etc.... (de consc. disp. XII. sect. 6. et in 3 p. d. 40. n. 14.)

## PUNCTUM VI.

***In art. II. — Quid de antiquis scholasticis relate ad praesentem controversiam, generatim sit judicandum. — Quid de Christophori Rassler auctoritate.***

Prosequitur Rassler disp. III. n. 1128, ab auctore transcript : « movet etiam non parum (pro thesi auctoris, quod lex notabiliter probabilior, ut sic, ex se, sit sufficienter promulgata), auctoritas permagna non recentiorum tantum Probabilioristarum, quibus etiam ex probabilistis multi accedunt, uti... n. 933 notatum est; sed Veterum quoque scholasticorum prope omnium, qui quidem controversiam hanc attigerunt, et a quorum unanimi sententia in quaestione morali maximi momenti, qualis est praesens, minime est recedendum, nisi ratio cogat valde efficax, qualis tamen hic non occurrit. »

Auctoritati Veterum scholasticorum *in genere* heic a Rassler invocatae, in genere etiam respondere sufficit Rassler nimia veteres illos affecisse injuria, in adeo flagrantem contradictionem eos inducendo ut, dum « communiter docuerunt, ubi lex est obscura nec pro illa reperitur Scripturae textus aut Ecclesiae determinatio, aut evidens ratio, nihil de gravi peccato damnandum fore » (S. Alph. th. mor. l. 1. n. 77. *Hinc est)* ; simul docuerint « unanimi sententia » legem utut probabiliorem, obligare quae contra se habet gravem absolute et relative rationem probabilem, de cujus pondere possit judicium speculative certum, directe efformari.

Si ergo consenserunt in asserendo legem certo et notabiliter probabiliorem obligare, sive, notabilem probabilitatis excessum, qui certus sit, ut scripsit Suarez, esse quandam moralem certitudinem ; id fuit eamdem ob causam ac rationem, propter quam S. Doctor Alphonsus, in th. mor. libr. 1. n. 56.

ab eadem quaestione censuit *posse se citius expedire, cujus quippe resolutio est patens*; atque ratio ista est,quia certitudo illa omnimoda subjective non habetur nisi excessus iste sit adeo objective notabilis ut recidat vel omnino vel fere in moralem certitudinem objectivam cui ad summum dubia probabilitas opponi adhuc potest ; ideoque signum a posteriori est solidam et certam in adversa parte defecisse probabilitatem.Quam tamen rationem a S. Alphonso perspicue explicatam, veteres aliis verbis et alia via aeque propugnarunt, ut videre est apud jam solum S. Alphonsum qui totum aedificium systematis, *tam in dissertat. anni 1755, quam in posterioribus, eodem modo, iisdemque argumentis* in Veterum assertis demonstrat esse fundatum. Haec, inquam generalis, responsio generali R. P. de Caigny argumento abunde satisfacit.

Quod ipsum Christophorum Rassler attinet, sinamus cum ab Auctore permagni aestimari : « ejus auctoritas, scribit P. d. C. permagna est, cum, teste Eusebio Amort, per annos triginta huic quaestioni insudarit. » Id equidem ab aliis etiam imo, ni fallor, ab ipso Rassler alicubi narratur. Verum etiam est, hunc doctorem apud aequales theologos praesertim in Universitatibus dilingana et ingolstadiensi, in satis magna dum vixit, docuit et studiis praefuit, aestimatione fuisse positum, uti constat ex testimonio coaevo Antonii Mayr. Verum est quod opus ejus *Norma Recti*, disserendi perspicuitate, eruditione non ordinaria, soliditate rationum ac judicii moderatione, prae multis aliis excellit. At lugendum valde est quod, dum, sicut ipse ait in epistola operis dedicatoria, « eosdem pennae suae scriptoriae limites posuit, quos Daedalus Icari alis : *inter utrumque vola* », lugendum inquam, est quod, « *cum... audaci coepit gaudere volatu* » in controversiae veluti culmine « *altius egit iter* » « *deseruitque ducem* » logicam nempe criticamque auctorum interpretationem unde infelicem Icari lapsum imitatus est atque interitum. Quamvis enim *Norma recti* anno 1713 Ingolstadii lucem viderit, triginta quinque ante annos quam S. Alphonsus primum theol. moralem typis mandaverit, vix unquam a S. Doctore nominatur;

et praesenti saeculo hoc opus completa oblivione sepultum in rariis bibliothecis remansisset, nisi aequiprobabilistae hodierni fulcimentum suo systemati ex antiquioribus requirentes, ipsum in lucem reduxissent. Ipse utique conclusionem aequiprobabilisticam, probabiliorem aestimat [1]) (disp. III, n. 1124,); non tanto tamen excessu, tantaque certitudine, ut benigniori grave superesse momentum probabilitatis non censeat (ibid. 1121, 1122, 1116, 1112.) At quod notatu dignum maxime est ratio deinde qua suam sententiam suaderi potissimum arbitratur (n. 1123), dum alias omnes quibus auctores passim utuntur pro ista parte fatetur ipse (n. 1121.) « propositum neutiquam evincere » et « haudquaquam solidas esse »; ratio inquam, cui ipsemet accedit, est illa quam ab Auctore nostro sub n. 123, relatam infra perpendemus: porro ista ratio penitus diversa est ab ea quam S. Alph. in loco classico theol. mor. l. 1. n. 56 tamquam patentem et certam unice censuit esse proponendam. Imo S. Doctor rationem illam Rassler jam ante ann. 1762 [2]) undique profligaverat in probabilioristis quo factum est ut postea ab ea refutanda ex professo, potuerit abstinere. Porro discrimen istud in argumento praecipuo et unico, atque silentium quo nomen Rassler S. Doctor tota dissertatione in th. mor. inserta et aliis locis parallelis praeteriit, maximam, uti nobis videtur, praesumptionem inducunt ex qua arbitrari merito valeamus thesim Alphonsianam sensu aequiprobabilistico nequaquam esse interpretandam.

[1]) Cf. et in appendice nostra et apud Ballerini-Palmieri V. I. edit. 2. append. I. n. 1. (*a*) verba quibus Rassler totum opus suum et synopsim conclusit.

[2]) Cf. v. g. diss. ann. 1755 n. 36, 42 seqq.

## PUNCTUM VII.

***In art. II. — An S. Antoninus merito afferatur pro Auctoris sententia.***

Duo S. Antonini textus ab Auctore transcribuntur, ut S. Archiepiscopus demonstretur ipsi favere. Nos equidem ista loca integra referemus et alia quaedam ex eodem capite ut sensus genuinus fiat manifestus.

Itaque in §. X et XI, cap. 10. tit. III. P. I. S. Antoninus declarat quomodo removeatur scrupulositas, « septem autem, ait, sunt regulae quarum adminiculo conscientia scrupulosa seu erronea deponi potest et debet. » Pro re nostra faciunt praecipue sexta et quarta regula, quibus ipse docet scrupulosum, quomodo possit quandoque agere contra dubium, et quomodo tuta fiat opinionis alicujus electio.

§ IX praemiserat ex Alberto Magno differentiam quae est inter scientiam, fidem, opinionem, dubitationem et scrupulum seu suspicionem. Qnae fere consonant cum definitionibus S. Thomae in prima nostra disputatione explicatis. Hic tamen juvat expresse referre quid dicat de scrupulo, de opinione et de fide: « fides est perfecta persuasio unius partis seu conclusionis, per multa probabilia, vel auctoritatem dicentem. »

« Scrupulus ex levibus conjecturis seu mediis, et multum debilibus movetur ad unam partium et hic etiam dicitur suspicio et pusillanimitas spiritus, quae repellenda est. » – » Opinio autem est acceptatio unius partis cum formidine alterius, ita tamen quod ad illam quam formidatur, non habetur ratio expressa, formidatur tamen propter debilitatem alterius partis. »

Hisce simul collatis, quandoquidem *fidem* S. Auctor contradistinguit ab *opinione*, ratione *perfectae persuasionis* quae illius propria est, et *formidinis* quae opinantem distinguit, patet 1) quod « multa illa probabilia » quae *perfectam* persuasionem quan-

doque pariunt, juxta mentem S. Antonini, excludunt a parte opposita rationem quae possit formidari. Coincidit igitur ista *fides* per multa probabilia, cum morali illa certitudine de qua in textu relato ab Auctore nostro.

2) quod « ratio expressa » quam S. Antoninus excludit a parte formidata in statu opinionis, est ratio quae possit parere vel scientiam (nam de scientiae causa dixerat propter eam impossibile esse rem aliter se habere); vel *fidem illam* quae est *perfecta* persuasio etiam tantum per multa probabilia. Unde ratio quae in altera parte est causa formidinis, a S. Antonino, « debilitatem » habere dicitur, non quia sit tantum levis conjectura et multum debilis, sicut causa scrupuli, sed sensu tantum *negativo*, quia scilicet non est *ratio expressa*, quae valeat parere vel scientiam vel perfectam fidei persuasionem; *supponitur* vero ab ipso ista causa formidinis esse *gravis* et *prudenter formidanda*, quamvis minus quam opposita ab opinante acceptata, secus esset *repellenda* ut scrupuli causa sive suspicionis, nedum formidanda.

Quibus praemissis, in fine § XI. ita scribit S. Antoninus:

« Notandum secundum cancellarium quod certitudo quae requiritur in materia morali non est certitudo evidentiae sed probabilis conjecturae et pro hujus declaratione sciendum quod triplex est certitudo. Una supernaturalis, alia naturalis, tertia civilis seu moralis. » Primam deinde explicat haberi in visione beata, in prophetiae illustratione et in fide divina quae est certitudo « solius adhaerentiae in speculo et in enigmate » nec « innititur evidentiae rationis humanae, sed auctoritati divinae... » « Est autem quaelibet trium certitudinum supernaturalium tanta quod per nullam potentiam etiam divinam et absolu tam fallax esse poterit, alioquin Deus negaret seipsum. » Pergit explicando certitudinem naturalem ex evidentia vel primorum principiorum vel demonstrationis ex iis deductae. Tandem: « tertia certitudo scilicet moralis seu civilis, tangitur una cum praecedenti in principio ethicorum, ubi dicitur quod disciplina est in unaquaque re certitudinem quaerere juxta exigentiam materiae. Eque enim vitiosum est persuadentem quaerere mathematicum, et moralem demonstrantem. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis sed ex

probabilibus conjecturis grossis et figuralibus magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus: dicitur autem probabile quod pluribus et maxime sapientibus apparet verum. Ex his igitur sequitur quod in humanis agibilibus quae tantam habent varietatem, teste Aristotele et experientia, sufficit talis certitudo quae non semper scrupulos omnes abjiciat sed sufficit ut contemnat seu superet eos. Ad quod etiam optime facit illud Leonis P. dicentis: in his quae dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum. *Dist. 14. cap. sicut quaedam.* Ista autem certitudo moralis colligitur ex uno trium modorum videlicet: ex alterius auctoritate quod pertinet ad incipientes, qui scilicet erudiuntur per alios in doctrinis, et addiscunt et obediunt, juxta illud Deut. 14. interroga patrem tuum et annuntiabit etc. Secundus modus ex propria eruditione quod congruit proficientibus studendo in scripturis, juxta illud Proverb. 1. Stude Sapientiae. Tertius modus ex circumspectione circumstantiarum; et hoc quoad perfectos. »

*a*) Evidenter itaque haec moralis certitudo est illa *perfecta persuasio unius partis seu conclusionis per multa probabilia* quam S. Antoninus sub una *fidei* denominatione comprehenderat cum perfecta persuasione per auctoritatem dicentem, intelligendo *auctoritatem dicentem*, in communi et veluti *in genere* pro fide tum divina, tum humana: si enim nititur testimonio Dei erit *infallibiter* certa, si testimonio *humano* erit tantum certa, quantum auctoritas hujus hominis loquentis arcet mendacii vel erroris suspicionem et quantum certitudinis parere possunt rationes intrinsecae quibus ipse nititur.

Atqui *fides* illa, excludit, juxta S. Auctorem, formidinem gravium oppositarum rationum, uti vidimus. Ergo et certitudo ista moralis, juxta ipsum graves rationes formidandas excludit ab opposita parte.

Id etiam confirmatur ex *terminorum explicatione* et ex *contextu: b*) « sufficit talis certitudo, ait S. Antoninus, quae non semper scrupulos omnes abjiciat, sed sufficit ut contemnat seu superet eos. » — Porro *scrupulum* dixerat ex *levibus* conjectu-

ris et multum *debilibus* moveri, adjungens esse suspicionem « quae potius abjicienda est quam acceptanda ».

Supponit ergo quod motiva partis inferioris non pertingant ad gradum quo *certo* possint *formidinem* sui ingerere: secus *scrupulum* non dixisset. Hic autem ait casum dari posse, quod mens nequeat penitus eos *abjicere*, quia scilicet majores sunt, *dubiamque* attingunt probabilitatem, et tunc ait sufficere ut *contemnantur* quia altera pars excessu suo *notabili* et *certo superat* eos.

*c*) ex contextu: ista certitudo moralis a S. Antonino dicitur oriri ex probabilitate quam Aristoteles scripsit esse id quod pluribus et maxime sapientibus apparet *verum* (nedum *probabile*). Atqui hanc jam vidimus esse pro Aristotele probabilitatem improprie potius dictam, sed magis proprie certitudinem moralem latam quae secum non sinit in objecto adesse motivum grave prudentis formidinis errandi in assensu parti superiori dato.

Neque huic interpretationi officere possunt verba a S. Antonino in fine transcripti textus subnexa: « Ad quod etiam optime facit illud Leonis etc.... inveniatur adversum » — Posset enim objici: S. Antonimus ex istis verbis adjunctis ostendit mentem suam esse ut certitudine illa morali contra legem, non liberemur a legis obligatione, nisi *mediante principio reflexo*, legem dubiam vel obscuram non obligare, quod aequivalenter exprimitur istis verbis. Atqui hoc princip. reflexum locum habere non potest, nisi lex sit saltem solide probabilis; unde possit adhuc dici *dubia et obscura* propter majorem probabilitatem quam contra se habet. Ergo illa certitudo moralis, juxta S. Antoninum, admittit contra se solidam *speculativam* probabilitatem. — Sed respondetur hanc interpretationem *implicare*: S. Antoninus enim indubitanter *supponit certitudinem* conscientiae, contra legem, *directe* habitam, ut eam hic explicat, *vi sui*, nedum vi principii *reflexi* de lege *dubia* non obligante, liberare ab obligatione. Unde addendo objecta verba, voluit significare tantum certitudinem

practicae conscientiae posse « *etiam* » optime obtineri, *alia* via quae non sit per certitudinem moralem *directam* non existentiae legis, scilicet mediante illo principio *reflexo* ibi aequivalenter enuntiato; unde *in omni casu*, scrupulosus potest esse quietus et contemnere scrupulum.

Caeteroquin casum in quo ex parte inferiori adest motivum graviter probabile, contra majorem oppositi probabilitatem, S. Antoninus ex professo consideraverat in sexta et in quarta regula quas tradiderat ad arcendam scrupulositatem.

Scribit enim § X. « Solet autem impedire proportionem scrupulorum sententia aliquarum auctoritatum non bene intellectarum et ideo declarandae sunt, ut illa quae habetur *extra. de Spons.* scilicet in dubiis tutior via est eligenda, propter quod scrupulosus eligit viam rigidiorem. Sed ad hoc respondetur quod eligere viam tutiorem consilii est non praecepti. Alias (Cf. eumd. S. Anton. P. II. t. 1. c. 2. n. 31. — S. Alph. th. mor. l. 1. n. 79.) oporteret multos ingredi religionem in qua tutius vivitur quam in saeculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere quando etiam alia via potest eligi tuta etc » Deinde « Item quia dicitur Ecclesti. 3. Qui amat periculum peribit in illo. Hinc est quod B. Th. et alii dicunt quod ille qui agit id de quo est dubium, utrum sit mortale vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortali. Cum ergo in aliqua materia morali sunt variae et contrariae opiniones, ille qui adhaereret opinioni latioris viae, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio, cum possit illa opinio esse falsa et contraria vera. Sed ad hoc respondetur quod utique ille qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo proprie et stricte dubitationem, videlicet prout rationes sunt aeque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam quam ad aliam. Sed dubitet leviter quis, per modum scrupuli, sicut dubitat seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhaeret ipsi sententiae quod tamen formidat de opposito. Sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhaeret opinioni alicujus doctoris et habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita opinione etiam si ipsa opinio quam tenet non esset vera et hoc nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium scripturae vel determinationem Ecclesiae. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed se-

cundum opinionem probabilem, quod magis declarabitur in septima regula. »

Heic itaque solvit duplicem difficultatem scrupulosi. Et in solutione prioris ubi dicit: non oportere de necessitate tutiorem eligi, quando etiam alia via est tuta, evidenter quidem supponit quod alia fiat tuta non *eodem modo* quo ea quae in directo judicio praeponderat, appellatur *tuta*, quod esset contradictorium, sed *alio modo:* nempe mediante judicio reflexo certo: alius enim modus praeter istos duos, non suppetit. — Evidens etiam est quod in solutione utriusque difficultatis scrupuloso medium tradit sibi efformandi conscientiam *practice certam* de honestate contemptus scrupuli. Primam igitur difficultatem solvit dicendo quod, etsi alia via non sit tuta, spectato solo judicio directo, est tamen tuta spectato judicio reflexo, ex quo oritur conscientia practice certa.

Secunda difficultas scrupulosi ludit in eadem ambiguitate: unde quando S. Antoninus in responsione dicit « permanente dubitatione, mortaliter peccat » intelligit: « non efformata conscientia *practice certa* ex principio *reflexo*, mortaliter peccat »; ideoque quando statim adjungit: « sumendo proprie et stricte dubitationem etc....» hanc dubitationem intelligit eamdem quam significaverat dicendo: « permanente dubitatione », nempe de judicio *practico* dubio, quod non fuerit exclusum per judicium *reflexe* certum. Unde non intendit heic excludere licitum usum principii *reflexi* ad efformandam conscientiam practice certam, in casu stricti dubii, i. e. judicii *directi* aeque probabilis, sed tacite supponit quod scrupulosus in eo casu possit sibi certam conscientiam efformare mediante principio reflexo, [1]) et statim transit ad hunc usum explicandum in casu inaequalis utrinque probabilitatis.

In isto porro casu, ubi dicit « sed dubitet leviter quis, etc... de opposito, » hominem inducit qui *opinatur* legem probabi-

[1]) Idque aperte docet paulo infra § XI; quem locum refert etiam in hunc sensum S. Alph. Th. m. l. 1. n. 64 § *hanc autem sent.* et referemus infra, ad alium finem.

lius non existere, formidando tamen de ejus existentia: hoc porro dubium vocat *leve* et per modum *scrupuli*, non quia rationes ejus sint objective leves et vi sua nonnisi levem suspicionem ingerant: huic enim sensui statim contradicit addens, « sicut dubitat seu formidat habens *opinionem* etc; sed quia aestimat hujusmodi dubium quantumvis probabiliter fundatum, *posse contemni ad modum scrupuli* eo quod conscientia practica nititur non ipso sed principio *reflexo* certo, vi cujus in praxi potest quis adhaerere opinioni contrariae *magis probabili*. Patet nimirum S. Antoninum voluisse hic significare certitudinem conscientiae practicae provenire ex principio *reflexo certo*, non vero ex *majori probabilitate ut sic*, opinionis quam in praxi quis sequitur, patet inquam 1) verbis adnexis: « et hoc nisi opinio ipsa sumpta, esset contra manifestum testimonium scripturae vel determinationem Ecclesiae » et ex aliis: « etiamsi ipsa opinio quam tenet non esset vera. » — Sane haec ultima ostendunt S. Antoninum loqui voluisse de opinione *probabiliori*, quae adhuc non improbabiliter *potest esse* falsa ideoque nondum attingit illum notabilem et certum excessum in quo apparet fundamentum habere quod *sit vera*. Reapse expresse monuerat oppositam prudenter et speculative *formidari*. Unde censet eam nondum attingere nequidem moralem et civilem illam certitudinem quam in fine § XI, describit, multo minus certitudinem omnimodam testimonii scripturae vel declarationis Ecclesiae. Quare nihil superest nisi ut censeat certitudinem conscientiae *practicae* mutuandam esse ex principio *reflexo*, certo. 2) Idem fit manifestum ex verbis quibus concludit suam regulam: « Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem probabilem, *quod magis declarabitur in septima regula.* » — Porro in septima regula agit de epicheia, qua possumus, ait, praecepta Dei, Ecclesiae praelatorum seu judicium *benigne* interpretari.... si tamen rationabiliter interpretatur, « (l. c.) — jamvero in epicheia, liberamur a lege, mediante *principio reflexo*, quod, ut ait ipse ex jurisperitis « aequitas praeponderat rigori juris. » — Igitur etiam hic

S. Antoninus censet nos liberari ab obligatione, aliquo principio reflexo quo aequitas et benignitas praeponderat rigori: nimirum legem quae est tantum probabilis, non vero moraliter certa, non obligare. Unde in casu scrupulosus potest operari « secundum opinionem probabilem » non vi ejus probabilitatis speculativae sed vi illius principii reflexi cujus veritas probatur ex epicheia seu aequitate naturali (in idipsum sane recidit argumentum pro sententia benigna cui ipse Rassler disp. III. n. 1122 confessus est maximam inesse vim; idemque aliis verbis S. Alphonsus saepe urget contra probabilioristas.)

Haec est itaque obvia et undequaque cohaerens interpretatio S. Antonini, eaque concordat cum animadversione a S. Alphonso facta circa modum loquendi antiquorum de principio illo: *qui probabiliter agit, prudenter agit*; quam animadversionem retulimus disp. II. sect. II. Punct. XIII, ex dissert. ann. 1765 et ex th. mor. l. 1. n. 80. — Coeteroquin in hac materia de principiis reflexis quae tempore S. Antonini nondum erat distincte enucleata, nec terminis, ut ita dicam, technicis proposita, quid mirum quod ipse confusius fuerit locutus? (cf. S. Alph. th. mor. l. c.).

E contra si verbis S. Antonini in isto loco, alia adhibeatur interpretatio quam Auctor noster patrocinatur n. 122 pag. 127, 128, primo quidem necesse est admittere facinus quod scriptor a P. de C. citatus probabilistis improbat: nempe citandi verba truncata: nam cl. scriptor iste in textu quem refert ex S. Antonino, tacet ultimam partem et conclusionem ex quibus ostendimus supra, sensum manifestari verum. Deinde dicendum foret quod S. Antoninus docuit 1) in casu stricti dubii positivi, legem obligare, quia non potest relinqui quin exponamur periculo peccandi; 2) ipsum confundere heic scrupulum ex levi conjectura cum formidine ex ratione solide probabili; quae tamen prius sedulo distinxerat; 3) ipsum esse probabilioristam in tota significatione istius nominis, sicut erant rigidiores quos impugnavit S. Alphonsus. Unde sequitur etiam quod egregius Auctor noster, dum ad affigendum aequiprobabilismum S. Alphonso, appellat ad S. Antoninum, reducitur ad hunc interpretandum con-

tra ipsam interpretationem quam idem S. D. Alphonsus ei adhibuit (v. g. th. m. l. l. n. 64 § *hanc autem sentent.* — n. 77, § *Hinc est etc.*)

Coeteroquin probabilistas non referre verba S. Antonini truncata, dum ipsi tribuunt quod dixerit: agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhaeret opinioni alicujus doctoris etc. fit manifestum si legatur S. Antoninus l. c. paulo infra, ubi refert assentiendo celebre responsum Alberti Magni: « Item ex resp. quae videtur data ab Alberto M. [1]) habetur: quod frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus doctoris magni opinionem sequatur. »

Tandem interpretationem a nobis traditam confirmant ea quae scribit S. Antoninus in quarta regula. Parcat benevolus lector, quippe quem non poenitebit tanti viri sensa authentica percepisse, quamvis prolixiori citatione protracta.

« Revertendo ad quartam regulam omissam dico quod ipsa est, opinionis alicujus tuta electio. Sunt enim aliquando de aliquibus materiis moralibus, doct. opinionum contrariarum, et tunc scrupulosi dubitant quam partem possint cum bona conscientia eligere. Pro cujus enodatione difficultatis notandum, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis et secundum eam operari, concluso saltem scandalo, quae scilicet pars habeat pro se notabiles doctores, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam sacrae Scripturae, nec contra determinationem Ecclesiae catholicae, et quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam et credulitatem formet de eo quod credit tanquam de probabiliori parte, et praecipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat nec invenit aliquid quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum. Quod sint contrariae opiniones inter doctores sanctitate et scientia maximos, in materia mortali, aliquando etiam ad salutem necessaria patet per exempla. » Et nonnullis allatis exemplis,

---

[1]) Cf. de hac Alberti M. sententia, notam criticam Terilli, de consc. probab. Q. 22. nn. 172-174.

quae innumera dicit posse afferri, atque explicato S. Thoma, in Qlto. 3. Q. 4. a. 2. deinde pergit: « Item Ulricus in summa dicit quod si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consulat de quo nullam habet expressam auctoritatem, utrum ita sit vel non, dummodo formet sibi bonam conscientiam, etiamsi res aliter se habeat quam id quod sentit et quod sibi consultum fuerit, excusatur, quia fecit quod potuit et Deus plus non requirit. » — Deinde prosequitur Albertum M. referens ut supra. Postea: « Hostiens. etiam dicit *Extra. de cog. sp.* super caput *si vir*, ubi sunt diversae opiniones et diversa judicia semper humanior praeferenda et equior, et ad idem facit quod ait Augut. Dist. 13. *sana.* Guill. etiam in glo. Raym. dicit quod in apicibus juris ubi dubitant etiam sapientes excusabilis est ignorantia. Tamen si aliquis bona fide partem illam vel illam elegerit non debet super hoc habere conscientiam nimis scrupulosam. Item Pet. de Palu. super 1. distin. 17 dicit: quod si confessor dubitaret utrum illud de quo confitens non poenitet nec confitetur, esset mortale, et ipse confitens dicit quod consilium peritorum illud fecit, de quibus ex vita et conscientia probabile est quod non consulerent nisi bene, illi judicio se potest conformare. Secus autem esset si esset certus de opposito. Idem videtur sentire Goff. de Fontibus, in his scilicet opinionibus contrariis quae tolerantur ab Ecclesia, ut dictum est. Et quod debet proponere confitenti quod bene studeat de hoc seipsum per prudentes informari eo quod alii tenent contrariam opinionem, maxime si illius contrariae opinionis confessor sit inordinarius ejus et sic eum absolveret. Idem sentit Ricard. claro modo non distinguendo utrum confessor ejus sit ordinarius vel non ordinarius. [1]) Idem potest haberi ex decret. extra. de sent. excomm. *Inquisitioni* tam in text. quam in gl. ubi declaratur quando mulier uxorata incipit per novam informationem dubitare, an attineat viro gradu prohibito, quomodo se debeat habere in tali dubio circa exactionem vel redditionem debiti conjugalis, probatur ex hoc idem tali ratione, secundum cancellarium: non plus nocet homini errare in artic. fidei qui non est declaratus adhuc ab Ecclesia, quod sit articulus de necessitate credendus quam nocere posset actus moralis contra aliquid agibile perpetratus, quia actus non dicitur certus ex Scriptura

---

[1]) Cf. loca parall. S. Antonini, citata a S. Alph. th. mor. l. 1. n. 84. in fine.

aut determinatione Ecclesiae quod sit illicitus. Patet hoc ex eo quod fides est tam necessaria sicut virtutes morales, et si non amplius. Sed constat communiter apud theologos, quod in materia fidei dum doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesiae tenere unam partem vel alteram sine periculo peccati vel fidei ut patet in Abbate Joachim qui tenebat contrarium ad id quod magister sen. dixerat in 1. dist. 1. lib. pro quo Magist. Sent. Ecclesia postmodum determinavit extra. de Sum. Trin. c. Damnamus. Nec tamen dictus Joachim incidit in haeresim aut perfidiam propter hoc quia dicta sua omnia subjecit correctioni Ecclesiae, ergo a simili licet unam opinionem in moralibus tenere, juxta limitata superius ubi saltem magis sapientes non sentiant contrarium, et ubi paratus est obedire Ecclesiae et Scripturae, si ei errorem explanaverunt. Solet autem movere etc. »

Itaque diligenter perpendenti totum istum textum, manifestum fit 1. S. Antoninum heic agere de casu quo DD. in contrarias dividuntur opiniones, sive istae sint *aequeprobabiles*, sive altera *solide probabilis*, altera a *pluribus* habeatur ut *probabilior* — Sane:

*a)* A principio non distinguit in sua regula unam hypothesim ab altera, sed vult tantum, dari opinionum contrarietatem inter DD. notabiles.

*b)* Exempla quae affert, sunt de opinione *probabili*, contra *probabiliorem:* et in eis expresse dicit: « neutra illorum reprobatur et si Beati Thomae opinio *communis* teneatur, quae tamen minus tuta videtur Raymundo decretistae. » Et jam dixerat Thomae opinioni contrarium tenere Hugon. de S. V. et Beat. Bonaventuram.

*c)* Auctoritates quas ad confirmandam suam regulam affert, exigunt tantum quod quis in alterutra *opinione* eligenda, sequatur *aliquem magni nominis* Doctorem; de cujus vita et conscientia probabile est quod non consuleret nisi bene etc; nentiquam vero exigunt ut iste sequatur majoris numeri suffragium, i. e. opinionem probabiliorem.

2) Manifestum etiam fit S. Antoninum, ubi dicit ab initio: « et quod etiam ex contrarietate..... sit illicitum » et paulo in-

fra, in Auctoritate Ulrici, apertissime distinguere judicium *certum reflexum* de honestate actionis, quod vocat « bonam conscientiam »; et judicium *directum et speculativum probabile*, de opinione cui inter contrarias aliquis vult assentiri, ideoque eam aestimat probabiliorem.

3) Manifestum fit quod « bona illa conscientia » efformatur exinde quod « quis adhibuit diligentiam inquirendo an liceat, nec invenit aliquid quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum » et infra « quod id quod sentit et quod sibi consultum fuerit excusatur, *quia* fecit quod potuit et Deus plus non requirit. » etc: quae aequivalent principio reflexo: legem dubiam vel incertam non obligare [1]).

4) Unde manifestum fit quod ubi scribit in enuntianda sua regula: «... et credulitatem formet de eo quod credit tanquam *de probabiliore* parte »; probabilioritas non affertur ab eo, tanquam motivum judicii *practici* et certi conscientiae bonae (quae est interpretatio aequiprobabilistarum) sed tanquam motivum judicii *speculativi* quo unam prae altera quis amplectitur opinionem: ideo enim in eam inclinatur quia eam ipse probabiliorem aestimat: sed inde S. Antoninus non dicit quod iste homo *debeat* etiam juxta eam operari; imo expresse monet et in regula et in auctoritatibus allegatis, quod ubi sunt DD. opiniones contrariae, quis potest cum bona conscientia tenere *unam* partem alicujus opinionis, et secundum eam operari; quod potest sequi *quamcumque* opinionem, voluerit; quod *humanior* et *aequior* est praeferenda.

5) Manifestum fit quod, ubi, in fine transcripti textus, S. Antoninus scribit ex Gersone: « licet unam opinionem in moralibus tenere, juxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium et ubi paratus est obedire Ecclesiae etc »; — *a*) ista « limitata superius », refert ad hypothe-

---

[1]) Cf. eumd. S. Antonin. P. II. t. I. c. II. § 28 citatum etiam a S. Alph. th. m. l. 1. n. 77, par. *Hinc est.*

sim dissensus gravium doctorum, et ad modum sive viam efformandi bonam conscientiam; —

*b)* restrictionem apponit « ubi saltem etc. » non ad excludendum casum quo contra *plures* DD. pro una parte probabiliori, sunt pauciores magni nominis pro altera etiam probabili: hunc enim casum aperte in sua regula comprehenderat; sed ad excludendum casum adeo certi et notabilis excessus pro una parte ut altera remaneat ad summum dubie probabilis, casum nempe moralis seu civilis certitudinis de qua paulo post sermonem facit.

*c)* subjectionem exigit in *praesenti* animi dispositione, *futurae* Ecclesiae determinationi, si quando daretur.

Hisce itaque rite pensatis, judicet aequus lector num immerito S. Antoninum « in causae suae patrocinium advocare queat probabilista, qui ejusdem doctrinam et verba animo non praeoccupato ac mature legit. » (Cf. P. d. C. pag. 128, ab init.)

## PUNCTUM VIII.

***In art. II. — An Auctori prodesse possit Franciscus Sylvius Duacens. — Quid de suffragio Ant. Mayr e soc. Jesu.***

Legitur postea ab Auctore allegatus Francisci Sylvii textus. Verum nihil forte potuisset ineptius afferri in auxilium aequiprobabilismi, quam auctoritas et verba insignis hujus S. Thomae commentatoris. Equidem in ipso loco quem R. P. de C. transcripsit, Sylvius ei repugnat: in 1. 2. Q. 91. a. 3. ad 3. (vide supra verba Angel. D.) « Observa istam majorem: *mensura debet esse certissima*, si sic intelligitur quod omnis mensura debet omnino certa esse et infallibilis, esse falsam. Si autem intelligatur, vel quod debet esse certa secundum quod possibile est in genere suo, vel quod debet esse certior iis quae mensurantur, sic est vera. Quamvis autem leges humanae, cum ver-

sentur circa singularia et contingentia, quorum homo non potest (humanitus loquendo) habere certitudinem, non possint esse omnino certae seu infallibiles, habent nihilominus aliquam certitudinem, qualis nimirum in eo genere potest ab homine haberi et majorem quam ipsae res. » Ergo, juxta Sylvium, legis existentia in casu particulari debet majori certitudine (licet non infallibili) constare quam constare generatim potest de futuris contingentibus et liberis : de his enim feruntur leges. Jamvero de futuris contingentibus et liberis non potest legislator humanus (humanitus loquendo) habere nisi probabiliorem conjecturam. Ergo subdito de existentia legis debet *majori* certitudine constare, ut per eam obligetur ipse, quam sit probabilis conjectura qua legislatori constat de futuro contingenti et libero: verum utrum nobis an Auctori faveat haec Sylvii conclusio, dijudicare per semetipsum velit aequus lector.

Atvero si adiverimus alia Sylvii loca, doctrinam conclusionibus R. P. de Caigny prorsus oppositam inveniemus.

Primo ad resp. S. Thomae. in l. 2. Q. 96. a. 1. ad 3. explicationem exhibet Sylvius quae nostrae supra datae consonat. Audiatur sane:

« Pro solutione 3, dicendum est ad Min. quod mensura debet esse certissima non simpliciter et absolute sed secundum quod est possibile in genere suo, quemadm. dicitur Q. 91. a. 3. ad 3. Cum igitur in actibus humanis non possit aliquod universale ita esse certum, ut in aliquibus non deficiat, id quod actuum illorum est mensura humana, non debet esse omnino certum et infallibile, sed satis est, quod ut in pluribus verum sit. Et hujusmodi est lex humana in communi posita quae praecipit id quod ut plurimum et quasi universaliter est bonum et utile observatu, licet in quibusdam particularibus casibus deficiat, in quibus epikeia utendum est. »

Docet nimirum legem *posse* quandoque deficere, *supponendo* quod, quando in casu reapse non deficit, ideo obligat quia *certo* lata est pro isto casu.

Ulterius, alibi ex professo tradit simplicem probabilismum et quidem praecise in eo in quo ab aequiprobabilismo differt probabilismus et a P. de C. (n. 109) repositus est cardo totius controversiae.

l. 2$^{m}$ Q. 19. a. 5. Quaeritur IX. Concl. III. scribit:

« Quando sunt duae opiniones vere probabiles, licitum est, relicta probabiliore, sequi minus probabilem: sive haec quae minus probabilis est, sit tutior, sive non. Ita sentiunt Medina ad art. 6. huj. quaest. Bannez, 2. 2. Q. 10. art. 1. Dub. 3. conclus. 4; Lopez part. I. cap. 120; Petr. Navarrus L. 3. de rest. cap. 1. n. 265; Azor p. I. l. 2. cap. 12. et 16; Sayr. l. 1. c. 26; Richard. Hallus. l. 2. de consc. c. 9; Tanner disp. 2. dub. 3. »

Deinde affert tria argumenta et subiungit: « Dixi *vere probabiles*; quia dum una opinio, sic est probabilior, ut ejus opposita sit improbabilis, sive quia videatur esse contra Scripturam vel Ecclesiae determinationem (etsi de eo non omnino constet;) sive quia a nullis probis ac doctis viris probetur; necesse est sequi probabiliorem sicuti et quando *dubium* est an opinio quae probabiliori opponitur, vere sit probabilis: quia is qui in ejusmodi casibus desereret opinionem probabiliorem, aut sequeretur improbabilem, aut operaretur dubitans, an illud quod agit, sit licitum an illicitum, atque ita faceret contra dubiam conscientiam: quorum utrumque est illicitum. »

Quod autem Sylvius dicens licere sequi minus probabilem quae sit vere probabilis, intelligat: quae sit in judicio *directo et speculativo*, *absolute et relative* spectata, vere probabilis, licet minus tuta i. e. contra legem; evidentissime apparet legenti tres rationes quibus suum assertum probat heic: in istis enim distinguit opinionem probabilem in *speculativis*, quam licet sequi absque periculo *erroris;* atque probabilem in *practicis* quam licet sequi absque periculo *peccati*. Dicit autem quod si licet in scholis opinionem probabilem, relicta probabiliori, *docere* et proponere; absurdum videtur non licere hoc ipsum *agere*, scilicet propter principium reflexum: licitum esse sequi judicium prudentum. — Et a principio Quaestionis ejusd. titulum ponit: « Quid agendum ei qui habet conscientiam *opinativam* »; hanc autem statim describit: « est quando quispiam probabiliter existimat aliquid esse *verum*, cui etiam assentitur, sed tamen cum formidine ne ejus oppositum forte sit verum. »

Idem etiam conficitur ex conclus V. in qua docet, quando licitum non sit in praxi sequi minus probabilem speculativam opinionem.

Hanc porro totam Sylvii quaestionem, magno fructu recolere posset etiam is cui S. Antonini verba superius relata non viderentur ex se satis clara in sensu nostrae interpretationis: nam Sylvius eadem

quae S. Antoninus, tradit heic et ipse, scholasticis distinctionibus e terminis adhibitis.

Afferuntur tandem quaedam verba Antonii Mayr e soc. Jesu. Iste Christophori Rassler suppar, docuit in Universitatibus friburgensi et ingolstadiensi ubi etiam studiis praefuit. Anno 1730, quo Rassler vita functus est, Ingolstadii in lucem dedit theologiam scholasticam octo vol. in 8° comprehensam, quae soliditate doctrinae et dicendi perspicuitate simul ac concisione excellit. In praesenti controversia laudat et sequitur systema et argumenta illius sui antecessoris. Porro ecce locus integer ab Auctore relatus:

« Quando habetur notabiliter major probabilitas, jam censetur haberi certitudo moralis, latius saltem dicta. Ergo non habetur amplius dubium quod excludat hanc certitudinem: et haec sane certitudo videtur sufficiens, esse intimatio obligationis, quamvis cum ea stet aliquod dubium: nisi velimus dicere quod in moralibus fere numquam res sufficienter et moraliter sciatur. Probatur antec. ex S. Th. 1. 2. Q. 96 a. 1. ad 3. (de quo superius disputatum a nobis est). Idem S. Doctor Quodl. 8. a. 13 sic ait. « aut non habet conscientiam de contrario sed certitudinem, sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum. » Ubi per certitudinem intelligi debet tantum major probabilitas; haec enim adhuc stat cum dubio; nam certitudo moralis stricte dicta excludit dubium, quod saltem sit alicujus momenti et non levis scrupulus, de quo scrupulo ibi non loquitur. » -- Deinde affert S. Antonin. *de certitudine morali seu civili*, quem jam perpendimus: Angelum de Clavasio, qui idem dicit ac S. Antoninus, et Silvestrum. Postea ita pergit: « imo etiam ex recentioribus, Terillus inter praecipuos sententiae omnino benignae patronos, tract. de conscentia probabili Q. 22 non tantum semel idem docet et apertissime n. 76 ubi ita ait: « ecce major probabilitas de honestate operis, undecumque tandem derivetur, ex mente Gersonis, Gabrielis et communi DD. illius aevi consensu, est moralis certitudo, sufficiens ad excusandum a peccato, etsi opposita pars sit probabilis, suaque probabilitate inducat formidinem de opposito. At nos idem per omnia docemus. » Si autem talis major probabilitas est moralis certitudo de honestate, eodem modo erit de inhonestate, quia omnimoda paritas est. Eadem fere verba repetit n. 619. » Ita Mayr tr. IV, 361, 362.

Primo itaque ad verba S. Th. ex Qlb. allegata a Mayr respondemus 1) in textu quem legimus non habetur *sed* certitudinem, bene vere *seu* certitudinem, et in hac lectione, interpretatio Mayr locum non habet. 2) Sed neque si legatur ut ipse legebat et invenitur in editione romana, intelligendo etiam per certitudinem, majorem tantum probabilitatem, non tamen inde sequitur quod cum majori probabilitate quae certitudinem moralem attingat, stare possit dubium ex certa probabilitate speculativa objecti oppositi: nam certitudo ista moralis vel est ex *eodem* principio circa quod controversia fit inter DD. vel ex alio: si ex eodem, tunc in eodem intellectu ex eodem principio haberetur simul sub eodem respectu inclinatio major et minor, et quidem contraria; idque quantum sit absonum et ab Angelico alienum, nemo non videt; si ex alio, sensus cohaeret cum doctrina quam omnes probabilistae docent cum Busembaum; *de consc. c. II dub. II dixi 3 in fine,* a nobis alias relato; imo cohaeret etiam cum solutione quam in verbis immediate sequentibus dat S. Thomas: « et sic si manente tali dubitatione plures praebendas habet periculo se committit et sic procul dubio peccat, utpote magis amans benificium temporale quam propriam salutem; aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, et sic non committit se discrimini nec peccat. » scilicet: ille homo qui non habet *conscientiam evidentem* de peccato in possessione plurium praebendarum, sed moralem quandam certitudinem ex ratione *directa*, noviter a se inventa, stante controversia DD.; ille homo itaque vel per suam rationem noviter inventam sibi efformat *directe* conscientiam *omnino certam*, solvendo rationes contrarias DD., et tunc non peccat quia non se committit periculo, cum dubium deposuerit; vel non solvit rationes contrarias, et cum *dubio* operatur; et tunc peccat. — Coeteroquin probabilistae multi hunc S. Thomae textum perpenderunt atque alii aliter sunt interpretati; quos quisque adire potest, et speciatim S. Alphonsum in dissert. ann. 1755 n. 86. sqq.

Quod coeteros DD. attinet a Mayr citatos, in iis non legitur aliud quam doctrina S. Antonini a nobis jam explicata.

Quae autem ab ipso Mayr dicuntur laborant duplici aequivocatione quam jam pluries dissolvimus. (cf. Punct. V praec. p. 252.)

Terillus vero prorsus inepte allegatur a Mayr. Si enim legantur ea quae Terillus habet in primis numeris hujus Q. 22 ubi ad praecavendam omnem aequivocationem, suam sententiam perspicue proponit, fit evidens quod major probabilitas quae in concursu oppositae partis etiam probabilis, ab eo dicitur moralis certitudo sufficiens ad excusandum a peccato, excusat non quidem « ex vi rationum *directe* probantium », sed propter rationes *reflexas* quae potiores sunt pro honestate quam pro inhonestate, idque ex principiis synderesis reflexis. Quodsi quandoque excusat ex vi rationum directe probantium, id locum non habet nisi intellectus imperio voluntatis in actu secundo feratur in partem minus tutam, ut in partem *unice veram* i. e. saltem in partem *unice probabilem*.

Ecce sane textus integer Terilli a Mayr allegatus, cum aliis ejusdem locis quae rem conficiunt, atque proinde recidunt in interpretationem quam verbis S. Antonini et aliorum veterum, superius adhibuimus.

l. c. Q. 22. n. 76. relata descriptione certitudinis moralis, ex Gabriele, et Gersone, quae est identice ea quam legimus in S. Antonino (vide sup. pag. 258, 259), prosequitur ipse: « Ecce major probabilitas de honestate operis, undecumque tandem derivetur, ex mente Gersonis, Gabrielis et communi Doctorum illius aevi consensu, est moralis certitudo sufficiens ad excusandum a peccato, etsi opposita pars sit probabilis, suaque probabilitate inducat formidinem de opposito. At nos idem per omnia docemus; exigimus enim ut operans magis inclinet ad partem quam sectatur, quam ad oppositam, quodque omnibus inspectis, honestas operis sit probabilior ejusd. inhonestate: ideoque postulamus moralem certitudinem juxta mentem Gersonis, Gabrielis, Cajetani et aliorum antiquorum, a quibus nec latum unguem discedimus. »

In principio Q 22. n. 1. seqq. ita suam mentem explicat: « Imprimis dicimus licitum cuique esse sectari partem minus tutam, quando

illa est aut unice probabilis, aut directe probabilior parte tutiore. Nec tamen id ita intelligimus, quasi vero ubi constiterit de sola aut majori ejus probabilitate, per hoc praecise homo excusetur, et possit quidquid voluerit agere; non hoc asserimus: nam stante toto illo, omne absolutum judicium de rei veritate suspendi, et homo dubitare potest, an res sit licita necne. Jam si quis in tali dubio sectetur minus tuta, indubitanter peccabit, non obstante majori probabilitate partis quam sequitur. Ut ergo excusetur, debet formare judicium, quo absolute credat opus illud esse licitum, atque ex illo, si formidolosum sit et incertum per novam consultationem in aliquo principio synderesis reflexo fundatum consurgere ad certitudinem de sua operatione. Nemo enim honeste operatur, nisi per judicium certum reguletur. Unde dicimus, nullum judicium probabile esse formalem regulam proxime directivam voluntatis honeste operantis, sed solum asserimus, quod sit regula remota objectiva, quatenus est occasio fundans novam consultationem per quam homo certificatur de honestate formali suae operationis, ut fuse explicatum est Q. 19 et 20. At quando pars minus tuta solum est aeque aut minus probabilis, quam pars tutior, observationes aliae locum habent, ut nostra sententia rite intelligatur. Imprimis enim dicimus eam solum opinionem reputari practice probabilem, cujus veritas post omnem indagationem, quam homo tenetur adhibere, impensam, ita invenitur manere incerta, ut tamen argumentis certo probabilibus fulciatur. Jam si post dictam diligentiam adhibitam directa probabilitas partis utriusque sit aequalis, aut partis minus tutae sit minor probabilitate partis tutioris, dupliciter fieri potest ut sectans partem minus tutam excusetur, primo praecise ex vi rationum directe, secundo ex vi rationum indirecte probantium veritatem partis illius.»

« 3) Imprimis ergo qui in illo casu **solum uteretur argumentis directe probantibus,** non excusaretur si omnibus pensatis, in actu secundo absolute crederet ea esse minora, aut non majora argumentis contrariis, quia stante tali judicio, non posset formare conscientiam, quod opus sit absolute honestum; nam qui absolute credit aliquid esse licitum, eo ipso fertur in illud ut in partem praevalentem, probabiliorem **et unice veram**, ut ostensum est Q. 8 n. 25. et sqq. Itaque in hoc casu dicimus eum non aliter posse licite sectari partem minus tutam, quam si ex vi motivi, quod in actu primo ante affectum uni parti alligatum vel non excedebat vel non aequabat motivum oppositum, per imperium voluntatis in actu secundo feratur in illud ut *motivum* **unice verum,** *et*

*multo praevalens motivo opposito.* Jam quod hoc sit possibile fuse ostensum est Q. 8 per totum. Coeterum quamvis in hoc deciperemur, nulla hinc laxitas induceretur, quia dicimus operantem, ad argumenta solum directa attendentem, non posse licite operari, nisi ex illis flectatur ad absolute et certo probabiliter credendum opus, quod aggreditur, esse omnibus universaliter licitum. Quod si in eo casu nemo posset tale judicium formare, nemo certe ex hac nostra assertione incitari posset ad operandum, sed ab opere retraheretur, quia docemus quod peccet, qui taliter dispositus partem minus tutam sectatur. »

« 4) Quod si homo in actu secundo credat motiva directe probantia esse aequalia pro utraque parte, aut potiora pro parte tutiore, peccat utique, si sectetur partem minus tutam, **nisi ex vi argumentorum indirecte vel reflexe probantium et praevalentium** consurgat ad formandam conscientiam, quod opus illud, non obstante paritate argumentorum directe probantium, sit omnibus universaliter licitum. Et certum est nos habere talia argumenta reflexa, quibus hoc ipsum nobis ita persuadetur, ut **idipsum sit vel moraliter certum, vel incomparabiliter probabilius opposito.**

Itaque his positis, duo affirmamus; primum est, sectantem minus tuta nunquam excusari, nisi ex rationibus directis vel reflexis per absolutum judicium in actu secundo feratur in partem quam sectatur, tanquam in partem unice veram et probabiliorem parte tutiore. Secundum, quod dicimus, est judicium, hoc si non sit moraliter certum, per se solum non esse ultimum conscientiae dictamen, quo immediate dirigimur ad operandum, sed ex illo oriri debere aliud judicium, quo intellectus per principia synderesis reflexa, certificetur de honestate formali suae operationis..... Praeterea ut homo ex vi praedicti judicii certo probabilis de universali honestate operis excusetur, debet sincero corde ita esse dispositus, ut si sciret aut dubitaret se falli, nullatenus eam partem sectaretur, quia Deo jubenti cupit in omnibus obedire etc. »

« N. 6. Fagnani in cap. ne innitaris de const. a n. 59 ad 98 ponit 26 argumenta ad probandum, quod non liceat sequi opinionem probabilem; et in illis aliud non ostendit quam quod omnis opinio sit formidolosa et consequenter quod illa ex se non possit conscientiam certam reddere; et per consequens quod ex se praecise a peccato non excuset. Sed quem, quaeso, sibi contradicentem habet? Vix unus est aut alter ex patronis benignae sententiae, qui non requirant judicium certum de honestate operationis, ut illa absque peccato ponatur, et si qui hoc

negent, illi pariter contendunt, operantem cum formidine propria judicii probabilis esse secutum[1]); asserunt enim illam formidinem non contrariari morali certitudini quam tenent esse inseperabilem a judicio certo probabiliter existimante opus esse licitum, adeoque negant suppositum, in quo tota ejus argumentatio fundatur. At reliqui omnes, ultro admittimus tam principia quibus Fagnanus utitur quam conclusiones, quas inde deducit esse verissimas: scilicet omnem opinionem esse actu formi dolosam ac proinde nullam opinionem se sola sufficere ad honestatem; sed una etiam asserimus, judicium certo probabile de absoluta honestate operis, fundare novam consultationem per quam ex principiis synderesis reflexis homo certificatur de honestate operationis.... Quid ergo excusat sectantem minus tuta? Dicam: quod excusat remote est judicium certo probabile de honestate operis: quod proxime excusat est dictamen certum et evidens ex principiis synderesis reflexis etc. »

« Uno verbo de tota materia agit ac si illa mere determinanda esset ex vi rationum directe probantium, quas ultro supponimus, esse pares aut minores argumentis contrariis. Verum nemo in hoc sensu loquitur, nam si asserimus, esse licitum sequi partem directe aèque aut minus probabilem, id facimus, quia habemus rationes reflexas validiores et consequenter apud nos probabiliores pro hoc quam pro opposito. Quocirca si nostram sententiam recte impugnare voluisset, debuisset ostendere directam probabilitatem honestatis, etsi non sit major directa probabilitate inhonestatis, non fundare argumenta reflexa potiora pro honestate quam pro inhonestate operis. Verum de hoc ne verbum apud illum aliosve exstat ».

Verum quidem est Terillum dicere quod rationes *reflexae* sunt tantummodo *probabiliores* pro honestate quam pro inhonestate operis. Sed in alia quaestione (Q. 13. ass. 5.) ipse docet quod *ultimum* practicum conscientiae dictamen debet esse non tantummodo *late* certum nedum solummodo probabilius, sed omnino *evidens et certum*. Quaeri itaque potest qua ratione hoc ultimum dictamen possit esse *evidens* et certum, si prae-

---

1) Ita legitur in editione leodiensi quam versamus. Videtur tamen supplendum esse substantivum nomen quod verbo « esse secutum » regi possit: « *certitudinem* esse secutum ».

missae *reflexae* synderesis et rationis, quarum dictamen illud est conclusio, non sint stricte evidentes. — Porro solutio difficilis non est si animadvertatur discursum istum reflexum non unico sed multiplici syllogismo constitui.

Praemisso scilicet judicio *directo* certo de solida probabilitate partis minus tutae simul cum judicio *directo* de majori etiam probabilitate partis tutioris, synderesis dictat judicium *moraliter certum*, esto etiam, *probabilius* tantum, legem incertam, vel legem prudenter dubiam non obligare. — Ratio pariter dictat judicium certum legem in praesenti particulari casu esse incertam vel prudenter dubiam, proindeque conscientia concludit moraliter certum esse, vel saltem probabilius obligationem in praesenti casu non dari. Ecce primus syllogismus, cui synderesis subnectit alteram minorem omnino certam: ubi ex reflexo principio probabilius est me non obligari, reflexe, ex alio principio fit certissimum me non obligari. Ergo, concluditur ultimum dictamen omnino certum: in praesenti casu certissimum est me non obligari.

Istud aliud principium reflexum desumitur vel ex principio possessionis pro libertate, vel ex necessitate promulgationis pro lege, quae certo, omnibus in praesenti consentientibus, deficit, ubi probabilius undecumque est legem non existere; vel ex eo quod, uti a S. Antonino et ab Hostiensi audivimus: « ubi sunt diversae opiniones et diversa judicia, semper *humanior* praeferenda et aequior. »; juxta regulas 15, 30, 65 Jur. c. in 6. juxta L. 192 de R. J.; c. 11 de transact.; juxta plura alia jura et praxim universam non solum omnium theologorum, exceptis paucis tutioristis, sed etiam ipsius Ecclesiae catholicae. [1]) (Cf. dissert. S. Alph. ann. 1763 in 6. edit. th. mor. nn. III. VII.) Porro ex singulis istis fontibus vel saltem ex ultimo quisque potest cum subjectiva evidentia plenaque cer-

---

[1]) Cf. v. g. responsum Urbani VIII Joanni De Lugo, apud d'Annib. summ. edit. 3ª tom. 1. n. 263. (5).

titudine judicare se ab obligatione liberari, quam principium reflexum ipsi demonstravit probabilius saltem non existere. Idem confirmatur propositione 3. damnata ab Alexandro VIII.

## PUNCTUM IX.

***In art. II. — Quid valeat ratio qua Christ. Rassler et Ant. Mayr aequiprobabilismum arbitrati sunt esse probabiliorem.***

Ut ratio ab istis duobus auctoribus propugnata, pleniori possit luce percipi, omittenda non est distinctio sub qua ipsi legem probabiliorem tantum, obligare posse contendunt. Per eam sane distinctionem autumant systema aequiprobabilisticum vindicari posse a nota incohaerentiae logicae, quae ab adversariis eidem usque hodie solet inuri [1]). Distinguunt scilicet legem *directam* et legem *reflexam*: directa et antecedens est illa ipsa quam in casu, dum speculative judicamus probabilius existere, speculative etiam judicamus probabiliter non existere ideoque certo aestimamus sufficienti carere promulgatione. Hanc utique concedunt *ex se* quidem vi obligandi destitui, sed ab alia lege *reflexa* eam vim sibi mutuare censent, a lege nempe, aiunt, qua divina voluntas velit nos obligatos ad sequendam semper partem tutiorem simul ac magis probabilem. (Cf. Rassler, disp. III, n. 1117-1121. — Mayr. l. c. n. 363. 375. 376). Unde ista sua lege reflexa impetunt ipsum principium possessionis pro libertate morali.

Concedunt enim libertatem possidere in casu aequiprobabilitatis rationum pro lege et contra legem; si vero lex directa sit notabiliter probabilior, etiamsi remaneat prudenter probabile, judicium speculativum contrarium, contendunt voluntatem

---

[1]) Cf. Ball. op. mor. edit. 2ª, V. I, Append. I. n. 1 (a) ultim. parag. notae et ibid. tract. de cons. n. 131. — Cf. heic, pag. 108, 109, 230, etc.

humanam possessione suae libertatis deturbari lege reflexa sequendi certo probabiliora et tutiora simul: nullum enim, aiunt, superest medium efformandi conscientiam practice certam de honestate actionis: cum neque possimus praetexere ignorantiam invincibilem, nec dubium invincibile, nec possessionem libertatis: vincit idcirco lex reflexa quae certa est: cum aliunde illicitum sit operari quin deponatur dubium practicum. (Cf. Mayr l. c. n. 375, 376).

Porro ad probandam hujus legis reflexae et consequentis existentiam argumentum excogitaverunt quod auctor noster n. 123 transcripsit quodque unicum est sententiae eorum fulcimentum. Textus equidem ipsius Rassler legi potest in appendice hujusce nostrae Crisis, in art. VII, disp. III. n. 1123, quem articulum integrum cum sequenti duximus esse in ista appendice referendum ne quidquam dissimulasse videremur.

Ecce itaque argumentum in forma:

Deus, providentissimus Legislator, censendus est voluisse id quod medium est unice necessarium ad impediendum ne plurimae leges reapse conditae, respectu plerorumque hominum essent inutiles, suo fine frustrarentur morumque disciplinam maxime relaxarent, nedum cohiberent.

Atqui obligatio sequendi semper partem simul tutiorem ac notabiliter probabiliorem, est istud medium unice necessarium etc. Ergo.

Probatur minor: nisi haec obligatio adesset sequendi probabiliora et tutiora, innumerae leges reapse conditae, vi carerent proxime obligandi.

Atqui id, quo deficiente, innumerae leges reapse conditae vi carerent proxime obligandi, est medium unice necessarium ad impediendum etc. Ergo.

Probatur ultima major: nisi adesset haec obligatio sequendi notabiliter probabiliora simul ac tutiora, plurimae leges reapse conditae remanerent in ancipiti doctorum disputatione. — Atqui quae sunt hujusmodi vi proxime obligandi carent. Ergo.

Confirmatur praeterea a pari, existentia illius legis reflexae.

Eamdem vim habet pro obligatione, notabiliter major probabilitas pro lege, quam pro libertate habet, notabiliter major probabilitas contra legem. Atqui haec certo solvit a lege. Ergo illa certo inducit legem.

Respondemus: 1) In systemate S. Alphonsi quale a nobis explicatum est, cum omnimoda certitudo subjectiva probabilioritatis sit signum a posteriori manifestativum certitudinis moralis objectivae motivorum ideoque et dubiae ad summum probabilitatis partis adversae; idem omnino obtinetur principiis probabilisticis, absque illa lege reflexa a Rassler excogitata, ad quod obtinendum iste eam induxit:

Tam enim S. Alphonsus quam Rassler de *eodem notabili* probabilitatis excessu loquuntur: sane si Rassler loquitur de minori excessu quam de eo, quem S. Alph. intendit, Rassler convertitur ad partes Patutii contra quem sanctus Alph. suam alteram propugnavit regulam: ad quid igitur ad eum pro S. Alphonso appellat egregius P. de Caigny? — Si vero Rassler loquitur de eodem notabili et certo excessu ac S. Alph. simulque admittit hunc excessum in parte sibi adversa pati prudentem speculativam probabilitatem; hypothesim confingit aeream, quam supposito negato, diluit ipsi S. Doctor, uti sequitur ex disputatione nostra secunda. Revera nullibi post ann. 1762, argumenti hujus Rassler meminit S. Alphonsus: uno loco utique (th. m. l. 1. n. 70. H. A. t. 1. n. 34) Amort approbat dicentem teneri Deum ad leges suas ut notabiliter credibiliores saltem, manifestandas: sed hoc intelligendum est juxta sensum n$^{i}$ 56 ibid. in quo exhibet S. Alph., uti paulo ante dicebamus, hunc probabilitatis gradum tanquam recidentem in certitudinem moralem, cujus signum a posteriori manifestativum est certitudo subjectiva omnimoda ejusdem excessus; non vero quia iste notabilis et certus excessus ut sic, obliget, sensu Rasslerianae legis: idque patet etiam ex ipso Amort qui hunc evidentem excessum *credibilitatis* legis comparat motivis credibilitatis fidei: porro nisi isti sint moraliter certi, credere nec possumus nec debemus.

2) Totum argumentum coeteroquin nititur multiplici falso supposito.

*a)* Quod Deus nullam, praeter doctrinalem scientificae inquisitionis interpretationem, aliam normam homini dederit, qua ipsa scientifica discussio intra debitos limites cohiberi possit: hanc sane habemus in magisterio infallibili S. Pontificis et Ecclesiae, cujus est judicare de opinionibus theologorum, moresque cum sana doctrina custodire: unde tot propositiones in hac materia damnatae. Rem hanc sane debemus in praesenti Providentiae Reparatoris Chti Ecclesiaeque Conditoris ordine spectare, nec vacat inquirere quid in statu possibili purae naturae contigisset. Ecclesia ergo impedit quominus morum disciplina nimia disputantium licentia relaxetur; ipsa obligationum limites sua interpretatione custodit.

*b)* Falso supponitur quod plurimae leges vel legum applicationes quae probabiliores tantum sunt et agnoscuntur a theologis catholicis, nihilominus sint ex parte ipsius potestatis logis voluntatisque legislatoris, reapse conditae ut obligatoriae. Id quidem locum habere aliquo tempore posset in lege humana, cui contraria consuetudo nondum est praescripta: nequaquam vero in prima obligatione legis cujuscumque, quae non viget nisi consequenter ad promulgationem sibi essentialem. Multo minus id valebit si spectetur res ex parte Dei qui hunc ordinem in quo tot dubia disputationi relinquerentur, sub vigili Ecclesiae custodia, consequenter ad lapsum originalem *voluit* voluntate illa qua poenam ignorantiae generi humano praevaricanti inflixit. Consequenter igitur ad praesentem naturae lapsae et reparatae ordinem, Deus dicendus potius est *voluisse ut plures leges incertae remanerent ideoque stricte obligandi vi essent destitutae:* lapsum naturae in ejus capite, utique *permisit* tantum sed naturae lapsae damnationem juste *voluit:* tot autem legum incertitudo effectus est poenalis ipsius lapsus, in damnatione illa contentus. — Atvero non solum damnationem juste voluit verum etiam copiosam lapsus reparationem misericorditer indulsit: unde praeter viam *mandatorum*, viam re-

giam aperuit *consiliorum*, qua, Christo duce, homo gratia reparatus valeret spontanea caritatis oblatione et longe majori merito servare et consequi illud ipsum virtutis altissimae bravium, ad quod minore merito, difficiliori tramite ascendere pene adactus fuisset, si omnis virtutum exercitatio, rigoroso et indubio praecepto constitisset.

3) Recte respondet argumento Rassleriano clarissimus operis balleriniani editor (Edit. 2ª vol. I. E. append. I. n. 1. (a): « Neque magnum est incommodum quod plurimae leges seu, ut accuratius loquamur, applicationes legum, vim obligandi non exserant: nam et honestas actionis, quae est finis legum, etiam sine illis obtinet ac plurimae restant leges certae, quarum observatione homo subjectionem suam Deo, suamque in difficillimis quoque rebus fidelitatem probare valeat. »

Res scilicet adaequato aspectu, omnique ex parte simul comprehendi debet. Idcirco si perpendantur non solum leges quae dubiae et incertae remanent, sed etiam illae quae certae sunt; si perpendatur simul humana fragilitas, cui Deus non opprimens sed leve jugum imponere voluit; si meminerimus *finem praecepti*, ut ait Apostolus (1. Tim. 1. 5.) *esse caritatem de corde puro et conscientia bona et fide non ficta;* quae profecto locum habent etiam in conscientia invincibiliter erronea; nam peccata materialia tantum evitare non tenemur, cum, uti scribit S. Thomas 1. 2. q. 76, a. 2, « non imputetur homini ad negligentiam, si nesciat ea quae scire non potest; » omnibus itaque perpensis, melius est in praesenti statu naturae lapsae et reparatae, non dari legem illam Rasslerianam, quam si daretur.

Nam si daretur, voluntas Dei minus servaretur, quam nunc reapse servetur spontanea consiliorum observantia, et formali caritatis honestate. (Cf. Rassl. n. 1122).

In forma tandem primo argumento respondetur: concessa majore, negata minore; vel melius: concessa majore, distinguitur minor: obligatio sequendi semper partem simul tutiorem ac notabiliter probabiliorem *cui non opponatur solida probabilitas ex adverso*, est istud medium.... *concedo minorem; — cui*

*adhuc opponatur ex adverso solida probabilitas*, est istud medium... *subdistinguo*: in casibus illis in quibus urget necessitas medii, vel lex certa in quibusdam materiis et adjunctis sequendi tutiora, *concedo;* — ubi agatur solum de honestate actionis, *nego* minorem.

Ad probationem minoris: negatur suppositum, leges disputationi relictas esse reapse conditas et obligatorias.

Ad confirmationem: omissa majore, *distinguo* minorem: notabiliter major probabilitas contra legem cui forte opponeretur adhuc solida probabilitas pro lege, certo solvit a lege: i. e. non sinit legem pertingere ad illum certitudinis gradum quo possit ligare voluntatem in possessione libertatis, *transeat*. Sufficit ad liberandum a lege quae exstiterit, *nego suppositum*. — Ergo notabiliter major probabilitas pro lege cui forte opponeretur adhuc solida probabilitas contra legem, certo inducit legem, *nego* conseq. et consequentiam.

Scilicet illa major probabilitas pro libertate, non *ex vi sui excessus* solvit a lege, sed ex *suo defectu*, non pertingit ad ligandum. Neganda est itaque paritas majoris, negandumque ejus suppositum; atque ex vero sensu minoris sequitur potius propositio contradictoria conclusionis, quia major probabilitas illa sive sit pro lege sive sit contra legem, nondum sufficit ut lex obligare possit, quippe quae est tantum probabilis in hoc secundo casu; ac in primo nondum certa; ideoque in neutro obligat.

Ruit itaque totum Christophori Rassler aedificium, quia non probata existentia illius ejus legis reflexae, libertas moralis hominis manet in sua certa et plena possessione, quae legem antecessit, quaeque deturbari non potest donec lex saltem moraliter certa esse non probetur: neque exigi potest ut positive probetur adesse legem *permittentem* sequi partem minus tutam et minus probabilem (Cf. Rassler l. c. n. 1120) quia *haec jam adest et probata adest, in ipsa certa concessione libertatis moralis homini a Deo facta, qua homo uti potest donec ipsi non constet morali certitudine de obligationis existentia:* haec autem moralis certitudo non habetur, donec, diligenti facta in-

quisitione, prudenter et probabiliter judicare potest legem non existere, nisi aliunde constiterit et quidem certo, Deum velle obligare etiam ad probabiliora tantum, quibus opponatur adhuc speculativa probabilitas. De hac autem Dei voluntate, ipso Rassler fatente, certo non constat, sed probabilius tantum, nos autem satis ostendimus hanc hujus legis reflexae probabilioritatem esse fictam. Ergo possidet certa libertas.

Eadem ratione diluitur argumentum a Rassler (n. 1126) desumptum ex eo quod, donec positive et certo non probetur excludi illam reflexam legem, homo non possit, in casu notabiliter majoris probabilitatis pro lege, cui opponatur solida probabilitas contra legem, praetexere invincibilem legis ignorantiam, ex qua sibi efformet conscientiam practice certam de honestate actionis contra legem. Non enim ut *possideat* libertas, probari *prius* debet excludi hanc legem; sed ut *ligetur* libertas quae certo prius possidet, debet probari adesse hanc legem. Nimirum onus probandi incumbit non possidenti, sed actori contra possidentem. *Possidenti,* ut non possit deturbari, sufficit ut morali certitudine ipsi constet legem deturbantem *non probari* certitudine morali: atque haec est legis deturbantis ignorantia invincibilis quae sufficit ut liber remaneat homo, postquam fecit quidquid potuit et debuit ut dubium speculative etiam et directe solveretur.

## PUNCTUM X.

***In art. II. — An opinio minus probabilis in occursu probabilioris ipso facto fiat subjective improbabilis.***

Hanc suam propositionem Auctor probare nititur I ex natura opinionis; II ex vindicatione similitudinis staterae, atque secundum argumentum urgere vult etiam ex ipsis adversariorum suorum concessionibus (129-131).

Quoad primum, nihil novi heic affertur, quod in prima disp. nostra jam non fuerit undique refutatum.

Coeteroquin et hoc argumentum et alterum nituntur aequivoca *elisionis* notione: juvabit idcirco eam ipsam ad rectos distinctosque conceptus revocare, unde tota Auctoris nostri ratiocinatio dissolvatur.

Probabilitas itaque est apparentia veritatis pro una parte contradictionis, ex motivo gravi, licet non evidenti, orta. Porro fieri potest ut pro altera militet etiam ratio gravis non evidens, quae ideo et ipsa sit probabilis. Cum autem, uti alias animadversum est, gravitas rationum unius partis ante affirmari rationabiliter non possit, quam fuerit inquisitum, an quid forte ex opposita parte subsistat quod partis contradictoriae motiva inficiat, comparanda sunt utrinque momenta, nec sufficit ex primo aspectu judicium de probabilitate festinare.

Porro duplici modo contingere potest unam partem altera infici: in utraque sane parte spectandae sunt et *praemissae* quae momenta constituunt, et *conclusio* ex iis deducta. Fieri autem potest,

1) quod *praemissae* unius partis aliqua ratione sint *contradictoriae* praemissarum alterius; hoc autem evenire nequit nisi idem sit medius terminus in utroque syllogismo quorum conclusiones ex hypothesi sunt contradictoriae: secus nulla possibilis inter praemissas ipsas contradictionis oppositio, uti dialecticis constat. Atque hoc significare volunt probabilistae, quando hypothesim ponunt quod motiva utriusque partis oppositae desumantur *ex eodem principio*.

2) Fieri potest quod licet praemissae unius partis immediate non contradicant praemissis alterius, quia medius terminus utrinque est diversus, ideoque praemissae sunt disparatae; tamen *conclusio* unius partis sit contradictoria conclusionis alterius.

In PRIMO CASU, si ex hypothesi in neutra parte praemissae ad evidentiam assurgant, augmentum ponderis unius partis arguit aequalem depressionem alterius, unde mutua enascitur virium *elisio*.

Quae iterum dupliciter contingere potest: *a)* vel tanto augmento ex una parte ut altera nequidem solide probabilis speculative judicari certo possit; — *b)* vel non tanto augmento ut altera solide probabilis speculative judicari certe adhuc non possit. — Si primum, excessus ille probabilitatis certitudinem moralem attingit, quippe qui affirmari potest, sine *certa* et *prudenti* erroris formidine.

In secundo casu, cum praemissae ad invicem non se inficiant, utpote utrinque disparatae, vim sibi propriam ex utraque parte illaesam servant, inque causa tantummodo sunt, quod intellectus in alteram partem inclinari rationabiliter non possit propter propriam ejus probabilitatem, nisi cum formidine proportionata subsistenti probabilitati praemissarum alterius oppositae partis, veritatique possibili oppositae conclusionis.

Tunc augmentum ponderis unius partis non minuit causam formidinis alterius: quemadmodum fit in primo casu; nisi augmentum istud eo usque creverit ut *ex se* attingat moralem objectivam certitudinem et evidentiam; unde, quandoquidem omnes admittunt huic morali objectivae certitudini non posse opponi solidam certamque probabilitatem, *indirecte* inficietur ipsa *conclusio* adversa, hujusque praemissae prudenter et satis certo judicari poterunt occulto laborare defectu: qui diligentius requisitus tandem aliquando apparebit: si autem nullatenus detegi potuerit, vel recurrendum erit ad auctoritatem theologorum, vel norma S. Sedis repetenda; at si nihil inde obtineri possit, negandum potius erit suppositum, quod altera pars revera ad moralem certitudinem attigerit.

Ista porro, quae sine dubio est vera ratio intrinseca *elisionis* explicari potest exemplo *staterae* quo tantopere insistunt aequiprobabilistae, dummodo discrimina advertantur quae aequivocationem operiunt atque comparationem claudicare faciunt. Atque praecipuum discrimen in eo est quod ad tollendum staterae aequilibrium, solum pondus seu *quantitas* corporis concurrit, nec *qualitas* materiae lanci impositae in pondus influit (praescinditur nunc a pondere specifico); unde de ordinaria sta-

tera, sed de ea sola recte scribit Patuzzi ab Auctore relatus: « si in lance, hinc quatuor auri, inde quatuor ferri vel plumbi, aut si velis, etiam palearum libellae imponantur: in unam potius partem ferturne libra quam in aliam, quia ponderum prementium diversa ac dissimilis materia est? Nonne perspicuum est non qualitate sed quantitate lancem deprimi? »

At in relatione ponderis motivorum ad mentis inclinationem per assensum, cum pondus motivis insit ex *qualitate* eorum; i. e. constituatur ex natura medii termini quo conficiuntur syllogismi utriusque partis, comparatio *immediata* unius partis cum altera utique fieri poterit si medius terminus sit utrinque idem, quo in casu undique quadrat similitudo librae; qualitas *eadem* motivorum efficit ut *possint* in *eadem* statera ad invicem comparari: quemadmodum nisi vires physicae confluant in idem punctum non potest haberi resultantia (cf. Schiffini Ph. mor. n. 173 obj. IV. — apud Auctorem n. 135.) Si vero medius terminus utrinque disparatus sit, et motiva ex una parte attingant ex se moralem certitudinem, poterunt quidem in eadem statera conferri, i. e. ad invicem immediate comparari sed aequilibrium vel potius immobilitas obtinebitur non vi *resultantiae* i. e. differentiae *excessus probabilitatis* ut sic, sed quia una pars *totaliter deprimetur recidetque in planum, trabocca* sicut audivimus a S. A. perinde ac si *nullo pondere lanx altera gravaretur*: i. e. vi certitudinis moralis istius partis quae mentis firmat aequilibrium formidine vel fluctuatione expers: uno verbo, non tam comparativus ponderis excessus, quam ipsum planum tribuit lanci firmitatem. [1])

---

[1]) Quod S. Alphonsus egregie expressit, loco ab auctore relato n. 129. dicens: majorem probabilitatem non elidere minorem... « nisi opinio probabilior habeat pro se tam *convincens* argumentum, ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. » Ipse autem, th. mor. l. 1. n. 70. § *Item S. August.* argumentum *convincens* explicat per moralem *objectivam* certitudinem. (Cf. Ball.

Si vero neutra pars moralem certitudinem attingat, cum medii termini sunt utrinque diversi, motiva immediata ad invicem comparari non poterunt, nec valebit similitudo unius staterae; sed singula sejunctim in diversis stateris ipsi certitudini objectivae i. e. evidentiae morali, et deinde falsitati sive improbabilitati conferenda sunt, medio scilicet termino singulorum *in se* ponderato; unde conclusio remanebit in ancipiti; donec intellectus ab una parte quam improbabilem sive dubie probabilem noviter invenerit, possit recedere, vel alteri quam moraliter certam deprehenderit, satis firmiter inhaerere valeat.

Paucis itaque; ut *possit* adhiberi comparatio staterae in qua aequilibrium *resultat* ex confluentia virium, debent motiva ex eodem medio termino desumi; secus ne comparari quidem ad invicem possunt. — Si desumantur ex mediis terminis diversis, et alterum eorum sit moraliter certum, adhiberi potest, et a

---

v. 1. append. 1. n. 12.). objectivam, dico; quia *argumentum* non est quid subjectivum, sed objectivum, mente intellectum, mentique praesuppositum. Porro argumentum a parte rei moraliter certum non habetur donec prudenter formidari potest de veritate speculativa praemissarum quantumvis probabiliores sint; nisi supponatur certa jam illa lex reflexa Rassler, sequendi notabiliter probabiliora ut sic. Haec enim lex si adesset induceret moralem certitudinem in conclusione. Verum in quaestione praecise est utrum adsit; neque Rassler, uti vidimus, eam demonstrare valuit. Imo S. Alphonsus, l. c. satis aperte huic legi contradicit, cum totus ibi sit in probando quod juxta SS. PP. et scholas universas, non liganur, donec lex moraliter certa non sit; atque cum Augustino reprobet eos « qui in dubiis nihil rectum existimant nisi quod... certum esse dignoscitur. » Porro illi qui hanc legem reflexam admittunt, in hunc scopulum incidunt; cum ex possessione libertatis argui posse contra legem tantum probabiliorem, negent, uti audivimus a Rassler et a Mayr.

S. Alph. equidem tenet nos lege notabiliter probabiliore obligari, id tamen ideo tenet quia excessus notabilis et *subjective certus signum* ipsi est *a posteriori* moralis *objectivae* certitudinis ex illa parte, et dubiae ad summum *objectivae* probabilitatis ex parte opposita.

S. Alphonso adhibita est comparatio staterae; non quidem staterae in qua aequilibrium resultat ex differentia virium; sed staterae cujus una lanx totaliter decidens in planum, ab eo firmitatem obtinet, perinde ac si nullum pondus alteri fuisset impositum.

Praeter istos duos casus, comparatio staterae unius, omnino claudicat, negandumque est suppositum, motiva scilicet *posse* ad invicem immediate comparari; se habent enim potius ad invicem veluti duae lances unius staterae, quae immobiles consistunt, *nullo pondere imposito: motiva* sane ex diversis mediis terminis desumpta non se destruunt, neque objective, neque in intellectu, quia constituunt judicia disparata quae non possunt contradictorie opponi. — Conclusiones utriusque partis erunt utique contradictoria judicia quae si singillatim certitudini objectivae sive evidentiae, atque falsitati sive improbabilitati comparentur, invenientur magis vel minus vel etiam aequaliter ad veritatem accedere. Sed inde nequaquam *resultabit* in intellectu unus effectus indivisus, ut scribit Auctor pag. 145; sed duo elicientur *judicia* de *probabilitate* utriusque partis contradictoriae: resultabit potius in intellectu tertium judicium suspendens assensum firmum et *certum ipsi rei*, secundum alterutram partem. (Cf. nostram disp. primam sect. II. P. I. n. I. II. pag. 19. sqq.)

Ex quibus concludere licet, cum Cl. P. Schiffini, argumentum ex statera desumptum reapse nihil esse nisi puerile sophisma; magis autem ineptam et puerilem esse confutationem quam R. Auctor solutioni Patris Schiffini voluit adhibere.

Ineptissima vero est responsio ab Auctore data alteri assertioni Patris Schiffini et M. Liberatore: « est plane falsum, aiunt, unam contradictoriam evadere improbabilem, eo quod cum probabiliori conferatur: non enim subobscurior lux in tenebras convertitur eo quod cum vividiore comparatur. » Porro Auctor, ne cogamur heic integrum ejus textum transcribere, in re apertissima quae non potest nisi futilissime negari, confundit probabilitatem quae est *apparentia* sola veritatis cui subesse

potest falsum, cum ipsa *veritate:* unde excessus *apparentiae* tantum veritatis non efficit ut ex altera parte apparentia veritatis ex alio fonte desumpta, vertatur in apparentiam falsi, vel in falsitatem ipsam, i. e. in tenebras. Lux in comparatione a P. Schiffini allata non est ipsa *veritas,* sed haec *apparentia veritatis* quae haberi potest major pro uno objecto, minor pro altero contradictorio. Necdum scitur qua ex parte se teneat veritas, qua falsitas, licet disjunctim et indeterminate sciatur alterutrum objectum contradictorium, debere esse verum, alterum falsum. Unde in casu duarum probabilitatum oppositarum, duo luminaria, quae sunt duo ista opposita motiva probabilitatis tendunt ad *eumdem* lucis suae effectum diffundendum, in objecta *opposita:* objecta sunt opposita: formalitas probabilitatis est utrinque eadem, licet in gradu inaequali: neutrum vero motivum, prout probabile est tendit ad *negationem veritatis,* i. e. ad tenebras menti inducendas; unum utique tendit ad lucem inducendam i. e. apparentiam veritatis in *objectum* quod est *negatio* oppositi.

Tandem refutatio ab auctore proposita sub n. 134, animadversioni P. Lehmkuhl, nititur et ipsa falso illo supposito a nobis jam in prima disputatione undecumque dissoluto, intellectum necessaria quadam inclinatione moveri erga veritatis apparentiam, sicut voluntas bono indeliberate allicitur.

Tota itaque R. P. de Caigny demonstratio a n. 124 ad n. 136 artificiose quidem ducitur sed necessario desinit in errorem, quippe quae ex triplici falso principio profecta est; primum est falsa opinionis definitio; alterum, erroneus facultatis intellectivae conceptus, tertium, perpera comparationis staterae applicatio. Nec est cur diutius in hisce immoremur.

## PUNCTUM XI.

***In art. II. — Quid decerni possit de probatione ab Auctore desumpta ex relatione intellectum inter et voluntatem.***

Recolenda heic sunt verba S. Alph. th. mor. l. 1. in fine n. 56, a nobis alias recitata atque ad trutinam etiam revocata (disp. secunda, sect. I. Punct. IV.)

Auctor itaque ut istum S. D. Alphonsi locum ad proprium aequiprobabilistarum sensum facilius trahere valeat, propositionem nunc statuit et undequaque propugnat (a n. 137-145).

« Voluntas nequit licite imperare assensum opinioni libertati faventi, in concursu opinionis certe probabilioris pro lege. »

At praeterquam quod S. Alphonsus opinionem *certe* probabiliori oppositam tenet esse *objective* improbabilem, nedum subjective tantum, sicuti Auctor noster, quippe quam S. Doctor dicit carere *fundamento certo* quod *possit* esse vera ; insuper, quemadmodum loco citato et alibi animadvertimus : ut quis licite possit sibi efformare dictamen conscientiae practice certum ex principiis reflexis, pro libertate contra legem, neutiquam necesse est ut possit *rei* assentiri secundum partem pro libertate, minus probabilem, sed sufficit ut speculative possit prudenter et certo judicare hanc partem esse probabilem, i. e. fundamentum certum objective exhibere prudenti formidini de ejus veritate, si velit alteri oppositae probabiliori assentiri : sufficit nempe judicium de *probabilitate* hujus partis, non requiritur judicium de *ipsa re* secundum eam partem.

Quo semel statuto, tota controversia ad Auctore hac sua propositione evoluta, potest sine ullo detrimento praetermitti : sive enim vera sit ejus propositio, sive falsa, in hypothesi quod probabilitas solida partis inferioris possit speculative et certo affirmari, licitus erit usus principiorum reflexorum, nisi quaedam

alia lex certa adstringat ad tutiora (ut. v. g. si agatur de valore sacramenti etc.).

Coeteroquin et plura quae heic ex S. Thoma recoluntur, decursu nostrarum disputationum explicata sunt. Alia nullam prae se ferunt difficultatem.

Conclusio totius quaestionis sub n. 145, postquam verum sensum S. Doctoris Alphonsi in disputatione secunda critice demonstravimus sive relate ad ejus systema, sive relate ad notam laxitatis quam probabilistis saeculi XVII. inussit; conclusio Auctoris inquam, logice in ipsum retorquetur; ipse sane est qui *methodo* logicam offendit, atque « *criterio subjectivo* nimis indulget; » imo « *a temeritate* non videtur immunis » (ut ipsissimis ejus verbis utamur), dum legem illam reflexam confingit et tuetur in detrimentum libertatis quam a Deo accepimus: unde non in laxismum sed in excessum vergit oppositum quo, juxta S. Doctorem Alphonsum et alios, ad gehennam *perniciosissime* aedificatur.

# DISPUTATIO QUARTA.

## *Probabilismus a S. D. Alphonso traditus a nonnullis aequiprobabilistarum fallaciis vindicatur.*

Auctorem heic in capite quarto disserentem sequemur, in quo « nonnullas tantum objectiones, quae passim apud recentiores Probabilistas occurrunt, resolvere conatur. » Quatuor porro objectiones recenset in partem *historicam* quam disputatione secunda evolvimus, atque duas in partem *juridicam* quae disputationi tertiae respondet. Cum autem plura heic allata in medium, antecedens crisis jam irrita fecerit, brevius licebit in praesenti nos expedire.

### PUNCTUM I.

***In art. I. cap. IV. — Perpenditur refutatio objectionis I. de mente S. Alph. circa auctores saeculi XVII.***

Auctor noster heic transumpsit conclusionem aliquam disjunctivam a P. Lehmkuhl deductam, quam ut facilius dissolvisse videretur, a praemissis sejungendam esse duxit. Integer itaque P. L. textus sic se habet:

Postquam retulit loca in quibus S. Alph. simplicem profitetur probabilismum et alia in quibus ab eo videtur discedere, atque nominatim textum ex opere H. A. tr. 1. n. 31: « Hanc sententiam (licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit probabilior), elapsi saeculi auctores quasi communiter tenuere; sed

nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse. »; P. Lehmhuhl *primo* critice statuit mentem S. Alphonsi esse ut quasdam probabiliores opiniones pro lege relinqui liceat, eas nempe quibus adhuc solida probabilitas opponitur pro libertate; quasdam vero alias probabiliores pro lege relinqui non liceat, eas nimirum quarum excessus certus et notabilis, signum a posteriori est oppositam benignam opinionem non esse amplius objective probabilem: *deinde* innuit occasionem proponendi simplicem probabilismum sub hac distinctione, datam S. Doctori fuisse ex ipsa Probabilioristarum definitione opinionis probabilioris; — tandem ita prosequitur:

« Quod si perpendo dictum S. Alphonsi supra citatum ex H. A. persuadere mihi non possum, S. Doctorem vere laxitatis notam « auctoribus elapsi saeculi » inurere voluisse: sed id solum eum intendisse, ut diceret, axioma illud: licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate, etsi opinio pro lege sit certe probabilior, nisi sobrie et moderate sumatur, ansam laxae applicationis praebere posse; propterea se probabilismi axioma non illis sed aliis verbis concipere maluisse, insistendo maxime in eo, quod opinio illa minus probabilis, debeat tamen manere *vere* probabilis, non fieri tenuiter tantum probabilis. — S. Alphonsum non intendisse, ut diceret, auctores elapsi saeculi *quasi communiter* hanc laxam interpretationem et applicationem fecisse lectori evidens fit si attendit quid dicat S. Alphonsus in apologia dissertationis de moder. usu opin. prob. ann. 1765: « non praetendi neque praetendo novum systema statuere: bene etiam scio, nullum probabilistam solidae doctrinae licitum declarare usum opinionis tenuiter vel dubie tantum probabilis. Sed quia multi probabilistae sine distinctione dicunt, licere sequi opinionem minus probabilem, si fundata sit in ratione vel auctoritate, ego volui distinguere etc. »

« Ergo necesse est (hic incoepit transcribere P. de C.) *alterutrum fateamur: aut S. D. expresse ab Auctoribus saeculi XVII notam laxitatis dispellit aut ipse eos quasi communiter pro auctoribus non solidae doctrinae habet. Quod postremum quam absurdum sit, multum prosequi opus non est.* (Hucusque transcripsit P. de C.). Maxima enim pars scriptorum quibus S. Alphonsus usus et quos secutus est atque laudibus effert sunt scriptores saeculi XVII. Ex omnibus igitur quae de S. Alphonso hucusque disputavimus, colligitur, Ecclesiam positive approbando opera et doctrinam S. Alphonsi etiam approbasse usum opinionum, quae vere probabiles sint et maneant, libertati faventium.

Quod eo magis patet, quia constat S. Alphonsum constanter consuluisse scriptores probabilistas, iisque in doctrinis particularibus consensisse, imo complures esse opiniones ab auctoribus qui probabilismum simpliciter profitentur, rejectas ab iis scriptoribus probabilistis, quos S. D. nominatim nimis benignos vocaverat. (Cf. e. g. S. Alph. l. 4 (al. 5). n. 163, 171, 176; l. 6. n. 282 in fine; ubi invenies S. Doctorem contra Antonium a Sp. S., Th. Tamburini, G. Gobat in benignio rem sententiam transiisse). Demum argumenta quae S. Doctor pro licito usu moderati probabilismi affert, ea sunt, quibus quilibet probabilista insistit et ex quibus principium probabilismi invicte probatur. »

Sic P. Lehmkuhl, atque egregie.

Rev. P. de C. itaque recitatis tantummodo verbis P. Lehmkuhl quae illam disjunctivam continent, duo respondet: PRIMUM est, disjunctivam non esse adaequatam, quippe cui assignari potest tertium membrum ipsumque, ait ipse, veritati conforme: nimirum « aut S. Doctor eos habet velut auctores qui specialem de Probabilismo controversiam complete ac dilucide nondum absolverunt. »

Verum et ipsum tertium hoc membrum est distinctioni obnoxium:

Nam duplici sensu intelligi potest controversiam de Probabilismo non fuisse absolutam: vel quatenus ipsa praecipua Probabilistarum *conclusio* « de licito usu opinionis minus probabilis pro libertate, quae tamen adhuc fuerit absolute et relative solide probabilis, » aestimetur non omnino vera; vel quatenus, licet *conclusio* haec judicetur *vera* (quando quaestio est de sola honestate actus non vero de ejus valore, aut de fine tutius consequendo), tamen *quaedam argumenta* et *quidam modus eam proponendi* non judicentur convenientia, praesertim relatione habita ad speciales quosdam adversarios. —

Jamvero si primo sensu S. Doctor Alph. unquam a Probabilismo recessisset, utique sequeretur, uti tenent aequiprobabilistae, falsam esse P.is Lehmkuhl illationem: « ex illo textu, ait P. d. C., concludit doctus Jesuita, S. Alphonsum reapse a Probabilismo simplici nunquam recessisse. » — At, si altero sensu controversiam nondum absolutam existimavit Alphon-

sus, nullatenus sequitur P.em Lehmkuhl errasse in sua illatione: imo sequitur S. Alphonsum doctrinam probabilisticam simpliciter retinuisse, modumque tantum eam proponendi suis et Probabilistarum adversariis, mutasse, ac unum alterumve argumentum quo ab aliquibus propugnabatur, abnuisse, coetera vero vel explicite vel implicite jam ab aliis probabilistis adhibita, magis perspicue, si velimus, proposuisse. — Porro idipsum contigisse *probat* P. Lehmkuhl toto n. 89, et nos tota disputatione secunda critice demonstrasse videmur. — Unde *hoc semel statuto*, verba S. Alphonsi ex *H. A.* desumpta, sensum involvere non possunt qui S. Doctorem faciat a substantia doctrinae simpliciter probabilisticae recedere: ergo disjunctiva P. Lehmkuhl est adaequata: vel enim S. Doctor notam laxitatis in illo textu expressam non ipsi doctrinae probabilisticae quam ipse retinet, affixit, vel propriam et classicorum illorum Auctorum doctrinam non solidam habet. Quod postremum quam absurdum sit nemo non videt. — Atqui si notam illam laxitatis S. Alph. ipsi doctrinae probabilisticae noluit affigere, nihil superest nisi ut existimaverit, quemadmodum crisis nostra in aperta luce, ut fallimur, reposuit, *modum* proponendi eam, infidis adversariis ansam praebere posse calumniosae interpretationis, ideoque valde relative tantum et ratione accidentali *periculi extrinseci* laxum dici posse.

Alia ab Auctore congesta in prima parte suae responsionis, jam ex se ruunt, vel a nobis critice ad verum sensum sunt in antecedentibus restituta.

ALTERUM quod ab Auctore reponitur, revera, dum videtur Patrem Lehmkuhl impetere, ipsum impetit S. D. Alphonsum qui hanc thesim non semel expresse propugnavit (Cf. v. g. diss. ann. 1755. n. 9. 10. — Rispost. apologetica a Patuzzi, *pag. 31. sqq.* pag. 10. dell' edit. torin. del 1829. Cf. et d' Annibale *summ. P. 1. n. 263.* (2) *edit. 3a.*) Sufficeret itaque egregium Auctorem remittere ad haec ejus Parentis loca; sed operae pretium est etiam ejus responsiones speciatim retundere. Et primo quidem adverti potest quod si illis S. Alphonsi verbis laxitatis nota ipsi

probabilistarum doctrinae fundamentali affigitur, eis non solum DD. classici inuruntur qui saeculo illo floruerunt, sed et ii qui multis antecedentibus saeculis in Ecclesia Dei doctrina et sanctitate fuerunt conspicui, quippe qui eadem quoad substantiam et praxim docuere et retinuere: uti, B. Alb. Magn. S. Thomas, S. Antoninus, S. Raymundus a Pennafort, S. Bernardus, S. Petrus Damianus, S. Franc. Salesius, ne loquar de PP. Ecclesiae. Igitur aequiprobabilistae ut S. Doctorem Alphonsum nimio zelo attollant, logice deducuntur ad alios quatuor saltem Ecclesiae doctores deprimendos. (Cf. celebrem Christ. Lupi dissertat. [1]) et S. Alph. diss. a. 1773. n. 39.). Sed hoc parum est, dum ipsa Ecclesiae, morum custodis infallibilis, vigilantia impetitur. Audiamus sane ea quibus Auctor noster supracitatum S. Alphonsi argumentum infirmare conatur: cum enim praesumenda sint validissima inter omnia quae ab aequiprobabilistis Auctori anterioribus fuerunt excogitata; si ea ipsa nullius esse momenti probaverimus, invictum sane et immotum stabit S. Alphonsi argumentum.

« En quomodo (haec objectio) ait P. de C., proposita atque refutata fuit a doctissimo Mayr S. J.: « sententia de licita praxi opinionis minus tutae et minus probabilis, fuit ultra centum annos communis in Ecclesia Dei: ergo universaliter errasset Ecclesia, si sententia haec non esset vera; atqui hoc Deus non potuit permittere; ergo. — Resp. si adversarii possunt hoc deglutire, quod doctores longe diuturniori tempore erraverint imponendo hominibus onus, quod Deus non imposuerat, quodque suo modo erat occasio peccatorum formalium, cur non potuerint minori tempore errare alii et quidem errore tantum inducente ad peccata materialia? Certe inevitabiliter admitti debet quod aliquando longo tempore erraverint doctores (asserentes non dari ignorantiam invincibilem juris naturalis); nec tamen propterea erravit Ecclesia, quae nunquam ullam ex his duabus sententiis definivit;

1) Op. tom. XI. Venet. 1729.

quamvis autem magna pars fidelium erraverit in opinando, et multi etiam in operando, non tamen errarunt omnes: et etiam istos bona fide excusatos fuisse facile concedo. » (th. sch. tr. IV. n. 368.) »

Resp. 1) neganda est paritas inter utramque controversiam: ista enim, utrum detur ignorantia invincibilis juris naturae, est quaestio *facti*, illa, de usu licito opinionis solide probabilis, quamvis minus tuta et minus probabilis sit, est quaestio *juris*: unde dum haec necessario solvenda est ut possit in casibus innumeris efformari conscientia practice certa de honestate actionis, prior quaestio e contra non influit in formalem actionis malitiam, quae pendet a *facto* quod *actuali* advertentia cognoverit agens vel non malitiam suae operationis saltem quando primam ejus causam posuit. Ad summum solutio hujus quaestionis facti, requiritur in confessario ut possit *prudenter* poenitentem in posterum docere. Quae res practicam applicationem habet v. g. in puerulis inhonestatis malitiam ignorantibus. — Unde negatur simpliciter persuasionem veritati contrariam quae a Mayr longiori tempore exstitisse dicitur, causam fuisse peccatorum formalium. Sed

2) neque verum est hanc contrariam persuasionem adeo et tamdiu in scholis invaluisse: Suarezium audiamus testem profecto in hac materia de legibus, omni exceptione majorem : (de leg. l. II, c. VIII. n. 7.) « Hic vero occurrebat quaestio, an haec ignorantia naturalium praeceptorum possit esse invincibilis. Castro supra significat non posse et fuit *aliquorum* theologorum opinio, ut videre licet in Alens. 2 p. Q. 153. a. 3. et Durando in 3. dist. 25. q. 1. Et *inclinant etiam aliqui* juristae, ut patet ex Gratiano, post cap. *turbatur* 1. q. 4. et glossa in c. ult. de consuetud.... Mea sententia breviter est prima principia ignorari non posse ullo modo, nedum invincibiliter : praecepta vero particularia quae vel per se nota sunt, vel facillime et ex per se notis colliguntur, ignorari quidem posse, non tamen sine culpa saltem per longum tempus, quia et facillima diligentia cognosci possunt, et natura ipsa et conscientia ita pulsat in

actibus eorum, ut non permittat inculpabiliter ignorari, et hujusmodi sunt praecepta decalogi, ac similia : et hoc satis significavit Paulus ad Rom. 2. nam de transgressionibus horum praeceptorum loquebatur, quando de gentibus dicebat datas esse in reprobum sensum propter peccata sua. Et idem sumitur ex cap. *flagitia* 32. q. 7. Alia vero praecepta, quae majori indigent discursu, ignorari possunt invincibiliter, praesertim a plebe, juxta cap. *Objiciuntur* 1. Q. 4. et ratio per se facilis est. Videatur Corduba l. 4. Quaest. 4. et Soto. 1. de just. Q. 4. art. 4. » — Ita Suarez.

Porro si nunc S. Alphonsum adeamus in notissima dissert. in th. m. l. 1. n. 170-174. inserta, addiscemus hanc, quam brevissime heic proponit Suarez, fuisse omni tempore exploratam unanimem et certam theologorum, DD. Ecclesiae et PP. sententiam ; eam imo a Pio V et ab Alexandro VIII, supponi in damnatione plurium propositionum, Baianorum et tutioristarum (pr. 2. 3. 8 etc. Alex. VIII. pr. 68. Pii V). Quocirca antiquiores illi quos Suarez dissentientes attulit, censendi sunt potius de aliquo particulari praecepto dubitasse utrum posset invincibiliter ignorari, quam thesim generalem contrariam instituisse, atque vere dissentientes invenimus tantum cum jansenistis, paucos illos rigidos quos nominat S. Alphonsus, quorumque auctoritas in scholis catholicis brevi in totalem existimationis jacturam delapsa est.

Deficit itaque omni ex parte paritas in argumento Antonii Mayr.

Prosequitur autem Auctor : « Quo magis infirmetur objectio, observes, quaeso, benigniorem sententiam máxime receptam fuisse in ipsis hujusce controversiae exordiis imo iis praesertim decenniis (1620-1679) quibus *laxitatis* spiritus adeo flavit, ut Alexander VII et Innocentius XI plures propositiones probabilisticas damnare coacti fuerint. ».

At, quaeso ego, num uti valida Auctori nostro forte habetur illatio : *post hoc, ergo propter hoc ?* Probabilismus sane, ut compertum ipsi S. Alphonso fuit, non *per se*, sed *per acci-*

*dens* omnino occasio exstitit laxitatis profitendae anomalis quibusdam ingeniis, quale fuit v. g. ingenium Caramuelis, principis laxistarum; imo dum satis aegre critice demonstraretur aliqua ex istis propositionibus, in sensu quo damnatae fuerunt, reapse fuisse ab aliquo probabilista solidae doctrinae propugnata; facillime e contra plures laxiores doctrinae apud rigidos in terminis expressis propositae inveniuntur: quod S. Alphonsus jam adverterat, easque propositiones seorsim in una cartula e suis auctoribus decerptas transcripserat, uti narrat ipse aliquo in loco. Insuper iis decenniis floruerunt Reginaldus, Layman, Bonacina, Salmanticenses, Castropalao, De Lugo, et alii qui sibi a S. Alphonso etiam post ann. 1762, eximiam laudem sunt emeriti.

Qui vero labente saeculo XVII et saeculo XVIII a probabilismo simplici recedendum sibi esse autumarunt, non fuerunt *complures* iique *nobiliores*, quemadmodum subjungit P. de C. sed teste Rassler ipso (*disp. III. n. 933*), fuerunt praeter rigidiores et probabilioristas, Ant. Perez Benedictinus, Burgos de Paz, Franc. de Araujo, J. Martinez de Prado, And. Junius, Ant. Th. Schiara, Ant. Coton. Card. Pallavicini, Matth. Kresslinger, Esparza, Rebellus, Herincx, et Auctor epistolarum ad Alexandrum. Accedunt ipse Rassler, Mayr et forte Eus. Amort. Ex hisce porro Esparza merito expungi potest, juxta superius animadversa; similiter Rebellus de quo conferantur Ballerini in op. mor. vol. I. de consc. n. 127. et P. Lehmkuhl v. I. n. 78 in notula; — Herincx ab ipso Rassler l. c. dicitur *videri tantum* in eam sententiam *propendere*; Card. Pallacivini aperte docet benignam, sed a Thyrs. Gonzalez (fundam. th. mor. introd. n. 23. — dissert. 13. c. 2. n. 76. 93.) atque ab Eus. Amort th. dogm. mor. de consc. pag. 126) narratur *voluisse* eam retractare ante mortem: reipsa Gonzalez cit. n. 93. sq. recitat aliquam ejus epistol. in qua, retractationem exhiberi dicit. Atvero in ea epistola ad P. M. Elizalde, 27 Maii a. 1662. Pallavicinus non rejicit benignam sententiam, sed perperas ejus sententiae interpretationes sive extensiones, uti legenti fit manifestum. — Andr. Junius iterum a Gonzalez

(introd. n. 29.) perhibetur reliquisse praelo dispositum tomum magnum de conscientia, ex quo Gonzalez excerpit aliquas propositiones aequiprobabilismum continentes. Atvero probari deberet Junium eas intellexisse de aequalitate in *gradu* non vero de aequalitate in ratione *specifica* solidae probabilitatis, eodem nempe modo quo alteram suam regulam intellexit S. Alph. — De J. Martinez Prado et Fr. Araujo meminisse sufficit eos communiter puris probabilistis adnumerari (Cf. catalogum auctorum ad calcem vol. II. P. Lehmkuhl, edit. 8). Coeteri qui nominantur a Rassler, nescio num possint nobiliores appellari. Unici superessent itaque tres illi, Rassler, Mayr, Amort, jam a P. A. Lehmkuhl (v. 1. n. 78 in fine) tamquam primi aequiprobabilismi parentes propositi. Caveamus igitur a fuco.

Quod tandem Auctor sub fine n. 147 adjungit ex S. Alph. in alia occasione: « auctoritatem extrinsecam sapientum magni non posse esse ponderis, ubi *intrinseca* ratio certa videtur et convincens; tanto magis cum ipsa sufficienti aliorum auctoritate non destituatur. » Hoc, inquam, de probabilismi patronis qui saeculo XVII, laxismum fuisse professi accusantur, dici omnino nequit: cum et *ratio* eorum doctrinae opposita, undequaque labilis, nedum *certa* et *convincens* appareat; et *auctoritas* quam aequiprobabilistae hodierni suo systemati suffragari autumant vel contra ipsos militet, vel ad duos tresve auctores alicujus valoris restringatur (Rassler nempe, Mayr, et forsitan Amort). Sermonem nunc inducere nolo de illis recentioribus, uti v. g. Scavini, Gousset, qui ideo aequiprobabilistae appellari unice possunt, quia S. Alphonsum secuti sunt, quem aequivoca interpretatione (quemadmodum auctori nostro contigisse ostendimus) aequiprobabilismi fuisse patronum arbitrabantur [1]) — Posset idcirco pleno jure hoc ultimum argumentum in Auctorem retorqueri. Quo tamen praetermisso, ad alia properemus.

---

[1]) Hisce accenseri forte posset Card. D'Annibale [Summula. edit. 3. t. 1. n. 259-(21)] nisi et ipse [ibid. n. 261 (30)] agnovisset paulo post,

## PUNCTUM II.

***In art. I: — Perpenditur interpretatio ab Auctore S. Alphonsi verbis adhibita, in refutatione II et III objectionis.***

Objectionem II Auctor sibi confingit ex verbis Cl. Bouquillon quem ita scribentem inducit : « Solus loquendi modus, quem adhibet S. Alph. ostendit aliam fuisse ejus mentem — nimirum aliam ab interpretatione aequiprobabilistarum — : « Circa primam quaestionem (nempe an licitum sit sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori), *citius me expediam* : resolutio enim est patens ». Nam non solet vir prudentissimus tam cito et tam facile se expedire a quaestionibus magni momenti, praesertim quando contra se habet omnes fere doctissimos theologos ».

« Respondeo, subsumit Auctor, quod S. Alph. citius se a prima quaestione expedivit, *transeat*. Quod ita non egisset, ob rationes assignatas, si simplicem probabilismum repudiasset : *nego ;* siquidem ipsum non solum *decuit* sese citius ab hac quaestione expedire, sed S. D. etiam et *voluit* et *potuit* ».

Primum autem probat *a*) ex eo quod S. Alph. Patutium infensissimum sibi adversarium, eumque Probabilioristam prae coeteris impugnare intendebat. Finis autem iste non exigebat ut a Probabilistis, si forte ab eis dissentiret, in hac prima quaestione, etiam se tueretur. Ergo ex eo quod quaestionem expedit quin ab istis se tueatur, non sequitur quod ab eis non dissentiret.

*b*) Vicissitudo temporum, quibus Societati Jesu S. Alphonso maxime dilectae, ultima ruina imminebat, positivam ei causam

---

S. Alph. l. 1. 56, sensu probabilistico fuisse locutum. Cf. quae infra dicemus de principio possessionis.

praebebat, cur prudentissime abstineret ab aggrediendo directa et diffusa impugnatione doctrinam quam potissimum hujus ordinis asseclae prae coeteris theologis tradiderant [1]); ne scilicet doctrinam impetendo, personas etiam exosas habere videretur: satis erat, citius *ac nervose* diversitatem suae doctrinae a doctrina eorum adstruere.

Verum reponimus ad 1^m^ rationem allatam: finem *adaequatum* S. Alphonsi in dissertatione theologiae morali inserta, (de qua sola hic sermo est), fuisse ut proponeret et propugnaret stabiliretque proprium systema, unde Patutium confutavit non tantum ejus assertiones impugnando eaque diluendo, sed veritatem positive et *thetice* demonstrando. Ad hoc porro conducebat probatio *ratione et auctoritate undequaque firmata*. Jamvero, si primam illam regulam intellexit S. D. sensu probabilistico, omnia bene concordant: conclusio enim ex allatis rationibus fit statim evidens tam probabilistis quam probabilioristis, nec quidquam addendum occurrit, ut demonstratio sit plena.

Si e contra primam illam regulam, sensu aequiprobabilistico Sanctus Doctor intellexisset, quantumvis probabilioristae in eumdem sensum convenirent, ut *undequaque firmaretur probatio*, ratio in illo loco classico, danda etiam erat cur a sensu probabilistico quem antea ipse tenuerat, recederet; atque argumenta propria illius sensus non vero hujus erant proponenda. Atqui neutrum istorum fecit ibi S. Alphonsus: nam e contra thesim suam, proponit ut *patentem* et *claram* et rationi patenti et clarae ut quis assentiat, necesse non est ut profiteatur probabiliorismum: demonstrationi evidenti omnes cedunt; insuper rationes quas proponit ibi S. Alphonsus, non sunt argumenta propria aequiprobabilistarum, Rasslerii et Auctoris nostri, si-

---

[1]) Recolatur in thesaur. Zaccariae vol. IV. (Venet. 1762) opusc. V. libri II. P. G. Danielis; Ubi recensentur gravissimi DD. ord. S. Dom. qui ante theol. S. J. purum probabilismum patrocinati sunt. Epistol. II. pag. 362.

cuti jam alias advertimus, sed sunt rationes quibus thesis illa prima sensu probabilistico intellecta demonstratur. — Ergo ex praemissis Auctoris nostri sub a), sequitur penitus opposita conclusio.

Ad 2^m^ b), de illa prudenti ratione agendi, reponimus: *transeat totum*: quod scilicet si a Iesuitarum doctrina voluisset dissentire, maximam prudentiam et charitatem exercuisset, ita agendo ut dicit Auctor. Atvero spectandum est non quid *potuisset facere*, sed quid *revera fecerit:* porro, uti paulo antea dicebamus, argumenta quibus suam primam thesim probat reapse sunt Iesuitis illis communia et rem conficiunt in sensu probabilistico: praeterea tota nostra secunda disputatio demonstravit S. Alphonsum in modo loquendi tantum, nullatenus in substantia systematis a probabilistis illis Iesuitis dissentire. Rursus igitur nihil concludit Auctor hac 2^a^ ratione.

Sub n. 150 deinde ipse ostendere nititur S. Alphonsum *voluisse* et *potuisse* in dissert. ann. 1762 citius sese expedire. Quoad hanc conclusionem, libentes convenimus in eam, non tamen in rationes quibus ab Auctore probatur: nam istae nullius sunt efficaciae.

Primo enim, explicatio allata ex introductione apologiae ann. 1764, (edit taur. a. 1829 quattro apolog. p. 7.) alludit ad secundam regulam de acquiprobabili atque ad rationem fundamentalem ipsius probabilismi, legem dubiam non obligare, uti patet legenti totum S. Alphonsi contextum; contra hanc enim rationem, non contra primam regulam dirigebantur omnes Patutii impugnationes. Unde id quod dicit heic S. D.: « mens mea non fuit disserere ibidem de tot aliis capitibus et argumentis.... » non exhibet rationem cur a prima regula citius se expediverit: ratio enim haec ab ipso in dissertatione fuerat jam allata: quia scilicet res est patens, atque, ut alibi [1]) advertit, ipsi probabilistae conveniunt legem obligare

---

[1]) Corr. spec. epist CLXXXVIII alias a nobis citata et ab auctore infra n. 154.

quando est omnino notabiliter probabilior. Quae ratio profecto sufficiebat ut diutius necesse non foret in ea re immorari.

Quae ab Auctore de *celebri Monito* adduntur: « quae brevis quidem scriptura est sed suco ac sententiis referta, quae omnem ex argumento ambiguitatem paucis excludit »: ista, inquam, non Auctoris sed nostram sententiam probant: cum, quoad primam regulam, argumenta in eo monito allata sint probabilistica, non vero illa aequiprobabilistarum.

Textui tandem ex Rassler hic transcripto debitam distinctionem jam attulimus (disp. III. Punct. IV. p. 139).

Omnia quae a P. Caigny sub n. 152 et sqq. congesta sunt ad solvendam objectionem III. de sensu verborum S. Alph: *certe aut notabiliter probabilior*, jam in antecedentibus diluta omnino sunt, dum in prima disp. sect. II. P. XIV. ostendimus falso supponi a plurimis, S. Alphonsum unam tantum sub uno eodemque respectu opinionis probabilis divisionem instituisse. Unde confusionis evitandae causa, omittere licet et schema P. Haringer et schema P. Heilig, quamvis istud pro parte opinionum oppositarum notabiliter probabiliori et probabilissimae, menti S. Alphonsi in secunda divisione instituenda satis conveniat. Ea, inquam omittere licet quia in subordinata recensione opinionis probabilioris, notabiliter probabilioris probabilissimae, non distinguunt duplicem illam divisionem sed confundunt. — Praeterea de elisione illa quam Auctor heic rursus inducit, jam satis diximus. — Tandem distinctio ab eodem invecta opinionis probabilis, *primo aspectu* et *vi melioris considerationis*, supponit opinionem in primo aspectu seu consideratione non fuisse spectatam *relative ad oppositam* et eo modo audivimus auctorem alias docentem opinionem neutiquam ne speculative quidem posse judicari *probabilem*. Si vero in prima consideratione, spectata opinio fuit etiam *relative*, et affirmari potuit solide probabilis, tunc vi *melioris considerationis* non fiet sive improbabilis, sive tenue sive dubie probabilis, nisi in meliori ista consideratione inveniri contigerit rationem quamdam *novam* ab aliis praetermissam quae fuerit vel convin-

cens vel probabilissima, ideoque moraliter certa vel fere moraliter certa: quo in casu probabilitas oppositae elidetur non vi excessus istius ut sic, sed vi moralis certitudinis quam objective attingit atque vi solutionis quam objective affert motivo adverso.

Coeteroquin haec nostra explicatio divisionum S. Alphonsi omnino recipienda esse videtur si velimus a S. Doctore incohaerentiam avertere vel non servatae logicae in instituta divisione et in ratione loquendi, vel majoris aberrationis qua conclusionem sensu acquiprobabilistico tenuisset, dum eam praemissis mere probabilisticio demonstrasset, reticitis imo repulsis aequiprobabilistarum definitionibus et argumentis.

Hisce itaque in mentem revocatis totus Auctoris discursus occasione III objectionis, aerem verberat nec vacat in eo diutius immorari.

## PUNCTUM III.

### *In art. I. — De principio possessionis.*

Auctor quartam desumit objectionem ex eo quod hodierni probabilistae inficiari solent S. Alphonsum *in pari causa* tam legi quam libertati *aequalitatem* juris tribuisse. Verba autem transcribit R. P. Raphaelis ex O. Carm. (de Consc. n. 231): « Auctoritas S. Alphonsi, ubi de *cessatione* legis vel *probabili solutione* obligationis agitur, tanti non est extollenda, cum ipse haec habeat: « Quid in dubio an legem impleveris? In *dubio negativo* teneris implere; secus in dubio positivo » (l. 1. n. 99.). Et rursus: « Hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili.... Quando autem probabile est quod.... lex abolita sit, tunc *cessat praesumptio pro lege* et possidet libertas, (l. III. n. 112). »

Auctor itaque quibusdam praemissis de sensu quo S. Alph. ab anno 1762 dubium *positivum*, *strictum* appellavit, duo statuit: I. juxta S. Alph. jura libertatis et legis in pari causa aequalia sunt, ita ut vincat possessor, tam quoad *existentiam* legis quam quoad *cessationem* legis certae.

II. S. Alph. certissime doctrinam expositam tota sua latitudine applicavit.

Heic, ut patet, duplex exurgit quaestio, altera *critica* de mente S. Alphonsi circa applicationem principii possessionis pro lege certo promulgata et probabiliter vel impleta vel consuetudine abrogata; altera *theologica* de veritate vel falsitate hujusmodi applicationis. Hanc prius proponemus; illam breviter in fine.

Thesis nostra, quam jam semel et iterum, data occasione, asseruimus, est: invita omnino logica, principium possessionis dicitur legi favere quae fuerit quidem certo promulgata, in praesenti vero probabiliter est vel impleta, vel consuetudine abrogata; idque vere asseritur sive in coeteris prababilistarum, sive aequiprobabilistarum retineantur principia.

Supposito itaque, quod communiter nunc admittunt uti omnino verum, neque Auctor noster diffitetur, principium possessionis valere in omni materia et in omni foro, nedum in materia sola justitiae; *possessio* qua in isto principio, conditio possidentis in pari causa potior esse dicitur, est possessio *justa*, cui scilicet non solius *facti* sed *juris* etiam adminiculum concurrit: justa autem ut sit, satis non est ut exorta *non fuerit* ex violatione juris alicujus, quemadmodum contingit in possessione juris, sed requiritur ut ex positivo aliquo titulo saltem *bona fide* existimato vero et *justo*, aut praesumpto ad minus, incoeperit. Ut autem *perduret* in privilegiis quae possessori confert, necesse est, uti per se patet, ut *positive injusta* non evaserit et quidem *certo:* v. g. positive injusta evaderet si possessor bonae fidei ex donatione accepta, resciret rem donatam esse furtivam: eam enim asservans fieret ipse possessor *malae fidei*. Praeterea dixi: *certo*, quia sola *controversia* quae forte moveatur super eam sive in quaestione facti, sive juris, sive intra sive extra judicium, postquam fuerat sine litigio acquisita et aliquandiu retenta, possessionis privilegia nondum tollit. (Cf. Reiff. in l. 2. tit. 12. n. 23). Unde si adhibita diligenti inquisitione, sive causa discussa, dubium perduraverit, possessori adjudicabitur causa. (Reiff. theol. mor. tr. VII dist. III. n. 25.

— idem in Reg. Jur. in reg. LXV. n. 6). Ratio est quia 1) possessio illa legitime acquisita et aliquandiu retenta parit praesumptionem *bonae fidei*, quia possidere bona fide quis praesumitur nisi probetur contrarium, quemadmodum nemo praesumitur malus nisi probetur. (Reiff. in l. II. tit. XII. n. 48). — 2) Quia eadem possessio parit etiam praesumptionem dominii, *saltem si dominium non principaliter fuerit in judicio deductum* (id. ibid. n. 54.) — Porro actor cui onus probandi incumbit, ex hypothesi, probare non valuit, unde vincunt istae praesumptiones atque judex pro reo possessore decernet.

Hisce positis itaque, in quae omnia jura conveniunt, inquirendum ulterius est qua ratione principium possessionis ita intellectum possit legi vel libertati favere, quando lex fuerit quidem certo promulgata, in praesenti vero probabiliter est vel impleta, vel consuetudine abrogata.

In antecessum advertimus tam probabilistas quam aequiprobabilistas uno animo consentire in veritatem principii: *legem dubiam non obligare*. Dissentiunt quidem in latitudine interpretanda hujus dubii: sed iste dissensus in praesenti controversia non interest, quippe quae vertitur circa subjectum, nempe legem ejusque legitimam possessionem; dum in principio illo *supponitur* eam esse positive dubiam, sive partes adversae aequales afferant hinc inde rationes, uti limitare dubium volunt aequiprobabilistae, sive rationes afferant inaequales quamvis utrinque solidas, uti sentiunt probabilistae; atque isti legi uno alterove sensu dubiae, denegatur ab omnibus vis obligandi.

Si itaque probaverimus legem in casu proposito fieri vere dubiam, ejus *possessio* eo ipso, juris adminiculo destituetur, atque *certo* fiet *injusta* quia contra se habet principium illud *de lege dubia non obligante* ab omnibus agnitum ut vim continens *certi juris*. [1])

---

[1]) Card. D'Annibale qui in *praesenti* quaestione cum aequiproba-

Sedulo autem notari debet certitudinem hujus principii, uti constat ex S. Thoma et ex S. Alphonso, obtineri etiam posse quin recurratur ad principium possessionis. Aliunde etiam constat libertatem praevalere ubi lex certo non exstiterit vel desierit: libertatem enim ante legem a Deo accepimus cum natura.

Quomodo igitur probatur legem in casu proposito fieri vere dubiam, ac vi obligandi destitui?

I. In memoriam porro revocandum est ex S. Thoma (de verit. Q. 17. a. 3. — 1. 2. Q. 76. a. 1. — 1. Q. 79. a. 13. — in 2. D. 24. Q. 2. a. 4.) quod praeceptum *actu* non ligat, nisi actu applicetur voluntati; actus autem quo praeceptum voluntati applicatur est dictamen conscientiae unde una eademque est virtus qua ligat conscientia, et qua praeceptum ligat. Ista autem virtus a praecepto in dictamen conscientiae derivatur mediante syllogismo operativo, cujus praemissa major exhibet praeceptum universale synderesi affirmatum, minor vero asserit praecepti objectum in casu particulari revera inveniri atque ratione elicitur, conclusio tandem per conscientiam *applicat* isti particulari actioni virtutem obligandi in majori assertam. Itaque ut praeceptum certo liget, debet haec conclusio esse certa; ut autem sit certa debent ambae praemissae esse certae. Porro cum praemissa minor sit tantum de facto contingenti, ad vim conclusionis eatenus tantum confert quatenus *ostendit* eam in majoris extensione contineri. Ipsa vero vis obligandi qua pollet conclusio, in eam a *majori sola* fluit.

*Actualis* igitur vis obligandi in *ipso praecepto* est, in majori expresso, *relate etiam ad singularem actionem*, cui conclusione actualiter applicatur; *applicatio* est virtus propria conscientiae ut *instrumenti*; *vis obligandi* est virtus *praecepti*, ut *causae principalis*, in ipsa directione actionis. Ideo dicit S. Thomas (de verit. l. c.): praeceptum ligat *per* scientiam.

---

bilistis sentit, dicit hoc principium « certissimum. » (Summ. edit. 3ª t. 1. n. 265.) Cf. et S. Alph. th mor. l. 1. n. 26.

Jamvero ut *actualis vis* obligandi *relate etiam ad hanc singularem actionem*, praecepto insit, satis non est ut semel fuerit promulgatum, ideoque semel certo exstiterit relate ad hanc particularem actionem, sed necesse est ut certo nunc adhuc existat: nec sufficit, ut constet ipsum semel exstitisse, nisi constiterit certe in praesenti exstare: quod autem in praesenti certo exstet, praeceptum non habet tantum ex semel facta promulgatione, sed exinde *etiam quod certo et positive constet ipsum non eessasse relate ad hanc particularem actionem.* Porro praeceptum in praesenti certo cessat per certam ejus implextionem (non loquimur de praeceptis negativis juris naturalis quae obligant semper et pro semper) atque, si abrogationis susceptibile sit, per certam et legitimam consuetudinem in contrarium. Si igitur *vere probabile* fuerit ipsum fuisse impletum, vel consuetudine abrogatum, eo ipso non potest certo constare ipsum *non cessasse* relate ad particularem hanc actionem. Ista duo enim secum pugnant: certum esse praeceptum non cessasse, et probabile esse praeceptum fuisse impletum: nam si certum est praeceptum non cessasse, hoc ipso non est probabile ipsum cessasse ideoque fuisse impletum.

Ergo quamvis adhuc certo constet de ejus facta promulgatione, non constat tamem certo ipsum *nunc exstare*: est itaque vere dubium, sive incertum in casu proposito, ac vi obligandi destituitur. Q. E. P.

Huic porro ratiocinio responderi non potest nisi distinguendo ut facit auctor pag. 176, *impletionem* legis ab ipsa legis *obligatione* actualiter certa: cum hac, adhuc vigente, ait aequiprobabilista, vigere potest *probabilitas impletionis* legis. — Sed distinctio haec ludit in verbis: impletio enim legis nihil aliud est quam *solutio vinculi legis obligantis*: porro si certum est legem actualiter obligare nequit esse probabile solutum esse vinculum obligationis legis et vice versa si hoc est probabile, nequit illud esse certum. Responsio nimirum non valet nisi supponatur jam verum illud ipsum de quo est quaestio, ut bene advertit Ballerini (op. mor. edit. 2ª v. I. de conscient. n. 158 in fine), scilicet:

« non esse eximendum a satisfatione obligationis olim certe contractae... qui solum probabiliter judicat se satisfecisse. » Quod sane est aliis verbis expressum, principium ipsum quod illi qui tenent hanc sententiam, ponunt in suis praemissis : obligationi certae non satisfit nisi per impletionem certam. (Cf. V. g. S. Alph. H. A. tr. 1. n. 17). Cui nos e contra reponimus distinguendo ; obligationi quae certa remaneret dum probabiliter impleta est, non satisfit nisi per impletionem certam : *concedo* assertum sed *nego* suppositum : nempe supponitur impletionem probabilem non efficere ut obligatio desinat esse certa ; — non satisfit nisi per impletionem certam, obligationi quae fuit certa sed amplius certa non est in sensu composito cum impletione probabili, *nego* assertum. — Nos vero probavimus illud suppositum esse falsum hoc ipso quod probavimus legem non obligare nisi quae *actu se manifestat* ut certo obligantem; impossibile autem esse ut actu se manifestet obligantem; dum probabile iudicatur fuisse impleta, sive consuetudine abrogata. Ad summum posset quandoque remanere adhuc aliqua obligatio diligentius inquirendi de impletione legis.

Urget Auctor dubium strictum et positivum de lege impleta, non influere in possessionem legis certo promulgatae, quia probabilitas impletae legis eliditur opposita probabilitate, ideoque nullum pondus habet. Centies respondimus et Auctor ipse nobis explicavit probabilitates illas oppositas et aequales non sese destruere ad invicem, sed in causa tantum esse cur rationabiliter suspendatur judicium certum in alterutrum sensum. Si autem non se destruunt, judicari potest probabile legem fuisse impletam, idque sufficit ut currat consequentia argumenti nostri.

II. Idem aliter proponi potest de praecepto affirmativo : major qua synderesis legem universalem obligare dictat, habet suapte natura, implicitam conditionem : *dummodo certo constiterit eam in praesenti exstare*. Conclusio igitur syllogismi, per conscientiam dictata, et ipsa eadem conditione afficitur : *absolute* ideo certa non est, neque obligat nisi purificetur conditio.

Atqui in casu proposito certum est conditionem non purificari quandoquidem solide probabile est me implevisse legem, ideoque lege amplius non obligari. Ergo.

Similiter argui potest de consuetudine probabili.

Idipsum est quod docet cl. P. J. Bucceroni, inst. th. mor. edit. 2ª tom I. de consc. n. 121.

III. A Reiff. in comm. in l. II. t. XII. n. 54. supra audivimus quod controversia orta postquam possessio fuerat sine litigio acquisita et aliquandiu retenta, privilegia possessionis non tollit, quia illa possessio bona fide acquisita et retenta parit *praesumptionem dominii*, et addita est ex eodem Reiff. juxta Mascard. de probat. concl. 1201. n. 71. sqq. et juxta arg. *C. Cum Ecclesia 3. de causa possess.*, addita est limitatio : *nisi dominium ipsum principaliter in controversia venerit* : « nam tunc, ait Reiff. probatio dominii necessaria est ».

Jamvero ubi sermo est de possessione *legis*, dominium legis est ejus vis obligandi : controversia igitur quae oritur ex probabili legis impletione, vel ex probabili consuetudine in contrarium, principaliter vertitur circa ipsum legis dominium. Unde hoc prius est probandum, nec possessio praesumptionem parit. Ipsa igitur juris principia de regula et causa possessionis nostrae sententiae favent.

IV. Accedit ex ipso jure et aliud praejudicium pro sententia nostra :

Docent enim jurisconsulti regulam possessionis fallere in quatuor causis specialiter favorabilibus, matrimonii videlicet, libertatis, dotis et testamenti. « Nam si in istis utriusque partis probationes exstiterint aequales, non pro possessore, sed pro valore matrimonii, sive testamenti, dote aut libertate profertur sententia; idque favore talis causae liberalis. Textus est in c. Ex literis 3. de Probat. et c. ult. de sent. et re judic. » (Reiff. in l. 2. tit. XII. n. 46. — id. de reg. jur. reg. LXV. n. 7.) — Porro quod jura positiva concedunt libertati civili, quia uti bonum habetur inter omnia pretiosissimum, cur moralistae, eadem ratione libertati

morali contra legem probabiliter impletam vel abrogatam denegarent?

Nec resistunt leges civiles recentiores, quae, quamtumvis actionem *realem* denegent contra possessorem mobilium sine bona fide et juris adminiculo sed solius facti, possidentem, *personalem* tamen actionem concedunt si titulus injustus probari potuerit.

Neque verum est jura legis et libertatis esse aequalia: nam libertatis jura certa ex Creatoris dispositione, legem *antecesserunt*, adeo ut, ubi vix lex quae semel certo exstitit incoeperit *dubie* obligare, libertas, cui per solam legem *certam* vinculum injicitur, *sponte sua* ad primigenium redeat dominium, quin opus sit *certo* probari legis vinculum defuisse.

Sed haec pauca sufficiant ut veritas conclusionis nostrae appareat atque rationes ipsae praecipuae quas pro opposita sententia attulit validissimus omnium ejus propugnatorum, doctissimus Card. D'Annibale (Summ. t. 1. n. 264 edit. 3.), possint in eam retorqueri. 1) Ea enim sententia est, quae forum internum ab externo plusquam aequitas ferat, facit esse dissonum, dum *illi*, *hujus regulam* transfert quin regulae *exceptiones ab hoc* ipso statutas ad *illud* aeque transferat. — 2) Ea sententia est quae neque *justitia* nititur neque *naturali aequitate*: dum enim legis jura se servare tacta praedicat, libertatis jus antecedens conculcat et deprimit: imo omni legi tribuit et extendit quod soli praecepto naturali negativo convenire potest, scilicet ut semel promulgatum, semper et pro semper obliget. (Cf. omnino D' Annibale, l. c.)

Haec de possessione legis.

Nunc speciatim dicendum venit de applicatione principii possessionis in casu voti certo nuncupati et probabiliter impleti.

Imprimis advertere necesse est ingens omnino discrimen quod votum inter et legem intercedit. Verum quidem est juxta S. Thomam in 2. 2. p. Q. 88. a. 10. quod « ille qui vovet quodammodo sibi *statuit legem* obligans se ad aliquid, quod est secundum se, et ut in pluribus bonum. »

Sed A. D. hoc dicit tantum relate ad *originem* obligationis voti, quae ex spontanea voventis voluntate ortum habet (« votum, ait *in 4. dist. 38. Q. 1. a. 1. q. 1.*, suo nomine obligationem quamdam exprimit *ex voluntate factam* » — et 2. 2 p. Q. 88. a. 3. ad 3: « obligatio voti ex propria voluntate, et intentione causatur» ) sicut legis obligatio ex voluntate legislatoris : unde possit demonstrari possibilitas dispensationis eadem ratione necessaria, qua demonstratur pro lege; ex fine nempe quem respicit pro communitate, voluntas legislatoris: cum eumdem finem respiciat pro seipso voluntas voventis.

Sed duo alia inveniuntur elementa in essentia voti, juxta eumdem Angelicum, quae in lege non inveniuntur. Nan 1) « votum, ait v. g. *in 4. dist. 38. Q. 1. a. 3. q. 1.*, ut ex dictis patet, est quidam promissionis contractus inter Deum et hominem. Unde cum contractus bonae fidei inter homines factus obliget ad necessariam observationem, multo fortius, votum quo homo aliquid Deo promittit, in his dumtaxat ad quae votum se extendit. » Et in eodem argumento: 2. 2. Q. 88 a. 3. « Maxime debet homo Deo *fidelitatem*, tum ratione dominii, tum etiam ratione suscepti beneficii: et ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo: fractio autem voti est quaedam infidelitatis species etc. » Et ibidem in resp. ad 1^m « Deus etsi bonis nostris non egeat, ei tamen maxime obligamur; et ita votum ei factum est maxime obligatorium. »

2) 2. 2. Q. 88. a. 5. « votum est ordinatio quaedam eorum quae quis vovet in divinum cultum, seu obsequium; et sic patet quod vovere est proprie actus latriae, seu *religionis*. »

Porro leges ex se non sunt *contractus*, nec obligationem inducunt *religionis:*

Hoc posito discrimine inter legem et votum, patet quod aliter legi applicari debeat principium possessionis in casu proposito, pro diversitate obligationis quam inducit. Unde nec videntur recte omnino procedere ii qui, ex eo quod probatum sit possessionem non favere legi in casu probabilis impletio-

nis, statim inde deducunt: ergo nec voto favet in casu probabilis impletionis; ratio enim *contractus* et obligationis *religionis*, erga Deum, forte impediunt quominus factum probabilis tantum impletionis, ipsum votum certo nuncupatum reddat dubie obligans: jus enim *certo acquisitum Deo est* per istum contractum: cui sine ejus damno, non satisfit nisi per impletionem certam. Porro sicut tenemur ex justitia, vi initi contractus cum homine ita obligationi susceptae satisfacere ut alter probabile damnum non subeat; multo magis ex fidelitate erga Deum vi voti nuncupati, ad idipsum evitandum teneri videmur.

Praeterea videtur esse contra reverentiam Deo debitam, quae finis est actus *religionis*, non certo adimplere omnia quae sub religionis imperio sponte suscepimus adimplenda. — Ita sane arguere possent illi qui sententiam oppositam tenent, cum S. Alphonso in quaest. recentius retractatis, q. I.

Neque tamen rectius procedunt illi qui, sicut Auctor noster, ex sententia opposita, de possessione legis certo promulgatae et probabiliter impletae, deducerent: ergo idem dicendum de voto, quod quaedam veluti lex est a nobis ipsis imposita voluntati nostrae.

Errarent scilicet in praemissis utrisque et in consequentia, etiamsi per accidens vera esset conclusio; dum alii errarent in una praemissa tantum et inde etiam in consequentia, imo forte in ipsa conclusione.

Quaestio itaque de possessione voti, sejungenda esse videtur ab illa quaestione de possessione legis: atque ex diversis principiis, utriusque diversa repetenda solutio.

Ideo forte P. Ballerini, ut majoris aberrationis maculam a S. Doctore Alphonso quem in summo honore semper retinuit, abstergeret, suspicionemque averteret, mentem ejus interpretari se posse autumavit, dicendo retractationem ad solam voti quaestionem esse restringendam.

Quaestio nunc superesset critica de mente S. Alphonsi in hac re. Porro quod sese retractaverit S. D. in quaestione de

voto, nimis evidenter constat, quam ut possit in dubium vocari. Quod autem etiam quoad legis possessionem in casu proposito, sententiam mutaverit nequaquam nobis constat. Imo textus varii post ann. 1762, editi, omnes uno sensu intelligi forte possunt si prae oculis habeamus sequentem animadversionem:

Auctor explicare conatur duos textus (th. mor. l. 3. n. 112 Q. 3. *secunda sent.* — et n. 290 *Notandum*) interpretando probabilitatem de qua ibi S. Alph., opinionem *unice* probabilem, et *dubium*, intelligendo dubium *positivum stricto sensu*, i. e. juxta Auctorem, aequalis utrinque probabilitatis. At S. A. heic dubium opponit opinioni probabili, casum intelligendo de dubio *practico*, in quo quis de facto non sibi efformaverit conscientiam practice certam, legem in casu non obligare: hoc porro dubium practicum ipse opponit opinioni probabili i. e. *conscientiae practice certae per principia reflexa, ex opinione probabili* sive dubio *speculativo* tantum. Sensus iste probatur fuisse a S. Doctore intentus, ex Salmantic. a quibus suam doctrinam istis numeris propositam mutuatus est: isti enim *de leg. c. 2. n. 107* scribunt ad explicandum varios sensus quibus lex dubia dicitur:

« Tunc dicitur *dubium*, *ut distinguitur a judicio probabili*, quando non formatur assensus determinatus ad unam partem; sed manet utrimque intellectus pendulus et suspensus, et potest esse dubium practicum, ut cum quis hic et nunc, non deposito dubio, quod habebat, contra legem operatur: et hoc in communi sententia semper est peccatum ob periculum cui exponitur formalis transgressionis legis. Aliud est mere speculativum, cum quo cohaeret, quod dubium practicum non detur, quando nimirum practice dubium deponitur per aliquam rationem moralem aut *probabilem*, qua hic et nunc judicat licere operari adhuc durante *dubio speculativo*. Et modo difficultas est, quando liceat deponere dubium practicum ad operandum contra legem, de qua dubitatur, perseverante solo dubio speculativo. » Deinde usque ad n. 141 solvunt difficultatem pro variis casibus qui occurrere possunt.

Similiter itaque S. Alph. quando dicit: « in *dubio* de consuetudine possidet praeceptum ;... secus si probabile sit adesse consuetudinem » vult significare in dubio *practico* in quo quis *modum non invenit* sibi efformandi judicium *probabile speculativum* legem fuisse abrogatam, et exinde per principia reflexa conscientiam practice certam, contra legem: tunc utique lex possidet; secus si probabile esset adesse consuetudinem, quia tunc judicium speculative efformatur probabile legem fuisse consuetudine abrogatam, ideoque locus datur conscientiae practice certae contra legem, per principia reflexa, possidetque libertas. Eodem modo explicantur verba ex *l. III n. 112.* Jamvero si ita est, S. D. in istis textibus ne a longe quidem cogitavit de sententia *unice probabili,* sed neque unquam sententiam expressam l. I. n. 99: *in dubio positivo an legem impleverim, me non teneri,* mutavit in aliam.

Haec sufficiant de quaestione critica quam coeteroquin in re ista particulari, supervacaneum est diutius perpendere, et aliis doctioribus libenter relinquimus adaequate tractandam.

Quae tandem Auctor in Artic. II hujus capitis IV congerit ad refellendas duas objectiones in partem quam vocat juridicam, nituntur illis consuetis aequivocationibus quas pluries jam in disp. I et III fecimus irritas: neque eas regerere vacat.

# EPILOGUS TOTIUS CRISIS.

Iter longum nimis concludere licet.

Constat itaque systema post annum 1762 a S. Alph. propugnatum de moderato usu opinionis probabilis, totum duplici constrictum regula sese exhibere.

Porro in primam de *certo probabiliori*, tam probabilistae quam probabilioristae, ex aliis tamen et aliis principiis uno animo conveniebant. S. D. autem, ad eam demonstrandam, rejectis probabilioristarum principiis, probabilistarum praemissas admisit. At conclusionem sub forma a probabilioristis mutuata maluit enuntiare; ita tamen ut subjectivam certitudinem excessus probabilitatis objectivae, tanquam signum extolleret, quo a posteriori dignosceretur hunc probabilitatis excessum, moralem illam attigisse objectivam certitudinem a probabilistis agnitam uti legi promulgandae sufficientem. Atque unice in hac norma a posteriori statuenda, suum systema *novum* appellare merito potuit.

Praeter hunc casum, alteram regulam *de aequiprobabili* censuit solam esse proponendam, quia si excessus probabilitatis non est subjective certus, est tam subjective quam objective dubius; si dubius, quantocumque gradu parti oppositae praevaleat, dummodo opposita intra fines solidae et certae probabilitatis consistat, negligi in praxi licite potest.

Singula heic asserta ex nostra crisi facta sunt, ni fallimur, omnino perspicua.

Verumenimvero quisquis haec aequanimiter perpenderit, statim intelliget totius controversiae fundamentum et cardinem in eo tandem esse reponendum, utrum liceat sequi partem be-

nignam, etiamsi minus sit probabilis, donec constet eam posse speculative affirmari solide probabilem.

Idcirco qui hanc propositionem demonstraverit et in praxi sequitur, iste nullo laxitatis periculo se exponit et tuto imo tutissime operatur. Sane 1) cum eam in praxi non sequatur nisi constiterit ipsam certo esse probabilem, in tuto se ponit a levi vel dubia probabilitate. — 2) Eo ipso periculum evitat contemnendi oppositam sententiam quae forte sit moraliter certa, quia constat apud omnes morali certitudini a parte rei non posse adversari certam et solidam probabilitatem.

Ex altera parte S. Alphonsus in dissertationibus ann. 1762 posterioribus *inversa methodo* eumdem obtinuit effectum: proposita nempe regula de *certo probabiliori* tanquam signo objectivae certitudinis moralis cui dubia ad summum probabilitas opponitur, cavit a periculo tum hanc sequendi, tum contemnendi illam.

Hisce positis tam regula illa probabilistica, de *minus probabili*, quam regula S. Alphonsi de aequiprobabili, utraque uno eodemque argumento firmatur: ex principio nempe de lege dubia. Utramque enim S. D. successive, anno 1755 et anno 1765, eodem hoc argumento demonstravit.

Revera extensio utriusque regulae eadem est: quod adeo verum est ut jam ante ann. 1762, in dissert. de *minus probabili* ann. 1755, (n. 101 in fine) S. D. Alphonsus potuerit scribere: « Martinus de Prado testatur, sententiam quod liceat inter aeque probabiles, sequi alterutram, semper fuisse communem, dicens: *Quoties opiniones oppositae sunt aeque probabiles practice* (prout sunt ut plurimum opiniones quae solida hinc inde probabilitate pollent) *licitum est, per se loquendo, quodlibet sequi: fuit semper* (nota) *haec conclusio communis.* »

Ergo tandem aliquando unum idemque systema utraque dissertatione proponitur. Mirum inde non est Pium VII s. m. utramque eadem approbatione munivisse. (cf. pag. 107).

Quandoquidem igitur non sine magno scientiae theologicae et artis criticae detrimento, dissertatio illa prior ex communi-

bus operum S. D. editionibus expuncta septuaginta fere annos jacuerit; haud parvo etiam emolumento, omnium studiis integra restituetur.

Cui rei operam pro nostra imbecillitate collatam, qualiscumque demum ea sit, SANTO DOCTORI ALPHONSO, anno saeculari ab ejus ortu recurrente, humillime subjicimus, veluti supplicem libellum quo, omnium cujuscumque ordinis Theologorum unanimem in PROBABILISMUM consensum, valeamus, ipso interpellante, a Sanctissimo Redemptore impetrare.

Scripsi, Romae, in pervigilio diei S. D. Alphonso sacri, anno 1896.

# APPENDIX

## EX OPERE CH. RASSLER CUI TITULUS

# NORMA RECTI.

***Disp. III. Art. VII. — Quonam denique praecipue tota haec controversia devolvatur? Et quid de illa nobis verosimilius videatur?***

1116. Ex praecedentibus duobus articulis patet 1. nec rigidiorem in praesente quaestione sententiam sua carere probabilitate; cum non solum magna fulciatur auctoritate, sed nec gravibus rationibus destituatur, et nihil contra se habeat convincens, prout liquet ex art. 3. et 4. nec tamen etiam ejusdem veritatem adeo liquidam esse et exploratam uti persuasum sibi passim habent Probabilioristae; cum et ipsius fundamenta, uti modo vidimus articulo proxime praecedente, non incongruam recipiant solutionem.

1117. Ex omnibus vero hactenus disputatis patet 2. totam hanc controversiam reduci demum ad legem Dei quodammodo *reflexam*, et in certo, ac jam alias explicato sensu *consequentem* ad apparentiam inæqualis hinc et inde probabilitatis circa existentiam et non existentiam legis *directae* et *antecedentis*, supra quamin aequalis illa probabilitas cadit, seu ad voluntatem Dei, qua hic velit, ac ab aeterno quoque jam voluerit, nos consequenter ad talem apparentiam obligatos, vel non obligatos esse ad sequendam semper partem tutiorem, ac simul magis probabilem. Et si quidem velit nos Deus ad hoc obligatos, ut de hac ejus voluntate nobis etiam satis constiterit, tenebimur utique in omni ejusmodi casu sectari partem tutiorem, et magis probabilem idque etiam dato, quod in eodem casu possemus judicio directo, et absoluto prudenter assentiri parti minus tutae, ac simul minus probabili. Si vero ad hoc Deus non velit nos esse obligatos, et de hac ipsius voluntate sufficienter nobis constiterit, licitum erit nobis eligere partem etiam minus tutam, et minus probabilem, poterimusque de hoc formare dictamen practicum non solum probabile, sed etiam moraliter certum, et quidem dato etiam, quod non possemus judicio directo, et absoluto eidem parti

minus tutae et minus probabili prudenter assentiri, imo etiam stante judicio directo contrario: sicut in humanis si Princeps subditis aperte declararet, velle se illos legibus suis seu vere seu apparenter tantum existentibus proxime obligatos esse, quoties ipsis notabiliter probabilius apparuerit, illas existere, quamvis etiam oppositum probabile ipsis videretur; tenerentur sane illi servare legem principis quamcumque, cujus existentia ipsis notabiliter probabilior appareret, etiamsi poneretur negatio quoque talis legis iisdem ut probabilis apparere, eidemque judicio directo et absoluto prudenter illi possent assentiri: et vicissim si aperte ille subditis denuntiaret, nolle se illos suis legibus proxime obligatos esse, quoties ipsis probabile foret, eas non existere, quantumvis oppositum iisdem notabiliter probabilius videretur; possent illi in casu inaequalis utrinque probabilitatis circa existentiam alicujus legis in operando sequi partem minus tutam, et eamdem legem non observare, quantumvis probabilius ipsis appareret, illam existere, aut etiam, actu illius existentiam judicio directo et absoluto affirmarent. Hinc autem ulterius.

1118. Patet 3. quod ad praesentis controversiae resolutionem parum aut nihil referat, sive intellectus in casu inaequalis probabilitatis circa existentiam alicujus legis prudenter possit, judicio directo, et absoluto assentiri parti minus probabili; sive id non possit quia etsi hoc posset facere tamen Deus obligare nos posset ad sequendam partem tutiorem, quando haec nobis notabiliter probabilior apparet, et prudentius illi possemus assentiri: et vicissim licet id facere non posset intellectus, tamen si aliud non obstiterit, permittere nobis posset Deus, ut in operando partem minus tutam et minus probabilem sequeremur: ideoque neque ex priori hypothesi recte, et efficaciter probatur existentia legis reflexae, et consequentis, permittentis nobis in casu inaequalis probabilitatis circa existentiam legis alicujus directae, et antecedentis sequi in operando partem minus tutam, et minus probabilem: neque ex hypothesi posteriore bene probatur existentia legis reflexae et consequentis, jubentis nos in ejusmodi casu sequi partem tutiorem, et magis probabilem.

1119. Patet 4. ejusdem legis reflexae, et consequentis, jubentis scilicet nos in casu inaequalis utrinque probabilitatis amplecti partem tutiorem, et magis probabilem, non recte probari ex eo quod eligendo partem minus tutam et minus probabilem, exponeremus nos periculo peccandi formaliter, atque adeo offendendi Deum; ejusque gratia excidendi: licet enim optima esset haec ratio, supposito quod omne illud, quod

est contra legem, esset etiam peccatum formale; infirma tamen est eadem, si hoc suppositum sit falsum, quale revera est: quia si non omne quod est contra legem, peccatum est etiam *formale*, certum quidem est, quod sequendo in praxi partem minus tutam, et minus probabilem exponamus nos periculo peccandi *materialiter*; non tamen idcirco probatur, quod per hoc ipsum nos exponamus periculo peccandi etiam *formaliter:* cum sicut peccatum *materiale* sejungi potest a *formali*, ita etiam periculum peccati *materialis* a periculo peccati *formalis*, possit separari. Imo certum est quod si Deus per legem consequentem nobis permittat in operando sequi partem minus tutam et minus probabilem, et per hoc nos exponere periculo peccati *materialis*, sique de hac lege consequente sufficienter nobis constiterit, nos sequendo partem minus tutam et minus probabilem nec *formaliter* peccemus, nec ulli periculo formalis peccati nos exponamus, quantumvis nos exponamus periculo peccati *materialis:* sicut e contrario certum est, quod sequendo partem minus tutam et minus probabilem, et per hoc exponendo nos periculo peccati *materialis*, peccamus etiam *formaliter*, posito quod Deus hunc operandi modum nobis lege consequente prohibeat et hujus legis notitiam habuerimus sufficientem. Quod autem porro Deus hoc nobis per legem consequentem prohibeat, clarum est non recte probari per hoc, quod sequendo partem minus tutam, et minus probabilem nos exponamus periculo peccati saltem *materialis:* quia de hoc ipso controvertitur, an Deus per legem consequentem nobis prohibeat vel non prohibeat sequi partem minus tutam et minus probabilem, et per hoc exponere nos periculo peccati *materialis;* nec etiam bene id probatur ex eo, quod hac ratione exponeremus nos periculo peccati *formalis;* quia, uti modo dicebam, non probatur quod ullum peccati *formalis* periculum hic intercedat. Ad summum probari potest, quod sequendo partem minus tutam, et minus probabilem, et sic exponendo nos periculo peccati *materialis*, simul nos exponamus periculo peccandi etiam *formaliter*, vel etiam actu formaliter peccamus, si id agamus stante incertitudine, ac dubio an detur, vel non detur lex hic controversa, qua scilicet Deus velit nos obligatos esse ad sequendam in casu inaequalis utrinque probabilitatis partem magis tutam ac simul probabiliorem. Imo etiamsi hoc esset dubium, si tamen dubium id esset stricte sive aequaliter, ac simul invincibiliter, posset adhuc operans juxta dicta in praecedenti quaestione, uti et in praesenti n. 978, ex aliis principiis reflexis concludere se, sive detur

reipsa haec lex Dei consequens, sive non detur tamen hic et nunc eadem ob invincibilem ejusd. ignorantiam nondum proxime obligari, positoque hoc dictamine jam rursus se non exponeret periculo peccati formalis sequendo partem minus tutam et minus probabilem: sed tunc solum, quando ipsi notabiliter probabilius appareret quod detur lex ista consequens, de qua hic controvertitur, et tamen sequeretur in praxi partem minus tutam et minus probabilem: quia tunc non apparet principium aliud reflexum, ex quo formare posset dictamen ultimum, quo citra formidinem moralem oppositi judicaret, se lege illa consequente, sive reipsa detur, sive non detur, hic et nunc proxime non obligari. Verum ut hoc ipsum probabilius evadat, quod detur haec lex Dei consequens, probari existentia illius debet aliunde, non vero rursus ex hoc, quod sequens partem minus tutam et minus probabilem exponeret se periculo peccati formalis, quia sic semper principium peteretur.

1120. Patet. 5. quod e contrario existentia legis consequentis, qua Deus nobis permittit in operando sequi partem minus tutam et minus probabilem, non recte probetur ex eo, quod lex directa et antecedens, supra quam inaequalis probabilitas cadit, nondum sufficienter nobis promulgata sit, seu intimata, quamdiu etiam comparative probabile nobis apparet, illam non existere, quamvis oppositum notabiliter probabilius videatur, quodque in eodem casu lex illa a nobis invincibiliter adhuc ignoretur: quia hoc ipsum quoque vel maxime versatur in quaestione, an non sufficienter nobis intimata jam sit lex quando existentia illius notabiliter magis probabilis apparet, quam negatio ejusdem: unde non supponi sed probari debet, quod ejusmodi probabilitas major de existentia legis nondum sit notitia illius ex voluntate Dei sufficiens ad inducendam obligationem eidem legi nos subjiciendi. Nec ad hoc probandum sufficit praetesa a probabilistis possessio libertatis, cujus mentio facta est art. III n. 977. quia non probatur homo possidere libertatam moralem aliam, quam libertatem, seu licentiam ponendi actionem quamcumque, quandiu invincibiliter ignorat, illam esse prohibitam, seu donec habeat, vel saltem habere posset, ac deberet notitiam sufficientem legis actionem aliquam prohibentis: quod autem non habeat notitiam hujus sufficientem, quando ipsi ejusdem legis existentia ut notabiliter probabilior apparet hoc enimvero ex dicta modo possessione libertatis non probatur, uti per se est manifestum: estque aperte vitiosa haec argumentatio: homo quilibet certo habet libertatem

moralem, seu licentiam ponendi actionem quamcumque, quandiu invincibiliter ignorat, illam esse prohibitam, seu donec habet, vel saltem habere posset, ac deberet notitiam sufficientem legis actionem aliquam prohibentis: ergo non habet notitiam sufficientem alicujus legis, sed invincibiter adhuc illam ignorat, quamdiu probabile ipsi apparet, eam non existere, quamvis oppositum notabiliter probabilius videatur. Hinc denique

1121. Patet ultimo, plerisque argumentis ex ratione petitis, quibus in praesente controversia pro una et altera parte usi passim, ac fere praecipue sunt auctores, quaeque a nobis art. III §. 5 relata sunt, propositum neutiquam evinci: cum pleraque illorum denique reducantur ad ea capita, quae a n. 118 hucusque denuo sunt commemorata, quaeque ipsa tamen haudquaquam solida esse deprehenduntur. Ut autem meam quoque de eadem controversia mentem, atque sententiam expromam:

1122. Pro benigniore sententia praecipuum, quod suadere illam possit, fundamentum esse mihi videtur tum negativum illud propositum n. 963, scilicet quod obligatio, quam rigidior probabilioristarum sententia adstruit, foret ad modum difficilis, nec tamen rationibus valde efficacibus suadeatur, uti constare videtur ex dictis art. 5 § 6. nulla autem obligatio valde difficilis, maxime si universalis sit, et ad omnes homines pertinens, qualis haec foret, asserenda sit absque ratione valde efficaci, ac propemodum cogente; tum etiam alterum illud positivum, quod n. 965 est relatum; scilicet quod eadem obligatio, lexque ipsam inducens videatur minus esse expediens, quam negatio ejusdem; eo quod ex negatione quidem illius solum multiplicarentur peccata materialia; ex ipsa vero ob nimis magnam illius difficultatem, et consequentem exinde frequentem ejusdem violationem sequeretur magna nimis multiplicatio formalium peccatorum, et quidem saepe etiam tunc, quando alias ne quidem materiale aliquod intercederet, si obligatio haec abesset. Unde etiam sententia benigna videri potest magis conformis esse infinitae sapientiae supremi legislatoris Dei, ut quae in ferendis legibus vel maxime rationem habet utilitatis subditorum, uti et bonitati ejusdem, magisque infirmitati nostrae accommodata, quam rigidior probabilioristarum.

1123. At vero hanc, rigidiorem scilicet sententiam, suadere potissimum mihi videtur id, quod art. 5. n. 1071, primaque ejus confirmatione est propositum, scilicet quod de rebus moralibus, seu agibilibus, earumque licentia, vel prohibitione ut plurimum non possit haberi evidentia,

nec certitudo moralis stricte accepta, sed probabilitas tantum, Deusque plurimas leges a primis principiis paulo remotiores voluerit esse non omnino claras, nobisque certas, sed obscuras, ac sub opinionibus positas; quare ut ne eaedem respectu plerorumque hominum essent inutiles, sed saltem apud magnam illorum partem haberent vim etiam proxime obligandi, voluisse censendus est idem, ut sicut notabiliter major probabilitas stans pro libertate contra legem ab hujus obligatione proxima nos eximit, ne alioquin ad nimis multas leges reipsa etiam non existentes servandas obligaremur cum maximo periculo nimiae multiplicationis peccatorum formalium, ac ruinae plurimorum; sic e contrario notabiliter major probabilitas stans pro lege contra libertatem sufficeret ad inducendam obligationem proximam eidem legi nos subjiciendi, ne alias innumerae paene leges reipsa etiam existentes et ad nostram utilitatem conditae respectu plerorumque vim omnem obligandi, unaque usum, ac finem suum amitterent: videturque magis hoc facere ad commendandam summi legislatoris Dei sapientiam, providentiamque, quam si oppositum ille voluisset. Cujus quidem rationis vis, et efficacia eo magis prodet seipsam, quo attentius quis consideraverit, quam multa, imo quam pene innumera circa leges tum divinas tum etiam humanas, tum naturales, tum positivas, earumque existentiam, sensum, et extensionem dubia vertantur, et auctores passim in contrarias easque communi doctorum judicio utrinque probabiles opiniones distraxerint: quae proin leges, si vera esset sententia probabilistarum, vel nullos amplius, vel nonnisi paucissimos ad sui observantiam obligarent, quibus scilicet illarum existentia vel ut unice probabilis, vel omnino ut moraliter certa appareret.

1124. Atque hoc argumentum praevalere mihi videtur alteris duobus precedente num. pro sententia benigniore adductis, ideoque censeo, probabiliorem esse in hac controversia sententiam rigidiorem. Nec satisfacit argumenti hujus solutio n. 1099 indicata: quia esto, quod supposita etiam sententia benigniore lex de cujus existentia probabiles utrinque sententiae existunt, retineret adhuc vim aliquam obligandi proxime saltem illos, quibus eadem vel unice probabilis apparet, vel omnino ut moraliter certa certitudine morali stricte accepta; verumtamen manet, quod ejusmodi lex saltem respectu plerorumque esset inutilis: cum nonnisi respective paucissimis, iisque vel doctissimis tantum, vel rudissimis, possit vel uti unice probabilis apparere, vel ut moraliter certa illis quidem, eo quod manifeste perspiciant levitatem fundamentorum

stantium contra existentiam talis legis; quod ipsum tamen rarum erit, quando utraque sententia ex oppositis communiter ut probabilis habetur etiam a doctis; his vero, scilicet rudissimis, eo quod forte nesciant etiam oppositam sententiam stantem pro libertate contra legem a doctis communiter probabilem reputari; quae ipsa tamen illorum ignorantia regulariter tolli facile potest, si modo confessarios doctosve alios interrogent de illa probabilitate, vel ab his etiam non interrogatis ultro de hac moneantur; hac enim oppositae quoque, ac minus tutae sententiae probabilitate intellecta regulariter jam haec quoque apud eosdem acquiret aliquid probabilitatis etiam comparativae, nec amplius tutior stans pro lege ipsis vel ut unice probabilis, vel ut moraliter certa apparebit: et per consequens cessabit etiam apud ipsos obligatio illam in praxi sequendi, si lex neminem obliget proxime, quandiu etiam negatio illius inculpabiliter saltem ut minus probabilis apparet: ut proinde ejusmodi lex, de cujus existentia probabiles hinc et indè doctorum opiniones habentur, vix obligare aliquando posset etiam rudes, nisi volentes, eo quod interrogare nollent doctiores, an non contra illam quoque detur sententia aliqua probabilis doctorum.

1125. Ex eodem vero argumento consequens porro est, quod ille, cui notabiliter probabilior apparet existentia alicujus legis, quam negatio ejusdem non possit merito praetendere ignorantiam invincibilem illius; eo quod jam habeat talem illius notitiam, qualis communiter de rebus agibilibus haberi potest, et quam idcirco Deus sufficere voluit ad hoc, ut suis legibus, de quibus evidentiam, vel certitudinem moralem non habemus, proxime essemus obligati. Quod maxime verum esse videtur, si, quod in q. 5 praesentis disputationis probabilius esse vidimus, intellectus in eodem casu unice potest existentiam ejusmodi legis affirmare prudenter, non autem negationem illius. Quomodo enim praetendere jure quis possit invincibilem ignorantiam legis, cujus existentiam ex motivis notabiliter apud ipsum praeponderantibus vel actu affirmat, vel saltem affirmare posset prudenter, si modo vellet; negare autem prudenter non posset, etiamsi vellet? Et confirmatur. Si nonobstante notabiliter majore probabilitate pro existentia alicujus legis haec nondum esset homini sufficienter nota, sed invincibiliter adhuc ignoraretur, quando saltem minus probabile apparet, quod eadem non existat, etiam non esset ipsi sufficienter nota, sed invincibiliter adhuc ignoraretur, quoties existentia ipsius non esset omnino evidens, vel saltem certa moraliter certitudine morali stricte accepta, sed solum

probabilis, quantumvis negatio ejusdem legis omnino non esset probabilis etiam comparative, ut si pro existentia haberetur tantum auctoritas unius vel alterius viri docti; contra autem pro negatione nec auctoritas, nec ratio aliqua gravis appareret. Consequens autem admitti non potest: ergo neque antecedens. Minor videtur certa: alias enim rudes, et indocti, qui de existentia legum frequentissime, ac passim, non habent notitiam, nisi probabilem, nixam scilicet auctoritate parochi, confessarii, vel alias unius, aut alterius viri docti, nondum iisdem forent obligati, quamvis nec ab auctoritate neque ex ratione probabile ipsis esset, quod illa non darentur: quae tamen laxitas esse videtur neutiquam ferenda. Sequela autem probatur. Quia si ad invincibilem ignorantiam alicujus legis ab obligatione excusantem non sufficeret sola inevidentia, ac negatio certitudinis saltem moralis de existentia illius, sed requireretur insuper saltem minor aliqua probabilitas de negatione ejusdem, vel ideo probabilitas haec requireretur, quia illa posita intellectus prudenter judicare posset, legem non dari quamvis oppositum probabilius appareret? Et hoc probabilius falsum esse constat ex dictis Q. 4 § 5, hujus disp. Et si verum etiam id esset, adeo tamen incertum est, ut nemo cordatus in principio tam ruinoso fundare posset conscientiam suam quoad res animae salutem concernentes. Vel ideo, quia probabilitas etiam minor tollit, vel impedit tum evidentiam, tum etiam certitudinem moralem stricte acceptam de existentia legis? Et haec ratio nulla est: quia potest esse, ut existentia legis nec evidens sit, nec moraliter certa, quamvis pro negatione illius nulla habeatur probabilitas comparativa, ut patet in ipso casu posito, quo existentia legis solum innotescit per auctoritatem unius vel alterius viri docti, et nulla prorsus in contrarium auctoritas, vel ratio gravis occurrit. Quare si lex nondum est sufficienter nota homini, sed invincibiliter adhuc ignoratur, quando ipsi existentia illius notabiliter probabilior apparet, modo etiam negatio illius habeat aliquid saltem probabilitatis comparativae, quantumvis minoris, etiam nondum erit sufficienter nota quoties non est omnino evidens, aut saltem moraliter certa certitudine morali stricte accepta sed solum probabilis, et si pro negatione illius omnino nulla habeatur probabilitas etiam comparativa.

1126. Hinc autem ulterius jam illud quoque argumentum redit, ac roboratur, quod propositum est art. 5. n. 1070. corruitque ejus solutio n. 1098 indicata, uniceque fundata in invincibili ignorantia, defectuve sufficientis notitiae legis, cujus existentia ut notabiliter magis, nega-

tio vero ut minus probabilis apparet: si enim in tali casu reipsa non datur ignorantia talis legis, sed notitia ex Dei voluntate sufficiens ad inducendam obligationem eidem se conformandi, clarum est, quod, si talis lex reipsa existat, et tamen contra illam quis operetur, peccet is formaliter; cum agat contra legem reipsa existentem, nec per invincibilem ignorantiam illius excusetur. Si vero non existat, saltem exponit se operans morali, ac magno periculo agendi contra legem reipsa fors existentem, nec tamen a se invincibiliter ignoratam: et per hoc ipsum rursus jam formaliter peccat.

1127. Accedit his auctoritas haud sane levis sacrarum paginarum, ut quae tantopere, tamque frequenter nobis commendant tum studiosam inquisitionem divinae legis, tum etiam sedulam illius observantiam; cujus tamen commendationis exigua profecto ratio haberi a nobis videtur, si neque tunc divinae legi assurgamus, quando post omnia rite expensa de illius existentia notitiam habemus notabiliter probabiliorem, qua tamen major ut plurimum haberi non potest. Quod si etiam nulla hac de re monita in sacris litteris exstarent, ipsum tamen naturae lumen dictaret, eam a nobis supremo legislatori habendam esse reverentiam, ut saltem tunc ejus nos legibus subjiciamus, quando notabiliter magis persuasi sumus de illarum existentia, quam de negatione earumdem. Quae quidem doctrina adeo per seipsam nota esse videtur, suaque sponte assensum sibi conciliare, ut insignis quidam recentior non male pronuntiasse videatur, oppositam nunquam habituram fuisse tot patronos si omissis scholae vitilitigationibus, et captiunculis metaphysicis controversiam hanc vulgaris intelligentia, sensusque prudentum communis, arbiter morum fere optimus, dijudicasset.

1128. Movet etiam non parum auctoritas permagna non recentiorum tantum probabilioristarum, quibus etiam ex probabilistis aliquam multi accedunt, uti art. 1. hujus q. n. 933 notatum est; sed veterum quoque scholasticorum prope omnium, qui quidem controversiam hanc attigerunt, et a quorum unanimi sententia in quaestione morali maximi momenti, qualis est praesens, minime est recedendum, nisi ratio cogat valde efficax, qualis tamen hic non occurrit. Nec dicas quod etiam in praecedente quaestione de licito usu opinionis minus tutae in casu aequalis utrinque probabilitatis recesserimus a communi antiquiorum: quia, uti ex ejusdem quaestionis art. 4 constat, nec tam universalis fuit consensus veterum in rigidiorem sententiam pro eo-

dem casu aequalis utrinque probabilitatis, quam universalis ille erat pro casu notabiliter majoris probabilitatis stantis pro parte tutiore; nec (quod caput est) tam urgentes occurrunt rationes, quae nos veluti cogant in posteriore quoque casu recedere a communi antiquorum, quam urgentes id suadeant in priore casu, uti liquet ex disputatis in praecedente, praesenteque quaest. Illae certe, ob quas in praec. quaest. negata a nobis est obligatio amplectendi partem tutiorem in concursu oppositae minus tutae, sed aequaliter tamen probabilis, vel nullam, vel saltem multo minorem vim habent ad probandam immunitatem ab obligatione eligendi partem magis tutam ac simul etiam probabiliorem, ut patebit eas attentius consideranti. Et quidem quod non eodem jure in posteriore hoc casu praetendi possit invincibilis ignorantia legis, quo praetendi illa potest in casu priore, per se manifestum est; cum in posteriore quidem casu prudenter affirmari possit existentia legis; negari autem prudenter non possit: in priori vero si negari illa prudenter non potest, etiam non possit prudenter affirmari. Argumentum quoque ductum a paritate dubii positivi cum negativo nullum penitus in praesenti casu locum habet; uti rursus per se liquet rem vel modice perpendenti. Sed neque tam difficilis est obligatio eligendi partem tutiorem in eo solum casu, quo haec simul probabilior apparet, quam difficilis esset obligatio eam sequendi etiam in casu probabilitatis aequalis; cum vi prioris duntaxat obligationis multo rarius observare teneamur leges aliquas reipsa etiam non existentes, quam si illi accederet insuper obligatio posterior: ideoque nec tantum, tamque frequens per priorem solummodo obligationem periculum inducitur multiplicandi peccata, quantum induceretur per utramque simul.

1129. Jam vero ex illis duabus rationibus, quas n. 1122 praecipuas nobis videri diximus ex iis, quibus benigna in hac quaestione sententia commendatur, prior quidem eaque negativa, eliditur per ipsam rigidioris probationem n. 1123 et sqq. indicatam. Quod vero ad alteram eamque positivam attinet, verum quidem est, quod supposita lege consequente, et obligatione, quam adstruit rigidior sententia, etiam augeatur apud non paucos numerus peccatorum formalium; interim tamen verum pariter est, quod ablata ea lege et obligatione lex Domini antecedens, et directa nimium quantum dissolveretur; et inutiles apud plerosque evaderent leges innumerae reipsa existentes ac saluberrime constitutae: sique hoc non obstante tamen neganda esset lex illa consequens, et obligatio sequendi partem semper tutiorem, ac si-

mul probabiliorem, tantum ne occasio per illam daretur multiplicandi peccata formalia per frequentem ejus transgressionem committenda; abrogandae simili de causa essent, vel potius rogandae, ferendaeve nunquam fuissent leges aliae innumerae, maxime quae sunt juris positivi tantum, et tamen servatu difficiles: quia etiam illae plurimis, qui scilicet illarum difficultate territi easdem non observant, occasio sunt multorum peccatorum formalium, quae seclusis illis legibus non darentur.

1130. Verum itidem est quod eaedem lex Dei consequens, et obligatio sequendi opiniones tutiores, quando eadem simul etiam sunt nobis probabiliores, multum habeat difficultatis, eo maxime, quod illa supposita saepe obligemur ad servandas leges aliquas reipsa etiam non existentes, easque non raro difficillimas; at difficultas haec satis compensari videtur per aliam illam legem pariter consequentem, qua Deus nobis vicissim permittit in operando sequi opiniones minus tutas, quando illa nobis ut notabiliter probabiliores apparent, quam oppositae tutiores. Sicut enim supposita lege illa priore saepe contingere potest, ut per accidens obligemur ad servandas aliquas leges reipsa etiam non existentes quamtumvis observatu difficillimas, quando scilicet nobis illarum existentia ut notabiliter probabilior apparet, quam negatio earumdem; ita vicissim proposita lege posteriore frequenter accidere potest, ut per accidens non obligemur, ad servandas leges aliquas reipsa existentes, quarum observatio plurimum haberet difficultatis. Si igitur id imbecillitati nostrae dari a Deo volumus, uti etiam datum esse censemus, ut non teneamur proxime servare leges reipsa existentes, quamdiu notabiliter probabilius nobis apparet, quod non existant, jure videtur idem exigere a nobis vicissim, ut servemus leges aliquas reipsa etiam non existentes, quando nobis notabiliter probabilius apparet, quod existant; hoc enim exigere videtur aequalitas quaedam aequitasque; bonitatis autem, ac indulgentiae divinae rigori etiam praevalentis est, quod insuper nobis permittat, ut in casu aequalis utrinque probabilitatis nec ad leges reipsa existentes, nec ad non existentes proxime obligemur. Sane etiam in humanis nemo facile argueret principem nimiae erga subditos austeritatis, si palam illis denuntiaret, velle se quidem illos obligatos esse ad servandas leges quascumque, seu vere seu apparentes tantum a se latas, quoties ipsis notabiliter probabilior visa fuerit, earum existentia; vicissim tamen nolle se illis etiam reipsa existentibus proxime obligatos esse, quando ipsis nota-

biliter probabilior apparuerit negatio earumdem; in casu autem aequalis utrinque probabilitatis, nihil se ab illis exigere, sed omne ipsorum permittere libertati: non inquam austerum censeremus esse talem principem, sed potius humanum admodum clementemque arbitraremur. Contra vero nimiae cujusdam indulgentiae illum argueremus, si neque tunc legibus suis etiam vere a se latis subditos vellet esse adstrictos, quando ipsis notabiliter probabilior videretur illarum existentia, posito quod praevideret, hac sua indulgentia futurum esse, ut pars valde magna utilissimarum etiam legum a se latarum respectu plerorumque vim omnem obligandi amitteret, atque ita fine suo frustraretur. Non est igitur cur aliter de Deo opinemur.

1131. Sic autem tum probata positive rigidiore sententia, tum etiam disjectis, eversisque praecipuis oppositae fundamentis ac supposita insuper reliquorum etiam solutione art. 4. indicata, valide jam sententia nostra ulterius confirmatur illo quoque argumento reflexo, quod art. 5, propositum est ultimo loco, n. 1077, petitumque ex eo, quod ob ipsam saltem benignioris sententiae incertitudinem non appareat amplius, quo pacto sequi eam volens in praxi formare possit ultimum dictamen conscientiae moraliter certum de licentia hic et nunc sequendi hanc vel illam opinionem minus tutam in particulari acceptam, ac simul eidem operanti notabiliter minus probabilem opposita tutiore. Quamvis enim formare hoc utcumque is posset, posito quod benigna in praesenti quaestione sententia notabiliter probabilior esset opposita rigidiore, vel denique etiam solum aequaliter probabilis; tamen formare id non potest si nequidem aequalis cum illa est probabilitatis: hactenus autem dicta palam facere videntur, quod neque majorem, nec aequalem, sed notabilem minorem probabilitatis gradum illa obtineat, quam opposita probabilioristarum: simul autem ex dictis in 2 disp. Q. 8. hic supponitur et ab ipsis quoque probabilistis passim conceditur, quod ad actum honestum, licitumve necessario requiretur, uti dictamen ultimum practicumque proxime illum antecedens sit saltem moraliter certum: ergo etc.

1132. Neque huic sententiae objici porro aliud posse videtur, quod sit alicujus momenti nec solutum jam sit art. 4, nisi fortassis illud adhuc opponendum quis illi censeat, quod videatur esse paucorum; cum plerique eorum, qui docuerunt, quod ex duabus opinionibus aequaliter probabilibus, fas cuilibet sit in operando sequi minus tutam, admiserint pariter, quod sequi liceat etiam minus tutam, ac simul minus probabilem; et contra plerique eorum, qui posterius hoc nega-

verunt, etiam prius illud fuerint inficiati. Verum hoc me quidem non multum movet; siquidem cum nostra circa Probabilismum sententia duabus potissimum constet partibus, quarum una dicimus, quod in casu aequalis utrinque probabilitatis licitum sit eligere partem etiam minus tutam, altera vero negamus, quod idem fas sit etiam in casu quo pars minus tuta operanti simul ut notabiliter minus probabilis apparet; pro utraque hac doctrinae parte seorsum accepta maximam, uti palam est, habemus auctoritatem: quod vero quos in una parte secuti sumus, ab iisdem in altera dicesserimus, ac vicissim, sane nonnisi magna ratione factum esse liquet ex hactenus disputatis. Certe argumenta, quibus nos in quaestione praecedente probavimus licitum usum opinionis minus tutae, in concursu tutioris aequaliter probabilis, nequaquam probant licitum pariter usum opinionis minus tutae in concursu tutioris notabiliter magis probabilis: et contra rationes praesente articulo indicatae, ob quas nos potissimum duximus, quod nefas sit opinionem minus tutam, et simul minus probabilem in praxi anteferre tutiori, ac notabiliter magis probabili, non suadent pariter, quod nefas etiam sit in casu aequalis utrinque probabilitatis minus tutam tutiori praehabere, ut palam est tum has tum illas consideranti. Nihil mirum ergo, quod unum horum et non alterum quoque concedamus: et qui utrumque horum vel concesserunt, vel negarunt, talibus nixi sunt fundamentis, quae parum firma esse rursus perspicuum est ex iis, quae hactenus sunt pertractata.

### *Art. VIII. - An doctrina praecedente art. tradita sit universalis; an vero et ipsa exceptionem aliquam patiatur et qualem.*

1133. Quamvis rigidior in praesente quaestione Sententia praecedente artic. tradita nobis probabilior atque in praxi quoque tenenda esse videatur; tamen et controverti adhuc potest, sitne illa universaliter vera? An vero suas ipsa quoque exceptiones patiatur? Et quales? Occurrunt autem sex praecipue casus, in quibus videri cuipiam posset exceptio aliqua esse facienda.

1134. *Primus* est casus *necessitatis*, quo scilicet quis partem, quae ipsi ut tutior et simul probabilior apparet, sequi in praxi non posset

absque gravissimo periculo, vel etiam interitu animae propriae, ut si cui probabilius appareret, invalidum esse baptismum collatum jusculo, vel atramento, simul autem oppositum ipsi quoque probabile videretur, urgeretque extrema necessitas baptismum talem ministrandi infanti jam iam morituro, nec praesente ad manum materia alia certius ad valorem suffectura: utique enim saltem tunc uti liceret tali materia, atque adeo juxta sententiam minus probabilem operari? Atque idem dic etiam de casu quo sacerdoti etiam minus probabile appareret, adultum morti jam proximum rite dispositum esse ad valide suscipiendam absolutionem: utique enim tunc liceret illi hanc impertire, posito quod de ejusdem dispositione sufficiente haberi major probabilitas, aut certitudo non posset?

1135. Verum haec non tam est exceptio a nostra doctrina praecedente art. tradita, quam aberratio a proposito: id enim solummodo ibi statuimus, quod non liceat in operando eligere partem minus tutam, et minus probabilem, quando minor probabilitas immediate cadit supra honestatem, vel licentiam alicujus actionis: quid autem fieri oporteat, aut facere liceat quando probabilitas illa immediate cadit supra valorem sacramenti, vel aliud quidvis a licentia, vel honestate actionis distinctum, quaestio est plane diversa, aliisque principiis, nec eodem modo, sed diverso pro diversitate materiae, ac circumstantiarum decidenda. Porro autem in casibus modo in exemplum adductis, probabilitas minor immediate cadit non supra honestatem, vel licentiam alicujus actionis (certum quippe est, quod in illis licitum foret sacramentum ministrare) sed supra aliud quid, sufficientiam scilicet hujus, vel illius materiae ad valorem hujus vel illius sacramenti: quare abs re huc illi adducuntur, idque solum quaeri hic potest, an, si cui invincibiliter probabilius appareret, quod sibi in ejusmodi casu necessitatis illicitum esset, uti materia minus probabiliter suffectura ad valorem sacramenti, contrarium vero ipsi etiam probabile videretur, sed minus, licite is posset tunc in operando sequi partem minus tutam ac simul minus probabilem, et sacramentum cum tali materia ministrare? An vero sequi teneretur partem magis tutam ac probabiliorem? Atque ad hoc respondetur, quod talis probabilius sequi tunc teneretur partem ipsius judicio tutiorem, ac magis probabilem, idque propter easdem rationes, quibus praecedente art. suasimus sententiam rigidiorem.

1136. *Secundus* casus est *possessionis*, quo scilicet sequi aliquis non posset in praxi partem magis tutam, et probabiliorem, quin se abdica-

ret re jam prius bona fide a se possessa: tunc enim possessio praevalere videtur majori etiam probabilitati partis tutioris: et consequenter licitum est amplecti partem minus tutam, ac minus etiam probabilem. Verum hic ipse casus poni potest dupliciter. Vel enim ponitur inaequalis probabilitas immediate cadere supra licentiam hic et nunc retinendi rem bona fide possideri jam coeptam, seu supra obligationem hic et nunc illa se abdicandi, ita scilicet ut cui omnibus rite consideratis notabiliter probabilius appareat, se hic et nunc, non obstante dicta possessione rei bona fide coepta teneri eam cedere alteri; oppositum vero minus probabile ipsi videatur? Vel ponitur eadem probabilitas inaequalis immediate cadere non supra ejusmodi licentiam, vel obligationem, sed supra proprietatem talis rei, vel supra existentiam, aut valorem emptionis, venditionis, permutationis, donationis, promissionis vel alterius contractus, titulive quo res talis ad ipsum pervenit, vel e contrario alteri esse posset obligata? Si *posterius* hoc ponitur, etiam hic casus extra propositum affertur, alteriusque est disquisitionis, in qua non eadem omnibus stat sententia: quamvis enim communior tenere videatur, quod privilegium possessionis praevaleat majori etiam probabilitati partis oppositae, ne spoliare seipsum quis debeat re bona fide a se jam possessa, nisi moraliter certum sit, rem non esse ipsius, vel alteri esse obligatam, uti supra art. 4 n. 977 indicatum est ex Molina et Lessio; non desunt tamen, qui contrarium opinentur et nominatim ex recentioribus rigoristis acriter id tuetur Zeg. Bern. Van Espen. *P. 4. jur. eccles.* in dissert. ad Reg: in dubiis semita tutior est eligenda § 12-13. Et in expositione Regulae juris, qua dicitur quod *in pari delicto vel causa, melior sit conditio possidentis*, uti contra communem multis contendit, quod non tantum in casu minoris, sed etiam in casu aequalis utrinque probabilitatis circa jus aliquorum ad rem quampiam, possessio illius etiam bona fide coepta non ita faveat possessori in foro etiam interno, ut hic totam illam sibi possit licite retinere, sed in hoc tantum vi dictae modo regulae juris, meliorem esse illius causam et conditionem, quod saltem in foro externo dejici non debeat possessione, et quod ex ipsa rei possessione, praesertim notabilis temporis, et de cujus titulo non satis constat, praesumptio aliqua, maxime in foro externo nascatur, quod jure illam detinuerit: interim tamen si omnibus, atque inter haec ipsa etiam possessione et praesumptione, quam parere haec interdum potest

rite expensis, maneat dubium, uter illorum, ipse scilicet an alius, habeat jus, ad rem possessam, ait debere illam pro ratione dubii dividi vel in se vel in aequivalenti, perinde ac si neuter prius eam possedisset, eo quod possessio saltem ante completam praescriptionem nihil juris transferat in possessorem pro foro interno: quae sententia etsi mihi nunc quidem minus probabilis videatur opposita longe communiori, non est tamen hujus loci, praesentisque propositi de ea aliquid determinare. Quod si autem ponatur *prius*, scilicet quod inaequalis probabilitas immediate cadat supra licentiam hic et nunc retinendi rem bona fide possideri jam coeptam, quodque possessori ejusdem notabiliter probabilius appareat, se non obstante dicta ejus possessione retinere licite illam non posse, standum esse videtur doctrinae praeced. articuli, dicendumque probabilius illum teneri in praxi sequi partem hanc tutiorem, ipsique magis probabilem, non obstante, quod etiam pars opposita probabilis videatur, idque rursus ob rationes superiore articulo pro rigidiore sententia adductas: nec apparet, quomodo excusare ipsum amplius possit rei possessio bona fide inchoata: quamvis enim haec juxta veriorem mihi sententiam per se loquendo eatenus ipsi prodesse posset, quatenus reddere ipsi posset probabiliorem partem minus tutam, asserentem scilicet quod rem taliter possideri coeptam, ratione ipsius possessionis retinere sibi licite posset, quandiu ipsi saltem minus, sed comparative tamen, probabile videtur, illam esse suam, nec alteri obligatam; si tamen per accidens hoc in ipso non operatur, sed uti in casu ponitur, notabiliter probabilius ipsi apparet, quod non obstante dicta rei possessione teneatur illa se abdicare, vel eamdem cum altero dividere, jam non est, cur non, ut in aliis materiis, ita in hac quoque sequi in praxi teneatur partem magis tutam ipsique notabiliter probabiliorem.

1137. *Tertius* casus est *magnae difficultatis*, quae subeunda foret illi, qui in operando sequi vellet partem tutiorem, ac simul magis ipsi probabilem. Sunt nempe aliqui, qui concedunt quidem, quod quando quis partem magis tutam, ac simul ipsi notabiliter probabiliorem sequi in praxi posset *absque magna difficultate*, teneatur hoc ipsum facere; negant tamen, ad hoc illum obligari, quando facere id non posset *absq; magna difficultate*, vel saltem si facere id non posset *absq; difficultate valde magna:* tunc enim censent, Deum, et multo magis Legislatores Humanos, habita ratione magnae nimis imbecillitatis naturae corruptae, quae magnis difficultatibus facile cedit, multitudinis item legum etiam certo

existentium, uti et peccatorum alias frequentissime secuturorum periculum, nolle suis nos legibus etiam reipsa existentibus proxime obligatos esse, multoque minus illis, quae re quidem existunt realiter, sed tantum existere nobis probabilius apparent, quamdiu omnibus rite consideratis etiam comparative probabile nobis videtur, quod non existant.

1138. At neque haec exceptio, seu limitatio Sententiae Rigidioris satis adhuc nobis probatur: quia contrarium rursus suadent rationes praecedente articulo indicatae. Cum enim certum sit, Deum plurimas leges etiam ex illis quarum observatio est valde difficilis, voluisse non omnino certas nobis esse ac evidentes, sed variis doctorum opinionibus subjectas; consequenter etiam voluisse censendus est, hae quoque, ne quasi penitus essent frustraneae, saltem tunc obtinerent vim nos ad sui observantiam etiam proxime obligandi, quando nobis ut notabiliter probabilior apparet existentia, quam negatio illarum: et in eodem casu jam habetur talis ejusmodi legum notitia, qualis in humanis circa res agibiles, seu morales, ut plurimum haberi potest, ac proin non potest, amplius jure a nobis praetendi invincibilis ignorantia earundem. Hoc quidem verum est, quod frequenter ipsa difficultas valde magna, quae daretur in usu opinionis tutioris, reddere nobis possit probabiliorem minus tutam, ita ut prudenter possimus judicare, Deum voluntate, ac lege etiam antecedente, directa, ac primaria non voluisse nos obligare ad actionem, vel omissionem illam, tam nobis difficilem, pro qua stat opinio magis tuta. At vero si non obstante illa difficultate adhuc notabiliter probabilius nobis apparet, veram esse opinionem tutiorem, atque adeo Deum voluisse nos lege primaria, antecedente, ac directa ad talem actionem, vel omissionem obligare; non dispicio, quomodo eadem difficultas sufficere nobis possit ad judicandum prudenter, quod Deus voluntate, ac lege secundaria, consequente, et quodammodo reflexa liberos nos velit ab illa obligatione, quam probabilius illum voluisse judicamus lege primaria, antecedente, ac directa. Adde quod, cum nimis difficile foret determinare, quaenam difficultas censenda esset *magna*, aut valde *magna*, quicunque fere libertatis sunt amantiores, quamlibet facile difficultatem notabilem simpliciter magnam, aut valde magnam reputarent, et sub ejus praetextu sequerentur opiniones minus tutas, quantumvis notabiliter minus probabiles: sicque per hanc Rigidioris Sententiae limitationem rursus aperiretur janua laxitati, quam ejusdem Sententiae Auctores clausam esse cupiebant.

1139. *Quartus* casus est *singularitatis*, quando scilicet alicui quidem notabiliter probabilius apparet, legem aliquam reipsa dari, haec tamen ipsius persuasio est prope singularis, reliquis fere omnibus, etiam doctis, ac probis, contrarium opinantibus, ac libere deducentibus etiam in praxim: tunc enim censent, neque talem ejusmodi lege proxime obligari, eo quod per epikeiam praesumere is possit prudenter, Legislatorem non velle se vel solum, vel cum paucissimis aliis adstringere ad talem legem servandam, quamdiu haec fere omnibus adeo est ignota, et a nemine ferme observatur; cum lex respiciat utilitatem communem et oporteat eam communiter observari prout observant Navar. *Consil. 1 q. 5. de Const. 24* Medina *in 1. 2. q. 90. art. 3 in fine*, Layman *L. 1. tr. 4. c.3. n. 3.* facitque huc notum illud *Dist. 4.* ad cap. *In istis Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Et Confirmatur, quia in tali casu ejusmodi lex, etiamsi fortassis fuerit lata, aut etiam aliquando promulgata, censetur tamen vel non esse recepta, vel usu, aut desuetudine rursus abrogata, et consequenter non habere amplius vim obligandi. Atque haec exceptio rationabilis esse videtur, ac vera, dandumque hoc saltem est doctrinae Cardinalis Pallavicini *Articulo 3. hujus quaestionis n. 986* relatae posito quidem, quod sermo sit de lege Humana. Nam de Divina, et maxime de Naturali, cujus vis obligandi non ita pendet ab acceptatione subditorum, nec per contrarium usum aut desuetudinem cessat, vel aboletur, uti dictum est de Humana, res minus est certa, nec ita facilis: durum nihilominus videtur, non de hac quoque idem sentire. Pone sis enim, alicui omnibus diligenter consideratis notabiliter probabilius apparere, census v. g. germanicos usurae labe reipsa esse infectos, et consequenter per se jure naturali prohibitos; interim tamen contrarium quoque ipsi quidem ut probabile, aliis autem plerisque ut probabilius apparere, et ab omnibus ferme, qui quidem occasionem aliquam habent id faciendi, etiam a Viris Ecclesiaticis, Religiosis, aliisq; tum doctrina, tum etiam pietate conspicuis citra scrupulum in praxim deduci: quid ni et ipse censere rationabiliter possit, quod, licet suo judicio probabilius detur lex ejusmodi censuum per se prohibitiva; atque adeo illi per se sint illiciti, tamen Deus hic et nunc nolit eadem lege se vel solum, vel cum paucissimis aliis proxime obligatum esse, sed per voluntatem consequentem permittere, ut et ipse una cum aliis sententiam minus tutam, quamdiu haec ipsi saltem ut minus, aliis autem, fere omnibus ut magis probabilis apparet, libere sequa-

tur, fere sicut juxta dicta quaestione nona in casu aequalis utrinque probabilitatis prudenter judicare quis potest, quod licet probabiliter detur lex certae actionis prohibitiva, tamen Deus voluntate consequente nolit se eadem hic et nunc proxime esse obligatum, sed permittere, ut et ipse una cum caeteris sequatur partem minus tutam. Verum nihil de hoc ausim absolute determinare; tum quia si verum hoc esset, ejusmodi lex, etiamsi reipsa daretur, in tali casu, ac pro tali tempore, plane esset frustranea, utpote ad cujus observationem nemo proxime esset obligatus; tum etiam quia aegre salvari alias posset quod non eadem de causa licitum alicui esset, operari juxta Sententiam minus tutam etiam tunc, quando ipsi tutior omnino certa, vel evidens, reliquis autem pene omnibus ut minus probabilis appareret, quod tamen admittendum non videtur, saltem quando sermo est de lege naturali.

1140. *Quintus* denique casus est *obedientiae*, quando scilicet superior aliquid praecipit juxta sententiam probabilem licitum quidem, quod tamen subdito consideratis omnibus notabiliter probabilius apparet per se esse illicitum, seu prohibitum lege directa et antecedente. Videtur enim, quod saltem tum subditus licite possit, quin et teneatur quoque, superiori obedire, atque adeo in praxi actionem suam conformare opinioni minus tutae, ipsique minus probabili, eo quod tunc non sit certo, ac manifeste malum quod praecipitur; subditus autem juxta communem sanctorum Patrum, ascetarum ac theologorum obedire teneatur superiori, quoties id quod praecipitur, non est certo ac manifeste malum, prout vidimus *art. 8. praeced. quaest.* n. 550. hocque ipsum ut fiat, exposcere videtur recta gubernatio, quamvis ponatur, quod secluso superioris praecepto fas non esset in operando sequi opinionem minus tutam, ac minus probabilem, relicta tutiore magisque probabili ipsi operanti.

Atque haec quoque exceptio videtur esse perquam consentanea rationi, atque omnino admittenda juxta ea, quae hac ipsa de re pluribus jam dicta sunt *n. 1004.* et sqq. quamvis eam non probet Adrianus n. 967. relatus, aliique plures ex probabilistis sint rejecturi.

1141. Adhuc aliam cogitare quis potest exceptionem, qua praecedentis artic. doctrina limitetur, dicendo scilicet, veram equidem illam esse, quando sermo est de lege *naturali*, vel ad summum etiam de *positiva divina*; non vero quando sermo est de lege mere *humana*, ita scilicet, ut tunc ad summum obligatus quis sit ad sequendam in praxi

opinionem tutiorem, ac simul ipsi magis probabilem, quando probabilitas immediate cadit supra existentiam legis naturalis vel positivae divinae, non vero quando illa immediate cadit supra existentiam legis alicujus humanae. Ratio vero doctrinam hanc ita limitandi esse potest: quia legislator humanus, quando serio vult leges suas a subditis observari, ita potest has ipsis proponere ac intimare, ut de iisdem illi certitudinem habeant saltem moralem, nec locus sit diversis ac utrinque probabilibus circa illas opinionibus: et similiter si sciat, dubium aliquod esse circa earumdem sensum, ut plurimum facile potest hoc tollere, subditis suam circa illas mentem apertius declarando. Quando igitur id non facit, praesumendum est, quod non serio velit subditos iisdem quoad illa quae ambigua sunt, in conscientia quoque esse obligatos: maximeque locum hic habet regula illa juris *57. in 6. Contra eum qui legem dicere potuit apertius, interpretatio facienda est;* et alterum illud *leg. 99. ff. de Verb. Oblig.* Quidquid adstringendae *obligationis est, id nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est.* 2. Quia ipsi legislatores humani sufficienter declarasse videntur, quod nolint subditos legibus suis teneri, nisi hae fuerint *clarae* ac *manifestae,* uti constat tum ex juribus modo indicatis, tum etiam ex *cap. cum in jure. de off. ord. l. 1. C. de mandatis Principum,* aliisque pluribus, Quaest. praeced. art. 12. n 616. relatis. Quando autem circa existentiam, sensum vel extensionem legis dantur opiniones contrariae et utrinque probabiles, licet inaequaliter, jam illae non sunt clarae ac manifestae: ergo tunc non obligant. 3. Quia idem declararunt quod in *dubiis et obscuris pars humanior et benignior* tenenda sit, et *quod minimum est, sequendum,* uti rursus constat ex *Reg. 30 Iuris in 6.* et *l. 56. ff. de reg. jur.,* aliisque locis pluribus art. cit. n. 617. indicatis: quando autem diversae, et inaequaliter probabiles sententiae circa legem aliquam existunt jam haec censetur esse *dubia* et *obscura:* ergo tunc tenenda est pars humanior, benignior quaeque minus oneris imponit, et consequenter standum est pro libertate. 4. Etiam praeclarissimi quique juris consulti, quorum aliquos eodem rursus artic. n. 627. retulimus, principii instar habuerunt, quod lex dubia non possit allegari, nec operetur effectus legis, et quando eadem lex diversimode exponitur, ejus veritas ignoretur. Jam autem dictum est, quod etiam in casu, quo circa existentiam, sensum vel extensionem legis diversae opiniones etiam inæqualiter probabiles existunt, eadem lex in jure pro dubia habeatur. Ergo. 5. demum ac praecipua quia cum, uti denuo

art. cit. 12. n. 636. observavimus, praeter leges divinas haud sane paucas jam alias detur ingens multitudo legum humanarum etiam certo existentium, neque expediat has nimium multiplicari cum magno periculo plurimum augendi numerum peccatorum formalium, et ruinae spiritualis animarum, merito censendi sunt legislatores humani nolle suis legibus nos proxime obligari, quamdiu post adhibitam diligentiam debitam, apparet probabilitas etiam comparativa, quod non existant, quamvis contrarium adhuc probabilius nobis videatur. Si autem hoc ipsi non volunt, eo ipso fas est in operando sequi partem ac opinionem etiam minus probabilem, ac minus tutam, quando probabilitas illa immediate cadit supra existentiam legis humanae.

1142. Haec doctrinae praecedente artic. traditae limitatio si admitti potest, haud sane parum illius rigor temperabitur: cum enim plurimae leges humanae, eaedemque saepe observatu difficillimae, sint controversae, et positae sub opinionibus utrinque probabilibus, si illae nos ad sui observantiam nondum obligarent proxime, quamdiu rite perpensis omnibus etiam comparative probabile nobis videtur, quod non existant, vel se ad hoc vel illud objectum, casumve non extendant etc. etsi contrarium nobis probabilius apparuerit, nae jam hoc ipso plurimum alleviaretur onus, quod in contraria sententia nobis imponitur! Et vero negari haud posse mihi videtur, quin haec limitatio vel ob solas rationes modo indicatas, et maxime propter earum ultimam multum habeat probabilitatis, at fors non deerunt, qui hac denique via tamquam tutissima et prae aliis expedita incedendum sibi esse ducent in controversia hac adeo intrincata, circa licitum usum opinionum probabilium.

1143. Nihilominus tamen, adhuc probabilius mihi videtur, non esse limitationem hanc admittendam, eo quod rationes pro rigidiore sententia praecedente art. n. 1123. et sqq. adductae pugnare videantur universaliter pro legibus non solum illis, quae juris sunt divini, sed etiam pro illis quae juris sunt tantum humani, prout patebit illas consideranti, movetque illud imprimis, quod una hac limitatione fieret magna nimis strages legum humanarum. Nec contrarium evincunt rationes modo adductae. Nam ad primam earum, r. 1. quod, cum certum sit, plurimas humanas leges esse obscuras, minimeque manifestas, sed opinionibus utrinque probabilibus subjectas, si hoc ipso censendi essent legislatores noluisse nos illis obligatos esse, quamdiu ita obscurae sunt, et controversae, videri possent esse nugati, eas cum illa

obscuritate ferendo; cum hac stante nullam illae haberent vim nos obligandi, ideoque adhuc vel tollere eas deberent penitus, vel certe suam circa eas mentem clarius explicare. Nugati autem utique non sunt: censendi igitur sunt iisdem illos saltem voluisse proxime esse obligatos qui notabiliter probabiliorem earum notitiam essent assecuti. R. 2. moraliter fieri non posse, ut legislatores humani mentem ac voluntatem suam legibus suis tam clare manifestent, ut subditi de illa in omnibus habeant certitudinem moralem, et non identidem aliquae, imo multae, de ea controversiae inter illos oriantur, ac circa illas opiniones hinc et inde solum probabiles existant. Adde quod neque hoc fieri, ac provideri ab illis possit, ut de ipsa etiam existentia ac substantia earumden notitia certa ad subditos omnes etiam, longe remotos, et quovis tempore perveniat; unde si haec non ad omnes illos pervenit, sed ad multos solum probabilis, non sequitur ex ratione in argumento indicata, quod tunc nolint illos iisdem proxime esse obligatos. Recolantur dicta *D. I q 4. a. 3, n. 107, et sqq.*

1144. Ad secundam, tertiam et quartam rationem responsio patet ex dictis *art. 4. huj. quaest. n. 999. et sqq.* [1]) Ad ultimam vero, eamque praecipuam colligi illa potest ex dictis n. 1123. praec. art. et 1138, praesentis. Indubitatum nempe est quod legislatores humani praeter leges etiam certo existentes dari voluerint alias multas de quarum existentia sensu extensione etc. non habetur communiter certitudo aliqua moralis sed probabilis tantum notitia, qualis alias quoque ut plurimum haberi potest de agibilibus; et quia iidem non utique voluerunt has esse frustraneas, censendi sunt voluisse easdem saltem tunc habere vim proxime nos obligandi, quando habetur de iis probabilitas notabiliter major, idque non obstante periculo peccatorum formalium ex frequente earum transgressione secutorum: ideoque concesso antecedente ultimae illius rationis, neganda est consequentia. Interim tamen ob hoc ipsum periculum per multiplicationem legum humanarum peccata pariter nimium multiplicandi, et ob onus nimium, quod fidelium humeris per easdem imponitur, fateor, optandum esse, ut earum numerus minuatur potius, quam ut in dies magis adhuc augeatur.

---

1) Cf. crisim nostram pag. 279. sqq. ubi diluuntur, distinctione adhibita, ea quae congerit Rassler istis numeris 999 et sqq.

1145. Quamquam non idcirco omnis legum multiplicatio deprecanda est, expetenda potius videtur illa, per quam non nova Fidelibus onera imponantur, sed id tantum, quod in prioribus obscurum est, vel ambiguum, declaretur magis, apertiusque determinetur. Nempe cum, uti saepius jam dictum est, et nemo potest inficiari, ex legibus humanis multae sint obscurae, plurimaeque circa illarum sensum, et extensionem, inter doctos controversiae existant, et opiniones dentur utrinque probabiles, optandum magnopere esse videtur, ut viri aliqui docti ex iis, quae Sacro praecipue in Jure obscura, et inter ejusdem Interpretes controversa sunt, saltem praecipua, quae scilicet majoris momenti sunt, ususque frequentioris, colligerent, Sacraeque Sedi eadem exhibentes supplicarent, ut, quaenam Ejusdem circa illa mens esset, voluntasque, citra ambiguitatem declararet: sique responsis ad ea datis novus etiam Decretalium Liber prioribus sex, septemve, quos habemus, adjiciendus esset, non gravius per hoc, sed levius potius redderetur jugum nostrum, maxime si, ut Rigoristae contendunt, in dubiis Juris semper in praxi vel tutiora sequenda essent, vel probabiliora ita ut ne quidem in casu aequalis utrinque probabilitatis sequi fas esset partem minus tutam. Si aut vera potius esset sententia Probabilistarum, et maxime, si partem etiam minus tutam, ac simul minus probabilem sequi liceret in operando, id commodi ex ejusmodi declarationibus haberetur, quod non ita passim Sacri Canones sub praetextu probabilitatis opinionum circa illas versantium, ac faventium libertati, nec raro tamen reipsa summorum Pontificum, a quibus iidem proficiscuntur, menti, ac voluntati adversantium, a plurimis eluderentur, sed suum illis robur firmitasque constaret. Simul etiam innumerae lites in foro externo quoque amputarentur, quae nunc ex multarum legum, Sacrorumque Canonum vel obscuritate vel ambiguitate, ac vario inter doctos illorum intellectu quotidie oriuntur.

*Sic tandem concludit Rassler synopsim totius operis:*

127. . . . Hoc tamen dandum esse videtur praesenti argumento, quod, si cui omnibus rite consideratis Benigna Sententia magis, vel saltem aeque, aut non notabiliter minus probabilis videatur, quam opposita, possit is illam in operando sequi, et consequenter etiam ex suppositione illius alias quascunque opiniones practicas minus tutas, ac simul minus ipsi probabiles, formando scilicet discursum, ac dictamen ultimum modo illo, qui in ultimo hoc argumento est indicatus. [Licitum est cuilibet in operando sequi quamlibet sententiam practicam minus tutam quae ipsi rite expensis omnibus apparet ut notabiliter probabilior opposita tutiore. Atqui sententia benigna, mihi hujusmodi apparet, vel saltem aeque probabilis etiam comparative ad rigidam. Ergo. Rassl. n. 126 syn].

Atque hoc saltem pacto a peccato formali excusari potuerunt ac procul dubio excusati etiam fuerint ejusdem benignioris sententiae sectatores, qui per integrum saeculum, et ultra, illam tenuerunt, et ex illius suppositione in aliis etiam quaestionibus particularibus vel ipsi in operando secuti sunt opiniones minus tutas, ac simul minus ipsis probabiles, vel juxta easdem aliis quoque consilium dederunt, uti et illi, ipsi alii, qui consilium tale acceperunt et juxta illud bona fide sunt operati.

128. **Ceterum facile crediderim, fore etiam deinceps complures, quibus** vel solis illis, quae hactenus in compendio et in D. 3. Q. 10, pleniore calamo in utramque partem producta sunt, consideratis, **benigna hac in quaestione sententia magis adhuc placitura sit,** quam rigidior probabilioristarum; res enim tota, nisi mea mihi opinio imponat, reducitur ad prudentiale, ut ita loquar, judicium et ab eo denique pendet, utrum pensatis omnibus absolute melius, et infinita supremi legislatoris sapientia dignius sit, ut nos velit obligatos esse ad servandas leges quascunque, quarum existentia notabiliter probabilior nobis apparet, sive dein reipsa illae existant, sive non, ne alioquin nimis multae leges ad nostram utilitatem latae apud plerosque vim obligandi proximam amittant, atque ita pene inutiles evadant, facta nobis interim potestate servandi vel non servandi leges alias quarum existentia vel ut minus,

vel solum ut aeque probabilis apparet? An vero ut nos obligatione hac velit esse solutos, ne alias saepe praeter leges plurimas certo existentes servare teneamur aliquas reipsa etiam non existentes, quantumvis observatu perquam difficiles, atque ita occasio detur peccata formalia nimium multiplicandi, viaque salutis reddatur plus aequo impedita? **Qua in re pronum est variare judicia etiam prudentium. Ac nobis quidem prius horum magis probatur: quibus tamen oppositum, re mature discussa, videbitur esse probabilius, eidem nobis minime invitis assentientur.**

FINIS

# DISSERTATIO SCHOLASTICO-MORALIS

PRO USU MODERATO

OPINIONIS PROBABILIS IN CONCURSU PROBABILIORIS

**A S. ALPHONSO DE LIGUORI E. D.**

ANNO 1755 PRIMUM IN LUCEM EDITA

A RECENTIORIBUS OPERUM S. D. EDITIONIBUS AEVO NOSTRO

EXPUNCTA

NUNC AUTEM CRITICIS THEOLOGICISQUE STUDIIS

INTEGRE RESTITUTA

# DISSERTATIO

## DE CELEBRI QUAESTIONE

## AN LICEAT USUS OPINIONIS PROBABILIS

## IN CONCURSU PROBABILIORIS

---

Noli esse justus multum. — Eccl. 7. 17.

Carvenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem: prima saepe salvat damnandum, secunda contra damnat salvandum.

S. Bonav.
*Com. theol. verit. l. 2. c. 32. n. 1.*

## PROŒMIUM.

1. Ut ambiguitates et aequivocationes quae in hac dissertatione facile possunt occurrere, vitentur, ante omnia operae pretium ducimus declarare, quae sit opinio probabilis, quae probabilior, quae probabilissima, et moraliter certa. Opinio *probabilis* est ea quae nititur gravi ac solido fundamento verisimili: vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod valeat ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. *Probabilior* est ea quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria sit etiam vere probabilis, seu graviter verisimilis, licet minus. *Probabilissima* est ea quae nititur gravissimo fundamento, ita ut opposita sit tenuiter probabilis, nempe quae fundamentum leve vel quasi leve habeat.

Quia tamen probabilissima fines probabilitatis non excedit, quamvis inter probabiles principem locum teneat, idcirco non excludit, omnem prudentem formidinem, quod contraria pos-

sit esse vera. Opinio demum, sive sententia (ut proprius dicenda) *moraliter certa* est ea quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, et cujus opposita est omnino improbabilis.

2. Hac distinctione praenotata, sciendum, quod circa delectum opinionum libertati faventium quatuor sententiae prodierunt.

*Prima* omnem rejicit opinandi usum etiam ex opinione probabilissima, et hanc tenuit Sinnichius, qui, (ut fertur) Jansenii doctrinae tam magnus amator extitit, ut non dubitarit in quodam suo libro, deinde proscripto, sic asserere: *non potest damnari Jansenius, nisi ridente Pelagio, plorante Augustino.* Idem sensit Wendrochius in sua dissertatione *de probabili* qui liber legitime damnatus fuit, et traditus flammis manu carnificis. His videntur bene posse addi Fagnanus qui in *Cap. Ne innitaris, de Constitut.* n. 402. loquens de opinione probabili, quam tantum ipse putat licere sequi adversus tutiorem, sic illam definit: « est ea in qua, omnibus singillatim perpensis, scilicet rationibus ac auctoritatibus, et in unum conflatis, usque adeo acquiescat intellectus, ut concipiat, rem ita esse, et judicet sine ulla trepidatione ac formidine, opinionem illam esse veram; ex quo tandem certitudo moralis, etsi non evidens et demonstrativa, resultet. » Item Genettus *tom. 1. tract. de consc.* et Habert *t. 3. de consc. c. 4. q. 1.* qui ait: *falsum est, bonam esse conscientiam, quae utitur opinione probabili, nisi illa sit moraliter certa*; id est, ut ipse antecedenter explicat, quae prorsus excludit erroris formidinem, ita ut opposita pro lege nullo modo probabilis appareat; ibique loquitur de certitudine directa opinionis libertati faventis. *Secunda* sententia tunc tantum tenet licitum esse sequi opinionem minus tutam, quando opposita pro lege est tenuiter probabilis, ita ut leve vel fere leve fundamentum habeat; et hanc tuentur Mercorus, Baronius, et alii pauci. *Tertia* sententia communis inter probabilioristas dicit, licere uti opinione probabili pro libertate, semper ac ipsa nititur fundamento graviori, licet contraria pro lege etiam sit

graviter probabilis. *Quarta* denique sententia tenet, licitum esse sequi opinionem probabilem, et minus tutam relicta probabiliori.

3. De prima et secunda sententia hic non disseritur; nam prima, quae dicitur tutioristarum rigidorum, jam proscripta fuit ab Alexandro VIII. in propos. 3. quae dicebat: *non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* De secunda vero neque hic seorsim agimus, tum quia ipsa est contra communem sensum tam recentiorum, quam veterum theologorum, ut infra patebit, tum quia ex confutatione tertiae sententiae, quae tantum requirit, quod opinio libertati favens sit probabilior, etiamsi opposita sit vere probabilis, a fortiori secunda confutata remanebit. Ceterum dum fautores hujus mitioris tutiorismi statuunt majus pondus probabilitatis pro lege elidere minus pro libertate, ita ut opinio tutior tunc evadat moraliter certa, cur, peto, non idem dicendum, cum opinio pro libertate est probabilior? Tantum igitur hic disserendum de tertia et quarta sententia, quarum ultimam benigniorem et communissimam probandam aggredimur, nempe licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum.

## CAPUT PRIMUM

### *Probatur nostra sententia auctoritatibus.*

4. Mercorus, acerrimus rigidae sententiae propugnator, hos citat auctores nostram sententiam tutantes. Barth. Medina to. 1. q. 19. a. 6., ubi dixit: *Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit.* Eum sequutus fuit p. Didacus Alvarez (vir celeberrimus propter disputationes ab ipso propugnatas pro gratia praedeterminante) in 1. 2. q. 19. d. 80., ubi scripsit: *Potest sequi opinio practice probabilis, relicta probabiliore;* cum paulo ante dixerit: *Tenent hanc senten-*

*tiam magister Medina et alii doctissimi Thomistae.* Et revera sic etiam tenuere M. Bannez, confessarius d. Theresiae l. 2. q. 10. a. 1., ubi: *Verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem relicta probabiliore,* M. Martinez in l. 2 q. 19. a. 6. ubi: *Licitum est sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore,* M. Lorca d. 39. M. Lopez. p. 1. c. 120. M. Montesin. d. 29. q. 5. M. Candidus *Disqu.* l. v. *Absolv.* Suarez tom. 5. p. 3. d. 40. sect. 5. Vasquez l. 2. q. 19. c. 3. Viguer. c. 15. §. 1. Petr. Navarr. l. 3. c. 1. Pontius. *de Matr.* l. 10. c. 13. Valent. d. 2. q. 14. p. 7. Salon. *de Iust.* q. 63. contr. 2. Sa. *v. Dubium* n. 3. Lessius *de Iust.* c. 29. d. 8. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. Sanch. *Dec.* l. 1. cap. 3. Malder. q. 19. a. 5. d. 86. Sayr. *Clav. reg.* l. 1. c. 5. Rodrig. *in expos. Bullae* §. 9. Tanner. d. 2. q. 4. dub. 3. Aversa q. 28. sect. 18. Arriaga *de Act. hum.* Aragon. 2. 2. q. 63 a. 4. Azor. t. 1. l. 2. c. 12. Amic. *de reg. extrinsec.* Baldellus p. 1. d. 12. Bardi *Disp. sel. ad Cand.* Barbosa *Collect. c. Capellanus, de fer.* Bonac. *de Peccat.* q. 4. p. 9. Bresser. l. 3. *de Cons.* c. 6. Palaus p. 1. tr. 1. d. 2. Coninch. d. 34. dub. 10. Corneius tr. 8. d. 3. dub. 6. Diana. 2. p. tr. 13. r. 1. Emmanu. Barbosa l. 3. t. 64. Escob. *Summ.* proem. ex 3. c. 3. Farinac. *Cons.* 60. n. 9. Franc. de Lugo *de Cons.* c. 3. Filliuc. tom. 2. c. 4. q. 4. Garzias *de benef.* par. 11. Gordonus l. 1. q. 9. c. 6. Granadus Or. 2. contr. 2. d. 2. Guttierez l. 1. c. 13. Henriquez l. 14. c. 3. Ledesma to. 8. c. 22. Lezana p. 4. v. *Opinio.* Merula d. 3. c. 4. Naldus v. *Opinio,* Ovied. in l. 2. Portell. v. *Opinio* Reginald. l. 3. n. 90. Salas tr. 8. sect. 6. Spinola *de lib. elect.* Santarel. q. 44. Villalob. to. 1. tr. 1 diff. 10. Omnes isti citantur a Mercoro.

5. His adduntur Sylvius l. 2. q. 19. a. 5., quaest. 9. concl. 3. Christianus Lupus To. XI. p. 1. d. 1. c. 1. Cardinalis Sfondratus *in theol. schol. de Act. hum.* Salmant. *Theol. schol.* tr. 24. d. 12. n. 79. *et Theol. mor. de poenit.* c. 12. n. 44. p. Gallego *de Consc.* Tapia in *Cat. mor.* l. 9. c. 12. Tesseda tr. 2. contr. 7. n. 9. Joan. Bapt. Ildephons. in l. 2. qu. *de probabil.* Serra l. 2. q. 19. a. 6. dub. 4. Boss. *de Consc.* p. 1. ti. 1. §. 17. n. 127. Moya *Qu. sel.* q. 6. Schilder *de Princ. cons.* tr. 2. c. 2. §. 2. Dicast. Tr. 8. d. 10.

n. 556. Bassæus. To. 1. v. *Conscientia* n. 9. Esparza *de Act. hum.* q. 23. Fragosa p. 1. l. 4. d. 10. n. 196. Becan. *de Act. hum.* Jo. Medin. Tr. 1. q. 19. Pesant. 1. 2. q. 19. d. 2. a. 6. Wiggers 1. 2. q. 19. a. 6. dub. 6. Marchant. Tr. 5. tit. 5. qu. 6. Hurtad. Gaspar. *de Poen.* d. 9. diff. 1. Praepos. *de Poen.* qu. 10. a. 8. Possevin. *in Prax.* c. 15. Turrian. *de Iust.* d. 13. dub. 3. Mendo *Statera* d. 13. q. 15. Polanc. *de Prud. conf.* c. 1. Herinx. d. 4. q. 3. Perez. His novissime subscripserunt Roncaglia lib. 1. q. 1. *reg. in praxi*, Lacroix lib. 1. ex n. 268. seqq. Holzmann. Tom. 1. pag. 29. n. 131. Elbel Tom. 1. pag. 65. n. 185. et alii plures, ut referti Terillus qu. 22. n. 13., qui asserit, pro contraria sententia vix esse unum auctorem pro decem qui sunt pro nostra.

6. Eamdem sententiam docuerunt plures episcopi et cardinales, prout cardinalis de Lugo *de Sacr. Poen.* d. 22. n. 39., ubi scripsit: *Cum nemo teneatur in operando sequi opiniones probabiliores, sed possit sequi probabiles.* Idem dixit in disp. 23 sect. 2. et *de Iust.* d. 37. sect. 10. et *Resp. mor.* dub. 19. Item card. Toletus *Inst. sac.* l. 3. c. 20. n. 7., ubi docuit, teneri confessarium absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem minus probabilem; quia quando adsunt duae contrariae opiniones probabiles, *utramque in conscientia* (inquit) *potest sequi confessarius, quamvis ipse unam illarum probet.* Item card. Pallavicin. *de Act. hum.* d. 9. quaest. 4. a. 2. et 4. Cardinalis Sfondratus loc. supra cit. Item episcopus Tapia in *Cat. mor.* l. 9. a 12. Episcopus Ludov. Abelly *Medul.* p. 2. tr. 2. cap. 1. §. 3. Item locis citatis episcopus Didac. Alvarez; episcopus Barth. Ledesma, episcopus Ioseph Angles, episcopus Thom. Zerola, episcopus Bonacina. Hicque notandum, quod s. Franciscus Salesius epistola 34. lib. 1. scripsit cuidam episcopo, ut assidue legeret summam Toleti; quia (ut dixit) *contiene dottrina sicura.* Idem sanctus Carolus in *Instruct.* ad suos confessarios suadet legere Lessium et Reginaldum, qui ex professo tuentur benignam sententiam. Nec dicas, quod approbans aliquem auctorem non censetur singulas eius doctrinas approbare; nam sententia benigna, cum

sit generalis, se extendit ad singulos casus, ubi habetur opinio probabilis; idcirco nusquam invenietur quis ex probabilioristis, qui amico librum alicujus probabilistae sectandum proponat. Expresse favet etiam nostrae sententiae id quod docet N. Ss. regnans papa Benedictus XIV. in celeberrimo opere *de Synodo*, quod licet ante pontificatum paraverit, tamen in suo pontificatu (ut ipsemet scribit) quasi de novo disposuit, ornavit et edidit: Ibi lib. 7. c. 11. n. 3., agens de quaestione, an qui mane communicavit ex devotione, teneatur aut possit, urgente periculo mortis, Viaticum sumere, dixit: *In tanta opinionum dd. discrepantia integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit.* Idem tenuerunt plurimi ex doctoribus gallicis, ut Duvallius *de Act. hum* q. 4. a. 12. Gamachaeus 1. 2. qu. 19. c. 2. Millart. To. 2. c. 13. David Mauden *Disc.* 2. in. 8. praec. n. 11. et 12. Io. Ferrer. *Trac. de probab.* gallice scripto, Lorichius *Thesaur.* v. *Opinio.* Bertaut *in Direct. confess.* etiam gallice scripto, pag. 212., ubi ait, confessarium teneri absolvere eum qui vult sequi opinionem probabilem; *quia in opinionum diversitate datur poenitenti optio eligendi quamcumque voluerit.* Denique nostram sententiam testantur esse communem Suarez loc. cit., ubi sic ait: *Principium est generale, quod in moralibus licet practice operari cum opinione minus probabili adversus opinionem speculative probabiliorem,* Vasquez l. cit., ubi testatur, suo tempore communiter doceri in scholis: et sic etiam communem asserunt Petrus Navar., Gamachaeus, Medina, Valentia, Bonacina, Palaus, Garcia, Busembaum, Aversa, Sporer, Elbel, Ledesma, Leander etc.

7. Ad hanc auctoritatum multitudinem adversarii respondent, quod in hoc praelaudati aa. secuti sunt unus alium, tamquam aves et oves; et Contensonius ultra progreditur, acuens contra eosdem illud Senecae: *Argumentum pessimi turba est.* Id autem profert iuxta communem usum probabilioristarum, qui maledictis et conviciis maxime contendunt benignam sententiam infirmare; contra tamen illud quod prae-

scripsit Innocentius XI. in decreto damnationis thesium, ubi: *Caveant ab omni censura et nota necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a sancta Sede, re cognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.* Ceterum credibile non est, quod tot benignae sententiae fautores, undique doctrina ac pietate probati, caeco ductu trahi voluerint a judicio aliorum, non pensatis intrinsecis rationibus; cum e converso in quaestionibus innumeris ipsimet aa. sibi invicem adversantur: quo patet apud ipsos non solam auctoritatem, sed rationum vim maxime praevalere.

8. Nec valet dicere, sententiam benignam fuisse in Ecclesia omnino novam et prioribus saeculis inauditam usque ad tempus Bartholomaei Medinae, qui primus illam excogitavit ac evulgavit. Nam respondetur, quod licet prius haec doctrina ab antiquis nunquam tradita fuerit in terminis, quibus exposuit Medina (vir quidem doctissimus, qui ex praecepto p. Seraphini Cavalli sui Generalis *Expositiones* in 1. 2. d. Th. edidit anno 1577.); attamen in substantia terminis aequivalentibus eam satis tradiderunt, utque testatur Christianus Lupus, in praxi illa communiter usi sunt. Et quamvis universe docuerint parti probabiliori adhaerendum, ibi tamen loquuti sunt non de probabiliori circa rei veritatem, sed de ultimo dictamine circa honestatem actionis: quod dictamen formatur tam a motivis probantibus rei verisimilitudinem, quam ab aliis probantibus actionis honestatem; ubi vero loquebantur de judicio speculativo circa delectum opinionum probabilium, sive circa probabilitatem, quae respicit veritatem rei, a nobis non discreparunt, ut ex eorum scriptis videbimus infra, cap. III. §. VI..

9. Nequit autem negari, quod spatio centum annorum circiter vel saltem usque ad medietatem seculi XVII. (ut iidem contrarii fatentur) benigna sententia ab omnibus DD. recepta est. Si illa omnino nova et inaudita fuisset, quomodo sine contradictione omnes fuissent eam amplexati? Mercorus adver-

sus aa. nostros, qui contendunt, omnes antiquos idem sensisse ac recentiores, opponit hoc esse falsum, cum sua sententia descenderit ex traditione apostolica (quod gratis supponit, sed nullo indicio probat); unde ait, quod si antiqui contrariam doctrinam suppositae traditioni adversam docuissent, contra eos insurrexissent innumeri, qui illam impugnassent. Idem argumentum apte retorquet Terillus contra Mercorum, dicens: Si sententia benigna fuisset opposita traditioni apostolicae et communi sensui doctorum qui Medinam praecesserunt, quomodo mille contradictores non insurrexissent adversus eam et damnassent? Tanto magis quod fautores benignae sententiae scripserunt paulo post editum Tridentinum, quod ideo coactum fuit, ut morum pravitatem, quae per orbem christianum irrepserat, eliminaret; unde praesules et Pontifices, si illam ut damnosam doctrinam habuissent, totis certe viribus pro ipsius eliminatione incubuissent; anne putabimus Deum tunc temporis Ecclesiam deseruisse, permittendo, hoc errore tam pernicioso (ut ipsi clamitant) fideles undique decipi?

10. Dices: Ecclesia non omnia approbat quae non damnat, sed saepe ex prudentia tolerat. Respondetur, hoc concedi quoad aliquas opiniones particulares, sed non quoad alias, quae doctrinam generalem continent, ut est sententia benigna, quae importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus; unde si esset falsa, universi populi christiani deceptio invecta fuisset. D. Augustinus in epist. 119. dicit: *Ecclesia Dei multa tolerat et tamen quae sunt contra fidem sanctam vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.* Item d. Thomas in *Quodlibet* 9. a. 15, expressius ad casum nostrum docet: *Quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum. Sed Ecclesia sustinet. Ergo non est periculum peccati mortalis.* Clamant adversarii ex benigna sententia ruinam fidelium emanare; ergo si Ecclesia eam sustinet, aut Ecclesia errat aut, si tolerat, non adest peccati periculum.

11. Ceterum Christianus Lupus eximius doctor professorque Lovaniensis, loco supra cit. to. XI. p. 1. diss. 1. c. 1., refert et probat, s. Hieronymum, Theodoretum, s. Fulgentium, s. Alexandrum aliosque plures pp. docuisse et usos fuisse opinionibus minus probabilibus, tutioribus ac probabilioribus omissis et cap. 4. 5. et 6. ostendit, adhuc summos Pontifices et Ecclesiam catholicam semper permisisse usum probabilis, probabiliori relicta. Insuper dicit Moya quaest. select. q. 6., nostram sententiam tenuisse universitates omnes, religiones, episcopos et summos etiam Pontifices; nam plures probati aa. testantur, Pontifices pluries secutos esse opinionem minus probabilem, praesertim dispensando in matrimonio rato contra sententiam d. Bonaventurae, Scoti et communem Scotistarum, prout s. Pius V. quater in hac re dispensavit, teste Terillo quaest. 22. n. 188., item Gregorius XIII. in una die undecim huiusmodi dispensationes concessit, teste Henriquez l. 11. c. 8. n. 11. Alia exempla tempore Scoti anteriora affert Caramuel ex Brancatio, Gregorii VII. nimirum; Martini V. et Eugenii IV. allegatque in testes Baronium, s. Antoninum et alios. Item Adrianus VI. pariter dispensavit in matrimonio rato et, quod notabilius est, contra propriam opinionem, ut ipsemet fassus fuit; ita refert Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 4., sic dicens: *Adrianus VI. vir tum utriusque iuris peritissimus tum et rei theologicae non infime doctus, cum ab illo hujusmodi dispensatio fuisset postulata oblataque fautrix Cajetani sententia, demiratus est, virum theologum hoc sibi in animum inducere potuisse et ideo improbis precibus succumbens, respondit, se dare quod posset, se tamen credere nihil posse.* Quamvis igitur Adrianus censeret, hanc dispensationem non posse concedere, tamen illam impertivit, sua opinione relicta, confisus auctoritati Cajetani, cujus opinionem alias falsam putasse non credendum; ne dicamus, Pontificem temere et contra conscientiam egisse.

12. Deinde nostra sententia non obscure firmatur auctoritate sacrorum canonum et I. *ex cap. Placet, de Convers.*

*coniugat*, ubi casus fuit, quod mulier quaedam credens maritum mortuum, professionem in religione cum voto emiserat; viro tamen reverso, de monasterio educta fuerat. Quaerebatur, an post viri obitum ipsa teneretur redire ad monasterium? Respondit Pontifex: *Quod licet votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare; promisit enim intrando monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius: redire vero ad seculum in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti et ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit; cum ad eum casum, a quo efficax poterat habere principium, pervenisse noscatur. Consultius itaque dicimus et ei congruentius ad salutem, ut ad monasterium redeat, ubi bona ducta intentione professionem fecerat et habitum religionis accepit. Si vero ad hoc induci non poterit, ipsam invitam non cogendam.* Nota, quaeso, quod sententia Pontificis erat, quod illa mulier, etsi ab initio servare non tenebatur votum remanendi in monasterio, cum esset sub potestate viri, post tamen viri obitum ad illud obstringebatur; constat ex verbis: *Et ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit etc.* Et huius rationem clarius explicat Glossa ib. dicens: *Si res venit ad eum statum, a quo incipere potuit, tenet, etiamsi ab initio non teneret.* At, hoc non obstante, Pontifex censuit, mulierem invitam non cogendam redire ad monasterium. Quare peto? Quia utique Pontifex probabile existimavit, eam non teneri ad redeundum, forte ex illo alio principio: *Quod ab initio non valet, nec processu temporis convalescere potest;* quamvis ipse Pontifex tutius et probabilius, iuxta proprium judicium, sentiret, illam ad reditum obligari. Optassem ut meus Fagnanus super hoc textu mihi respondisset et nos teneri ostendisset uti semper opinione, quae nobis apparet vera, sine oppositi formidine, ut ipse requirit, nullam faciens differentiam inter opinionem et scientiam. Optassem, dico, sed eum textus prae-

fati ne mentionem quidem fecisse inveni, quantamcumque curam in eius commentariis volvendis adhibuerim.

II. In can. 48. concilii triburiensis (qui habetur in c. 7. fin. causa 30. quaest. 2). sic legitur; *Illud etiam nec canonica institutione definimus nec interdictione aliqua refutamus; sed propter eos qui diverse de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suae spiritualis commatris filiam fortuito in conjugium duxerit, consilio maturiori servato, eam habeat atque honeste legitimo conjugio operam det.* De quo canone loquens Cabassutius *(Theor. iur.* l. 3. c. 13. n. 11.) sic ait: « Nihil ausus est (canon concilii) generatim definire, eo quod multi contrariam sequuntur opinionem, ut testatur concilium: providet nihilominus, ut conjuges, de quibus incertum erat, an valide contraxissent, contracto antea matrimonio libere utantur ». Ecce quomodo in illo dubio concilium non decrevit viam tutiorem esse eligendam.

III. In c. *Quaesitus, de Cognal. spir.* hic casus sic enunciatur: *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant.* Deinde Alexander III. duas circa hanc quaestionem auctorum opiniones recenset: *Quamvis generaliter sit constitutum, ut separari debeant; quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt.* Hinc definit: *Ideoque nobis videtur, quod sive ex ignorantia sive ex scientia id fecerint, non sunt ad invicem separandi.* Nota, quod Pontifex, licet judicarit, separationem generaliter fuisse constitutam, tamen dixit, non esse praecipiendam, ob opinionem aliorum humanius sententium. Sed sepositis auctoritatibus, aggrediamur ad perpendendas rationes, quibus nostra sententia firmatur.

## CAPUT SECUNDUM

### *Probatur sententia rationibus*

13. Antequam ad rationes exponendas deveniamus, notandum quod plures benignae sententiae fautores ad eam probandam, utuntur vulgari illo principio: *qui probabiliter agit, prudenter agit.* Sic arguentes: *Qui prudenter agit non peccat. At qui utitur opinione solide probabili, etiam in concursu probabilioris tutioris, prudenter agit. Ergo iste non peccat.* Quod autem agens ex opinione probabili, licet minus, prudenter agat, probant ex eo quod prudenter agere (ut aiunt) nihil aliud est quam operari cum recta ratione; prudentia enim sic definitur a d. Thoma 2. 2. q. 57. a. 4. cum Aristotele, *recta ratio agibilium.* Sed opinio quae nititur gravi fundamento, utitur siquidem recta ratione, utpote quae valet sibi trahere assensum viri prudentis; ergo qui utitur opinione probabili, prudenter operatur. Nec obstare dicunt id quod opponunt adversarii, nempe quod esto usus opinionis probabilioris pertineat ad prudentiam, non tamen est prudentia uti opinione minus probabili ideo enim (ajunt probabilioristae) licitum est sequi opinionem probabiliorem quia haec respectu ad oppositam est moraliter certa, cum major probabilitas elidat minorem: unde fit, quod cum opinio pro libertate sit minus probabilis, evadit improbabilis respectu ad opinionem probabiliorem pro lege, quae tunc unice sibi valet trahere mentis assensum, sicut majus pondus unice sibi lancem inclinat, quamvis in altera lance esset aliud pondus, sed minus grave. At recte respondent aa. nostri, falsum esse, majorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa major probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis, vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis et probabilitas opposita ex diversis principiis (ut fere semper accidit in opinio-

num concursu) vim accipiat; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur. Quis enim scotista tenens esse probabilius, quod Verbum divinum carnem assumpsisset, etiamsi Adam non peccasset, credet improbabilem esse oppositam sententiam thomistarum cum Sixtus V. in sua epistola apostolica declararit, utramque opinionem rationibus subsistere? Falsum igitur est dicere, quod opinio probabilior sit moraliter certa respectu adminus probabilem; ex quo principio minus recte Natalis Alexander in sua theologia inferebat, licitum esse in collatione sacramentorum, sequi opinionem probabiliorem, relicta minus probabili tutiori: sed hoc ab omnibus aa. nostris merito rejicitur, ex propositione I. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, relicta tutiore* etc. Nota Tò *probabilem, relicta tutiore;* non dicebat minus probabilem, sed absolute *probabilem*, nec relicta probabiliore, sed *tutiore*. Unde constat, non licere sacramentum conferre cum opinione probabiliore minus tuta, sed inter probabiles semper tenenda est tutior, et cur? Quia (ut diximus) opinio probabilior non est moraliter certa, nisi tam excedat probabilitatem alterius, ut haec improbabilis appareat, vel saltem tenuiter probabilis. Secus vero si adhuc grave motivum retinere videatur, quod vera esse possit. Sic contra in casu nostro major probabilitas, quae stare videtur pro lege non efficit ut censeatur certituto moralis adversus opinionem oppositam, quae gravi adhuc nititur fundamento; prout pondus decem librarum minime efficit, ut pondus octo librarum in altera lance positum non sit et vere etiam grave dicatur.

14. Haec responsio utique recta est, et omnino evincit, quod major probabilitas alicujus opinionis minime reddit oppositam improbabilem. Verumtamen nunquam acquiescere potui argumento prius proposito, nempe quod qui probabiliter agit, prudenter agat; non enim videtur, absolute loquendo, prudenter agere qui judicans veritatem stare magis pro sententia tutiori, velit oppositam minus probabilem amplecti. Et revera ipse Terillus *de probab.* quaest. 23 n. 14. dicit *neminem unquam docuisse*

*aut posse veraciter docere, quidquam licitum esse, cujus honestatem absolute putat minus probabilem ejusdem inhonestate; nam unicuique suum opinatum est probabilius quam oppositum.*

15. Ex hoc tamen perperam inferunt adversarii, illicitum esse et imprudens uti in praxi opinione minus probabili, quando veritas probabilius apparet stare pro lege; nam semper distinguere oportet (in quantum pertinet ad operandum) duàs veritates, unam rei speculativam, alteram honestatis actionis practicam: *rei*, nempe si vere adsit lex prohibens vel non: *honestatis actionis*, an scilicet operatio juxta opinionem minus probabilem sit vel ne licita. Unde dicimus, quod non quia probabilius sit aliquid a lege vetari, ideo non liceat uti opinione libertati favente; quamvis enim propter aliquod argumentum videatur probabilius, veritatem rei stare pro lege, tamen potest esse probabilius, veritatem honestatis stare pro libertate, propter alia motiva quae directe honestatem probent, nimirum quia lex dubia non obligat: quia lex non videtur tunc satis intimata: quia alioquin non posset haberi uniformis observantia legis: quia deturbaretur ordo subjectionis: quia lex divina evaderet intolerabilis; et alia quae mox infra singulatim exponemus.

16. Nihil igitur obstat paritas adducta staterae, quae longe differt ab hominis mente: nam in statera quodcumque onus modice majus materiae, non solum inclinat, sed necessario totam lancem sibi unice trahit; sed in mente humana major apparentia veritatis rei non necessario sibi unice trahit assensum intellectus; licet enim ad illam intellectus inclinetur, non tamen unice trahitur ad illi assentiendum, cum ex altera parte ratio gravis ipsum urgeat ad credendum, quod veritas etiam pro se stare possit. In opinionibus utrinque probabilibus homo necessario suspendere debet judicium de veritate rei, utpote incerta, ita ut, stante hujusmodi suspensione, utique peccaret amplectendo opinionem libertati faventem etiam probabiliorem, quia operaretur in dubio, nisi per alia argumenta aliud formaret sibi judicium moraliter certum de licito usu illius opinionis. Hinc etiam dato, quod sicut majus pondus trahit sibi lancem, sic

major probabilitas ad se trahat assensum, quid inde? Et nos dicimus quod si quaeritur de veritate rei, in illud sit inclinandum quod probabilius videtur; si vero quaeritur de honestate actionis, non sequimur nisi quod probabilius, imo certum moraliter apparet. Sicque semper id quod ad veritatem propius accedere videtur, amplectimur. Nunc autem illud probandum aggredimur, nimirum, certum moraliter esse, quod cum opiniones utrinque sunt probabiles de veritate rei, quamcumque earum sequi liceat.

17. Ad quid igitur, dices, deserviet probabilitas illa minor, quando (per se loquendo) non possumus eam sequi? Respondetur: deserviet ad ostendendum, quod veritas etiam verisimiliter potest pro illa stare, et consequenter, quod lex eo casu cum sit dubia, non obliget. Unde tunc non quidem dicetur opinio minus probabilis esse vera, sed rationabiliter credendo quod sit verisimilis, verum esse judicabitur, hominem non teneri ab usu illius abstinere, non obstante quod opinio pro lege verisimilior appareat; nam talis apparentia nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest; non enim raro aliqua opinio, quae alicui probabilior apparet, alicui minus probabilis apparebit; imo sibimetipsi opinio, quae heri minus probabilis erat, hodie probabilior apparebit.

Numquid igitur haec apparentia veritatis tam fallax potest esse regula universalis toti populo christiano? Aut haec poterit esse lex certa, quae omnes homines adstringat, cum communis dd. hanc legem et regulam omnino neget, ut diximus, et infra latius explicabimus? Non requirit Dominus, cum opiniones probabiles sequi permittit, ut sciamus, eas manifeste habere sibi conjunctam veritatem, quia id esset impossibile, dum opinio de sua natura habet ut sit fallibilis cum formidine oppositi; requirit tantum, ut sequamur opiniones quae probabiliter adhaerent, sive conjunctae esse possunt cum veritate, etsi cum formidine alterius partis; quia quod sufficit ad prudenter agendum sufficit ad honeste agendum, ut docent Gerson *de praepar. ad miss. cons. 3. Alph. 37. lit. S.* — Sanch.

*dec. lib. 1. cap. 9. n. 10.* Vasquez etc. Quando igitur adsunt duae opiniones, altera magis, altera minus probabilis, tunc non fit comparatio inter veritatem et falsitatem, ita ut si minus probabilis eligitur, non ideo praeferatur falsitas veritati; sed comparatio fit inter duas apparentias veritatis, quarum licet una videatur major quam altera, utraque tamen videtur magna, ita ut utraque possit esse vera; qua de re eodem tempore, quo opinio probabilior apparet verisimilius vera, apparet etiam verisimiliter falsa, et opinio opposita apparet simul probabiliter vera. Hinc opinio probabilior non potest dici opinio vera; alias opinio probabilior esset veritas manifesta, quod repugnat cum veritas manifesta sit proprie scientia, non opinio; sed semper dici debet probabiliter seu fallibiliter vera; nam cum ipsa a motivo fallibili ortum habeat, et fines probabilitatis non excedat, infertur, quod opinio contraria sit etiam probabiliter vera. Ex quo evenit, quod magni auctores, licet aliquam sententiam probabiliorem judicent, contrariam tamen non dubitant vocare satis vel valde probabilem; prout Lugo *de Poenit. disp. 17. n. 107* loquens de obligatione confitendi circumstantias aggravantes, ait: *Ex his sententiis, licet prima valde probabilis sit, magis tamen placet secunda, idest sententia non esse obligationem etc.* Quapropter, cum opinio libertati favens sit probabiliter vera, sequitur quod lex non sit manifesta; hocque est unum et maximum ex argumentis, quibus operans juxta opinionem minus probabilem recte formare sibi potest judicium moraliter certum de honestate suae actionis.

## §. I.

### *Exponitur prima ratio: Quia lex dubia non obligat.*

18. Prima igitur ratio est, quia lex dubia non obligat; in dubio enim legis, possidet libertas Haec ratio valde urget et difficulter unquam ab adversariis ipsa solvi poterit: unde

longius in ea immorabimur, ut ipsius firmitas agnoscatur. Certum est, non dari peccatum, nisi adsit legis praevaricatio, ut patet ex illo Davidis: *Praevaricantes existimavi omnes peccatores terrae.* Ps. CXVIII. 119. et ex alio d. Pauli (Rom. VII. 7.): *Non cognovi peccatum nisi per legem.* Unde idem Apostolus (Rom. IV. 15.) dixit: *Ubi non est lex, nec praevaricatio.* Quem locum S. Augustinus *cap.* 7 commentans ait: *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* Lex autem ut obliget, debet esse certa: *Erit autem lex manifesta,* ait s. Isidorus in *c. Erit autem* dist. 4. Et sic pariter probatur ex cap. *Cum iure* 31. *de Off. et pot. fud. delegat.* ubi legitur: *Nisi de mandato certus exstiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* Lactantius l, 3. *Inst.*. c. 21. ait: *Stultissimi est hominis praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera aut falsa sint, dubitatur.* S. Leo *cap. Sicut quaedam, dist.* 14, docet: *In his quae vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis ss. pp. inveniatur adversum,* S. Thomas *de veritate* quaest. 17 a. 3. *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* Hinc habetur pro omisso quod non est declaratum in lege ex *l. Quidquid, ff. de verb. oblig. Quidquid adstringendae obligationis causa dictum, id, nisi palam exprimatur, omissum esse intelligendum est.* Et ideo habetur ut permissum quidquid a lege vetitum non invenitur, ut docet d. Thomas in 4. d. 15. qu. 2. a. 4. ad 2. et 9. ubi: *Illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur.* Idem habetur in *l. Necnon ff. Ex quibus caus. mai. etc.,* ubi: *Omnia sunt permissa per legem, quae prohibita non inveniuntur.* Et huic conformatur *l. Viri* §. *Sin autem, c. de Caduc. toll.,* in qua sic habetur: *Lex si aliud voluisset, expressisset.* Hinc aiunt celebres iurisperiti (vide Menoch. *Cons.* 30. n. 8.), praesumi legem noluisse imponere id quod non expressit, cum facile exprimere potuisset.

Ex his omnibus bene deducit Perez, quod qui de legis exsistentia dubitat, certe non ligatur a lege; certum est enim, Deum

libertatis dominium homini concessisse, ut agere posset omnia, quae a divina lege non prohibentur, ut ex eod. Apost. 1. Cor. VII. 37. *Potestatem autem habens suae voluntatis.* Hinc ait Sanchez *de Matrim.* d. 41. n. 36.: *Quoties dubium est, an impositum sit praeceptum naturale, divinum vel humanum de aliqua re, non obligari dubitantem; quia, donec constet de praecepto, possidet voluntatis libertas.* Idque confirmat n. ss. p. Benedictus XIV. notif. 13. etiam indefinite loquens, his verbis: *Non si debbono porre legami, quando non v'è una chiara legge che gli imponga.* In dubio enim, an adsit lex aliquid vetans, lex est probanda; adeo ut si tibi insurgat dubium, an aliqua actio tibi sit vetita, non tenearis discutere argumenta pro tua libertate, sed potius argumenta pro obligatione legis. Unde Melchior Canus Rel. 6. *de Penit.* p. 4. qu. 2. prop. 3. sic impugnat sententiam Scoti et aliorum obligantium peccatores ad actum contritionis in quolibet die festivo: *Jus humanum nullum est aut evangelicum, quo hoc praeceptum asseratur; proferant et tacebimus.* Item n. 5. subdit: *Quoniam ignoro, unde ad hanc opinionem dd. illi venerint, libere possum, quod non satis explorate praeceptum est, negare.* Hinc Suarez 1. 2. tr. 3. disp. 12. sect. 6. *de Consc. prob.* ad nostrum propositum sic ait: *Praeterea existimo illam rationem sufficientem, quia quandiu est judicium probabile, quod nulla sit lex prohibens actionem, talis lex non est sufficienter proposita homini; unde cum obligatio legis sit ex se onerosa et quodammodo odiosa, non urget, donec certius de illa constet. Neque contra hoc urget aliqua ratio; quia tunc revera non est contraria pars tutior quoad conscientiam, neque ibi est aliquod dubium practicum, nec periculum.* Recte dicit, partem contrariam pro lege tunc revera non esse tutiorem; cum verosimiliter tunc non exstet lex obligans.

19. Huic argumento conveniunt jus tam civile, quam canonicum. Nam in l. 192. *de Reg. iur.* dicitur: *In re dubia benignam interpretationem sequi, non minus justius, quam tutius.* In reg. autem 30. *de Reg. iur.* in 6. habetur: *In obscuris*

*minimum est sequendum.* Exemplo legati dubii ab herede solvendi. Item in reg. 65. ibid. legitur: *In pari causa melior est conditio possidentis.* Item in reg. 15. dicitur: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Per τό *odia* certe intelligitur omnis onerosa obligatio; at quaenam est obligatio onerosior, quam obligatio abstinendi ab aliqua actione probabiliter licita, sub peccato et poena aeterna? Praeterea in *c. fin. de Transact.* sic habetur: *In his vero, ubi jus non invenitur expressum, procedas aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando.* Item s. Leo papa in epistola 92. ad Rusticum Narbon. (relata in *c. Sicut quaedam* dist. 14.) sic loquitur: *In iis quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis nec decretis ss. patrum invenitur adversum.* Haec omnia sat clare ostendunt, legem dubiam non obligare. Hinc docuit s. Antonin. part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10.: *Inter duram et benignam circa praecepta sententiam, benigna est potius, ceteris paribus, interpretatio facienda.* Et licet s. Archiepiscopus hic loquatur pro scrupulosis, tamen non posset quidem eis hanc regulam tradere, si in dubiis duram partem omnes amplecti teneremur. Ita etiam loquitur Martinus de Prado in praef. ad quaest. mor. n. 4. punct. 2., quem plurimi faciunt ipsi adversarii: *Ut verum fatear, cum pro neutra parte aliquid convincens, qua parte stet veritas, affertur, curabo opiniones benigniores amplecti vel earum probabilitatem indicare, cum animarum salus impediatur (ut notatur in Glossa Const. ord. praed.) nimia austeritate in opinionibus; terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut salutem negligant: quapropter relaxanda est quantum fieri potest rigiditas.*

20. Hinc quando dicunt adversarii, non esse licitum sequi opinionem faventem libertati adversus legem, patenter errant in terminis; nam quotiescumque adest lex aliquid vetans, omnino rejicienda est opinio libertati favens: sed prius tunc probanda est exsistentia legis. Exemplo res clarior fiet. Lex est, quod in diebus festis opera servilia sint illicita; qui autem censeret in die festo licitum esse depingere, fortene censeret

licitum esse pingere contra legem? Certe nequaquam; revera enim censeret ipse, quod pingere non sit opus servile; quare qui contrarium teneret, scilicet quod pingere opus servile sit, male argueret, si diceret, non esse licitum pingere, quia esset contra legem: hoc enim asserere non posset, cum dubitatur, an adsit lex pingere vetans vel non. Potius dicere deberet, opinionem contrariam militare, non contra legem, sed contra sententiam eorum qui adstruunt, quod in eo casu adsit lex pingere vetans. Et tunc sequens opinionem pro libertate, etsi minus probabilem, ageret, non contra legem, sed contra sententiem asserentem, adesse legem. Denique vellent fautores rigidae sententiae mundum obstringere ad observandas tamquam leges omnes illas innumerabiles opiniones, quas probabiliores ipsi esse arbitrantur. Fautores autem benignae sententiae volunt leges servari ut leges, opiniones autem ut opiniones, quae nunquam vim legis habere possunt. Utinam christiani leges certas servarent, quin eis addantur incertae! Sicut enim Deus praecepit nihil a lege auferendum, ita nihil addendum, ut Deut, IV. 2. *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ab eo.*

21. Deinde hic consequenter peto ab adversariis, ut indicent (si possunt) ubinam legem hanc esse scriptam invenerint, quod teneamur inter opiniones probabiles probabiliores sequi? haec lex quidem, prout universalis, deberet omnibus esse nota et certa; at quomodo ista lex certa dici potest, cum communis sententia dd., saltem longe maior illorum pars post tantum discrimen absolute asserant, hanc legem non adesse? usquedum igitur de tali lege dubitatur, opinio quod adsit haec lex sequendi probabiliora, quamvis alicui videatur probabilior, nunquam tamen lex dici poterit, sed appellanda erit mera opinio, utpote ex fallibili motivo deducta, quae vim nequaquam habet ut lex obligandi.

22. Idque clare confirmant d. Thomas et d. Antoninus; nam d. Thomas in *Quodlibet.* 9. art. 15. sic ait: *Respondeo, dicendum, quod omnis quaestio in qua de peccato mortali quae-*

*ritur, nisi expresse veritas* (nota) *habeatur, periculose determinatur: quia error quo non creditur esse mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad mortale. Praecipue autem periculosum est, uqi veritas ambigua est, quod in hac quaestione accidit... In jure namque divino non invenitur determinata expresse.* Ergo docet s. Doctor, quod ubi veritas expresse determinata non invenitur, nihil debet de peccato mortali damnari. Nec obstat quod ibi d. Thomas neque excusat eum, qui sequitur opinionem libertati faventem, ubi veritas est ambigua. Huic enim respondet. d. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 11., sic dicens: *Notandum est quod dicit s. Thomas in quadam quaestione de quodlibetis, quod quaestio in qua agitur de aliquo actu, utrum sit peccatum mortale vel non, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa Scripturae sacrae aut canonis Ecclesiae vel evidens ratio, non nisi periculosissime determinatur; nam si determinet, quod sit ibi mortale et non sit, mortaliter peccabit contra faciens; quia omne quod est contra conscentiam, aedificat ad gehennam. Si autem determinatur quod non sit mortale et est, error suus non excusabit eum a mortali. Sed hoc secundum videtur sane intelligendum, quando erraret* (nota) *ex crassa ignorantia: secus si ex probabili, puta quia consuluit peritos in tali materia, a quibus dicitur illud tale non esse mortale; videtur enim tunc in eo esse ignorantia quasi invincibilis, quae excusat a toto. Et hoc quantum ad ea quae non sunt* (rursus nota) *expresse contra jus divinum vel naturale vel contra articulos fidei et decem praecepta, in quibus ignorans ignorabitur.* Docet igitur s. Archiepiscopus iuxta d. Thomam, tunc aliquem peccare sequendo opinionem libertati faventem, quando illa est *expresse* contra jus divinum aut naturale aut contra Ecclesiae canonem vel evidentem rationem, ita ut erraret ex ignorantia crassa, supponente negligentiam culpabilem quae facile vinci poterat: secus si ex ignorantia probabili; quia tunc esset illa invincibilis et ideo a toto excusaret. Praeterea

idem d. Antonin. *ibid.* subdit: *Et si diceretur hic esse usuram et usura est contra decalogum: respondetur, sed hunc contractum esse usurarium, non est clarum* (nota); *cum sapientes contraria sibi invicem sentiant.* Ergo ubi lex non est clara, sed de ea sapientes disceptant, ipsa non obligat.

23. Haec prima ratio utpote valde urgens, ut diximus, multum adversarios angit; ideo eam conantur pluribus objectionibus evertere. Objiciunt I. et sic dicunt: omnis actio ut sit honesta, conformanda est legi aeternae; quomodo igitur potest aliqua actio esse honesta si minus probabiliter conformis aeternae legi apparet? Huic objectioni opus est fuso calamo respondere; hac enim responsione fit satis fere omnibus aliis oppositionibus, quae fiunt contra benignam sententiam. Duas in Deo oportet leges aeternas distinguere, unam absolutam per se, alteram per accidens, ut distinguit doctissimus Terillus *de Probab.* q. 28. n. 18. pag. 557., sive unam antecedentem, alteram subsequentem, ut alii distinguunt. Lex *antecedens* sive, *per se*, disponit circa res independenter ab errore mentis humanae. Lex vero *subsequens* sive *per accidens*, ordinat circa res dependenter ab errore. Unde dicendum, quod Deus per legem antecedentem praecipit talia observari, per subsequentem vero non vult eos adstringi nec comprehendi, qui in invincibili ignorantia legis versantur. In summa, vult Deus homines teneri ad suas leges secundum quod sunt in eorum conscientia. Exemplo res patebit. Lex divina prohibet viris accessum ad non suas; numquid haec lex comprehendit virum, qui dubius de valore sui matrimonii contracti reddit debitum mulieri petenti, quamvis reddendo revera accedat ad alienam? nequaquam; imo ille in tali dubio tenetur accedere, ut habetur *c. Dominus, de Secund. nupt.* Hinc clare infertur, quod licet adsit lex absoluta sive antecedens, quae praecipit non accedere ad alienam, adest tamen alia lex subsequens sive per accidens, scilicet ex suppositione dubii, ordinans eo casu redditionem debiti mulieri petenti, quamvis non suae. Unde patet, quod tametsi accessus ille ad non

suam non videatur per se conformis legi antecedenti, tamen utique conformis est legi subsequenti, qua Deus jubet reddi debitum. Et ideo vir formando sibi dictamen prudens, nempe quod eo casu teneatur reddere, reddendo nec etiam materialiter peccat contra legem antecedentem, quae pro illo casu non est lata; nam peccare contra legem est contravenire legislatoris voluntati, quae est anima legis; ubi ergo non est voluntas divina prohibens, neque est lex; cum impossibile sit, aliquem posse operari conformiter et difformiter ad eandem Dei legem, vel conformiter ad unam et difformiter ad aliam. Si igitur vir ille licite reddit iuxta legem subsequentem, non potest ne materialiter quidem laedere legem antecedentem. Et sic pariter qui ex opinione probabili prudens dictamen sibi format, quod licite operetur, ne materialiter quidem agit contra legem aeternam; sapienter enim ait Continuator Tournely *de Act, hum.* c. 7. a. 5. concl. 3. quamvis hic auctor sit probabiliorista: *Nulla est lex obligans in circumstantiis, in quibus prudenter creditur ea non exsistere; lex enim quae prudenter creditur non esse, perinde est ac si non esset in ordine ad obligandum.*

24. Sed istant: si lex aeterna est prima regula operandi quomodo unquam dici potest agere prudenter qui utitur opinione minus probabiliter conformi aeternae legi? Adversarii duo hic confundunt primo veritatem rei (ex. gr. quod contractus aliquis sit vel non usurarius) cum veritate honestatis actionis (nempe quod liceat vel non, contractum illum inire). Confundunt secundo remotam honestatis regulam, quae est lex divina, cum regula proxima, quae est conscientiae dictamen. Et ex hoc oriuntur postea tot aequivocationes, a quibus circumducti adversarii undique clamant, a probabilistis pro regulis mira parodoxa proferri ac proinde deridendo rogant: quomodo prudenter agere dici poterit, qui aliquam opinionem putat minus probabilem et eam sectatur? quomodo quis ex motivis reflexis poterit operari contra id quod judicat probabilius ex motivis directis? Quomodo idem

homo recte valebit formare sibi judicium practicum, oppositum judicio speculativo? sed paradoxa ista omnino evanescent, si ad trutinam tria revocentur. Primum: cuinam regulae actio conformari debeat, ut sit honesta, an remotae seu legi aeternae, an proximae idest conscientiae? secundum: cuinam judicio conformanda sit conscientia, an speculativo de veritate rei, an vero practico de honestate actionis? tertium: quomodo hoc judicium practicum formetur ab eo qui utitur opinione minus probabili?

25. Quoad primum, certum est quod licet regula proxima (idest conscientia) pendeat a remota (scil. a lege divina) et illi conformanda sit, tamen bonitas actionis non mensuratur a remota, sed a proxima, ut docent omnes cum d. Thoma in 1. 2. q. 19. a. 4. ubi ait: *Ratio humana est regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuratur.* Et in *Quodl.* 3. a. 27.: *Actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur et non secundum materiale objectum actus.* Hinc fit, quod conscientia invincibiliter discordans a lege liget vel excuset actionem a culpa, secundum quod homo credit eam conformari vel opponi legi aeternae, ut habetur ex eodem d. Thoma in *Quodlib.* 8. art. 15. ubi: *Error conscientiae habet vim excusandi, quando procedit ex ignorantia ejus quod quis scire non potest vel scire non tenetur; et in tali casu, quamvis factum sit de se mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter.*

Quoad secundum: posito quod actio conformanda sit regulae proximae seu conscientiae, homo, ut licite operetur, debet quidem esse moraliter certus de suo judicio practico quod sit conforme legi aeternae; quoad judicium vero speculativum de veritate rei, non requiritur ut certo, sed sufficit quod probabiliter putet esse legi aeternae conforme, licet probabilius ei videatur oppositum. Hinc miles, etiamsi putet probabilius bellum esse injustum quod revera injustum sit, non peccat militando, si pugnet ex praecepto sui regis, ut habetur in c. *Quid culpatur* 3. caus. 23. q. 1. Equi-

dem si hic se dirigere deberet ex judicio speculativo circa justitiam belli, non posset utique militare, quia judicium speculativum, nempe de justitia belli, ipsi apparet probabilius oppositum legi antecedenti, quae prohibet bellum iniquum aggredi; ideo tamen non peccat, quia sibi format aliud judicium practicum, quod liceat ipsi bellum illud inire, quamvis probabilius injustum; ea ratione ductus, quia tenetur parere suo principi, semper ac non constet, bellum esse injustum, juxta legem subsequentem, quae jubet, praeliandum esse subdito, accedente praecepto sui regis, quando bellum non est certe injustum. Ac proinde iste subditus nec etiam materialiter peccat contra legem antecedentem non praeliandi in bello injusto (si forte injustum sit); quia illa in tali casu ipsum non comprehendit. Haec nescio quomodo ab ullo possint unquam negari.

26. Quoad tertium denique, nempe quomodo formetur judicium practicum ab operante cum opinione minus probabili, hoc utique formatur ex argumentis directe probantibus actionem hic et nunc esse licitam ad differentiam judicii speculativi, quod formatur ex motivis directe probantibus speculativam rei veritatem, puta quod contractus aliquis non sit usurarius. Hoc autem judicium speculativum potius quam judicii, gerit vices motivi, ad formandum judicium practicum de honestate actionis; postquam enim quis judicaverit opinionem pro libertate esse certo probabilem, licet minus, pergit ad inquirendum, an liceat illa uti; et tunc ex aliis argumentis probantibus, certum moraliter esse quod usus illius opinionis sit licitus, praecipue quia lex dubia non obligat, efformat sibi ultimum judicium practicum, quod tute operetur.

Cum igitur honestas actionis ab hoc ultimo judicio practico sumatur, non obstat, quod objectum juxta judicium speculativum probabilius appareat inhonestum et difforme legi antecedenti, quando certo probabiliter est etiam honestum et legi subsequenti conforme; non enim, ut diximus, ex solo judicio illo speculativo de majori vel minori probabilitate formatur

conscientia, sed etiam ex aliis motivis probantibus honestatem actionis, ita ut ex omnibus simul collatis resultet ultimum dictamen moraliter certum. Hinc concluditur, quod ille qui sequitur opinionem probabilem in concursu probabilioris, efformato sibi judicio practico juxta praedicta de honestate suae actionis, ne materialiter quidem peccat (etsi forte opinio illa sit falsa); quia scilicet eius actio nullo modo Dei voluntati repugnat, cum ejus conscientia, unde desumitur morum honestas, iam rite conformetur legi aeternae subsequenti, qua vult Deus tali modo operantes in lege, quam invincibiliter ignorant, non comprehendi.

27. Neque huic obstat id quod docet d. Thomas in *Quodl.* 8. art. 13. dicens: *Quod agitur contra legem, semper est malum nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.* Nam id explicat. d. Antonin. p. 1. tit. 3. c. 10, §. 10. intelligi de ignorantia vincibili et de peccato formali, sic dicens: *Haec enim verba d. Thomae non possunt intelligi, nisi, de iis, ubi manifeste patet ex Scriptura vel Ecclesiae determinatione, quod sit contra legem Dei et non de illis intelligi, ubi non apparet. Alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.* Et revera idem d. Thomas in *Quolib.* 3. art. 10. prius dixerat, quod in rebus ad fidem et mores spectantibus non excusantur sequentes opinionem manifeste erroneam, ibique sic concludit: *Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturae testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Ergo s. Doctor supponit e converso excusari qui sequitur opinionem alicujus magistri, quae non sit contra manifestam Scripturae vel Ecclesiae auctoritatem. Sed hunc textum d. Thomae infra in responsione ad objectiones (object. VI. in fin.) fusius declarabimus.

28. Objiciunt II. quod possessio libertatis non potest praevalere possessioni Dei, qui antecedenter habet hominis dominium et ideo (ut ajunt) nequit homo agere nisi id quod Deus ei permittit. Sed primo respondetur, argumentum probare ni-

mis; nam probat, neque inter probabiles licitum esse probabiliores sequi, quia, quum possessio legis semper praeferenda sit possessioni libertatis, in dubio nec etiam opinione probabiliori nos uti possumus. Secundo respondetur, quod possessio Dei, sive legis divinae, utique praeferenda est possessioni libertatis, quando constat de lege; sed quando de ea dubitatur et insuper probabile est, quod lex non adsit, tunc homo, cui certe datum est a Deo dominium suae libertatis, nullo modo tenetur legi dubiae parere; cum enim in aliquo casu de lege dubitatur, dubitatur etiam necessario de possessione legis. Tertio respondetur, quod licet lex divina, quatenus ab aeterno a Deo constituta, anterior sit ad libertatem hominis, obligatio tamen legis est in tempore ad libertatem posterior; nam lex nonnisi homini jam in sua libertate condito promulgatur sive significatur. Patet hoc ex illo Ecclesiastici c. XV. v. 14. *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ergo prius fuit homo *in manu consilii sui* relictus, hoc est in possessione suae libertatis immissus: deinde illi fuerunt *praecepta Dei adjecta.* Unde clare constat, hominis libertatem a lege Dei non obstringi, nisi postquam lex significata illi fuerit. Falsa est igitur suppositio quod Deus prohibuerit homini id quod expresse ei non permiserit; nam si res ita se haberet, non jam fuisset necessaria lex praescribens quid agi et quid vitari oporteret, sed potius promulganda fuisset licentia operandi illa quae homo facere posset. Sed hoc omnino est falsum: Deus enim, ut patet ex textu praefato, ab initio creavit hominem liberum, reservando quidem sibi potestatem imponendi illi quod voluerit; deinde adjecit ei mandata. Donec igitur per certam notitiam de lege divina non constat, non est in dubio expoliandus homo possessione suae libertatis, quam a Deo sine dubio antecedenter ad legis obligationem gratis accepit. Idque clare tradit (ut supra innuimus) d. Thomas in 4. d. 15. Q. 2. a. 4. q. 2., ubi agens, an liceat eleemosynam largiri de male acquisitis ex furto, si

monia, meretricio et simili (in quo advertas ibi agi, non tantum de jure positivo, sed etiam naturali), ante solutionem sic loquitur: *Illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur; unde illicite acquisitum dicitur, quod contra prohibitionem legis acquiritur.* Ergo s. Doctor ut certum habet, licitum esse homini operari quicquid vult, nisi per legem ei vetetur.

29. Objiciunt III. Quod axioma illud, *In dubio melior est conditio possidentis*, procedit tantum in materia justitiae, non vero in aliis. Sed respondetur, communissimam esse oppositam sententiam, quod non solum in materia justitiae, sed etiam in omni alia materia praevalet jus possessionis. Ita Sanchez *Dec.* l. 1. c. 10. a n. 10. Sotus, Baldo, Nav., Cov. cum Ledesm., Suar., Sayr., Salas., Lugo *De justit.* disp. 17. n. 37. et disp. 23. n. 110. Pal. d. 3. p. 6. Croix l. 1. n. 502. cum Terill., Bon., Tann., Fill., Spor. (qui vocat hanc sententiam hodie receptam) item Moya *de Opin. prob.* q. 8. ar. 15. et quamplures apud ipsum, contra Mercor., Gonet Gonzalez et alios paucos. Ratio est 1) quia idem motivum rationis quod currit pro materia justitiae, etiam currit pro aliis; nam sicut in materia justitiae melior est conditio possidentis, quia possessor habet jus certum in re, quo nequit spoliari per jus dubium alterius: ita dicendum in aliis materiis; cum enim quis post adhibitam diligentiam veritatem non potuerit invenire, jam perseverat in possessione suae libertatis et propterea habet jus certum ad illam, quo per nullum jus dubium privatus censetur. Ratio 2) quia, ut ait Sanchez loc. cit. n. 11. *Possessio est titulus universalis omnibus virtutibus, eo modo quo aliqua pars potentialis justitiae, ut obedientia Dei, transcendit omnes virtutes.* Etenim quum essentia justitiae sit unicuique jus suum tribuere, hoc omni virtuti competit; prout religio tribuit suum jus Deo, caritas proximo, temperantia sibi ipsi et sic de aliis et ideo merito dicitur, quod ratio justitiae sit omnium virtutum pars potentialis, sive generica, in qua ceterae virtutes inter se conveniunt. Quare, si contra justitiam est privare in dubio possidentem jure suo, pariter contra justitiam est in dubio legis hominem sua possessa libertate spoliare.

30. Sed dicunt: ideo in dubio melior est conditio possidentis; quia possessio firmat praesumptionem, quod possessor verum habeat jus: propterea ajunt, regulam praedictam valere tantum in materia justitiae, non autem aliarum virtutum. Sed respondetur, quod regula illa non jam dicit, quod in pari causa res verisimilius sit possessoris, sed quod melior est conditio possidentis; conditio igitur haec possessionis praebet possidenti speciale jus ad ipsam retinendam, donec ei constet, rem esse alienam. Et hoc clare probatur ex alio textu in cap. 31. *Si a sede, de Praebend.* in 6., ubi facto casu, quod eodem die collatum fuit idem beneficium duobus clericis, uni a Papa, alteri ab episcopo loci, dubium vertebat, quisnam eorum beneficium retinere deberet? Sancitum fuit, quod si non constaret quaenam collatio fuisset altera anterior, praeferendus esset possessor beneficii; ex quo patet, quod possessio habita fuit ut jus speciale super re acquisitum. Juris autem hujus ratio est, tum quia expoliare aliquem sua possessione est res odiosa, quae in dubio agi non debet; tum quia sicut occupatio est titulus justus rem possidendi, ita possessio est justus titulus rem retinendi; possessio enim a juristis definitur. *Jus insistendi in re non prohibita possideri.* Hinc s. Augustin. relatus in c. *Si Virgo* causa 34. qu. 1. ait: *Possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum.* Tum quia nemini est imponenda obligatio certa, cum debitum est incertum. Patet autem, quod omnia haec locum habent, non solum in materia justitiae, sed cujusque virtutis, ad quam sicut pertinet libertas, ita et obligatio. Constat igitur, in dubiis legis possessionem stare pro libertate, cujus certum dominium cuique hominum Deus in creatione contulit: et ideo Glossa in c. *Ex part., de Cens.*, merito asseruit: *In dubio liberum est sequi quod magis placuerit.* In textu autem illo agebatur de vero dubio, an vovens teneretur ad majus et Pontifex definivit, teneri tantum ad minus, ratione dubii. Probatur idem ex cap. *Laudabilem. de Frigid. et malef.*, in quo habetur, quod Pontifex concedit ei, qui dubitat de potentia ad copulam conjugalem, ut possit experiri per triennium, modo de impotentia non sit certus; haec sunt verba textus: *Si*

*frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium.* Unde sic arguo: Lex non accedendi ad non suam, est lex divina et naturalis ac praecedens omni juri quod homo habere possit ad suam libertatem, ut dicunt contrarii. In dubio igitur an vir sit potens necne, quod idem est ac dubitare, an illa conjux sit sua vel non, quomodo potest ad eam accedere et tactus inhonestos cum ea habere copulamque experiri, dum actus habiti cum non sua certe sunt mortalia? Numquid Ecclesia in lege naturali potest dispensare? Quomodo igitur potuit Pontifex permittere in tali dubio copulae experientiam per triennium? Omnino ideo dicendum est, quod lex naturalis ad alienam non accedendi obligationem non inducat, nisi constet, quod in tali casu lex manifeste exsistat; alias in dubio possidet libertas et ideo dubitans de sua impotentia, nisi ipsa ut certa probetur, potest per triennium experiri: propterea Pontifex ex hoc principio ductus, nempe quod nisi constet de lege, semper possidet libertas, constitutionem illam promulgavit.

31. Nec valet dicere, quod in dicto casu possidet contractus matrimonii bona fide initus. Nam si servanda esset regula ab adversariis universe statuta, quod divina lex, prout aeterna omnemque libertatem humanam praecedens, semper possidet antecedenter ad omnes humanos actus et ideo in dubio semper illi parendum: nullo modo in nostro casu posset dici matrimonium adversus legem Dei possidere. Imo dico, quod axioma illud *In dubio melior est conditio possidentis,* attenta praefata contrariorum regula, nec etiam in materia justitiae valere posset, quod esset quidem adversus sententiam communem, quam omnes sequuntur contra paucos, ut videre est apud Sanch. *de Matr.* lib. 2. d. 41. n. 12. et Croix lib. 1. n. 500. ex reg. 11. in 6., ubi expresse dicitur: *Cum sunt partium jura obscura, reo potius favendum est quam actori.* Et ex reg. 65. in 6. ubi: *In pari delicto et causa melior est conditio possidentis.* Licet enim hae regulae essent pro foro ext. ut vult Fagnanus, adhuc tamen valent etiam pro interno, quatenus externum non nititur falsa praesumptione, ut communiter docent cum Sanch. l. 1. d. 5. Pal., Sal. et

Viva, op. *de Consc.* q. 2. art. 1. n. 5. Ratio autem, cur nec etiam axioma istud valere posset in materia justitiae, adeo ut quisque adhuc bonae fidei possessor teneretur in dubio rem possessam restituere, est, quia jus suum est respectu ad alteram partem, non autem ad legem divinam de re non sua restituenda, quae lex semper in dubio possideret et semper esset praeferenda. Cur autem possessor bonae fidei non teneatur restituere in dubio probabili, est quia, cum non constet tunc de existentia Divinae legis obligantis ad restitutionem, possidet hominis libertas. Et haec ratio profecto aeque in casu praedicto impotentiae et in quacumque materia currit.

32. Objiciunt IV. Lex quidem debet esse certa ut obliget, sed non declaratio legis; quando enim, ut dicunt, pro lege probabilior opinio seu ratio assistit, sat illa legem elucidat et ad legem obstringit. Sed primo negatur omnino, quod huiusmodi legis declaratio dubia, utpote orta ex opinione fallibili, etsi probabiliori, ad legem obligare possit; nam in rebus dubiis declaratio legis se habet ut nova lex et ideo, sicut lex ad obligandum debet esse certa, sic et declaratio. Ita Salmant. *de Leg.* c. 3. n. 30. cum Vasq., Tapia, Villal., Lez., Dian. Idem docent Sanch. *de Matrim.* lib. 8. disp. 2. n. 10. et Croix lib. 1. n. 215. et 574. cum Card. Bon., Terill., Pont., Loth., Delbene. Ratio, quia, cum dubium vertitur, an lex casum aliquem comprehendat necne, dubia evadit ipsa lex, an respectu ad casum illum adsit vel non; propterea declaratio, quod tunc locum habeat lex, debet pariter prout lex esse certa et infallibilis, ut possit obligare; nam alias adhuc ad legem dubiam obstringeremur. Respondetur 2° et quaeritur, quisnam hanc legis declarationem fecit de se aptam ad obligandum? Non fecit Deus, non Pontifex, non illa quidem major probabilitas (ut dices) pro lege apparens; nam aliqua opinio, quae mihi est probabilior, minus probabilis saepe aliis erit et ideo lex esset particularis pro iis tantum, quibus illa opinio probabilior appareret: sed hoc utique esset contra naturam legis, quae ad commune bonum debet esse necessario universalis et universim proposita, ne populus, qui ad illam observandam tenetur, saepius

divisus sit et perplexus circa veritatem amplectendam, dum quisque concionator aut confessarius ex opinionum diversitate juxta suum sensum saepe diverse fideles instrueret. Sed hoc fusius in §. III. declarabitur.

33. Nec valet dicere, quod cum apparet probabilior aliqua opinio pro lege, tum illa maior probabilitas legem declarat scientiamque legis jam exhibet; nam scientia, ut cuique patet, importat certam notitiam de exsistentia legis: opinio autem etiam probabilior, cum non removeat prudentem formidinem oppositam, est toto caelo diversa a scientia, quae omni prudenti formidine exclusa, praesefert certitudinem. Quando igitur in aliqua quaestione non adest scientia legis, tunc lex vel non adest vel saltem non obligat. Dices, tunc adesse aliam legem generalem, quae juxta lumen naturae obstringit ad probabiliora sequenda. Sed iterum rogo: de hac alia universali lege, quae gratis supponitur, ubi scriptum est? Undenam scientiam ejus habemus? cum rationes (ut diximus) potius suadeant, hanc legem non exstare, praesertim quia non praesumitur Deus voluisse hominibus imponere hanc durissimam obligationem sequendi semper opiniones probabiliores, tanto cum onere ac periculo errandi formaliter, vel ob omissionem debitae diligentiae vel ob hallucinationem passionis. Saltem, dico, rationes sunt dubiae: ideo in hac tam magna rationum dubietate, saltem sententiam benignam reddit evidenter probabiliorem auctoritas tam longe communior, imo communis dd., qui talem obligationem non adesse judicant ac proinde certos nos potius faciunt, declarationem esse in contrarium, scilicet, quod lex probabiliora sequendi minime adsit.

34. Demum pro conclusione hujus secundae rationis (juxta meum judicium multum convincentis), dico sic: Sententia adversariorum docens, non esse licitum sequi opinionem adversus legem, nisi haec sit probabilior, ipsa non subsistit et clare deficit in principiis. Nam si pro opinione probabiliori non alia sit intelligenda, nisi opinio probabilissima, quae formidinem satis prudentem excludat, ita ut opposita appareat tantum levi

motivo inniti, eo quod Divina lex in dubio semper possideat et ideo semper libertati sit praeferenda; haec doctrina utpote nimis rigida et improbabilis, ab omnibus adhuc probabilioristis modernis et antiquis (ut diximus) communiter rejicitur. Aut vero intelligunt pro opinione probabiliori eam, quae magis verisimilis apparet, etsi contraria etiam retineat suum verisimile fundamentum et tunc dico, quod si pro libertate possumus hanc probabiliorem sequi, possumus et minus probabilem. Ratio patet; quia, concesso, quod liceat operari cum probabiliori, necessario concedendum, quod ex in dubio non possideat et ideo possidet libertas, quae utique sua certa possessione non est privanda, nisi constet de lege.

35. Objiciunt V. Quod veritas cognita procul dubio sequenda est: sicut igitur quando veritas certo apparet stare pro lege, tenemur eam sequi, ita et quando res apparet verisimilior. Sed negatur paritas: quando apparet veritas pro lege, tenemur utique eam amplecti; quia tunc lex manifeste apparet: unde nemo tunc pro opposita parte potest sibi rectam conscientiam formare, secus si res tantum apparet verisimilior; tunc enim, cum veritas etiam verisimiliter stet pro altera parte, lex est dubia et ideo eo casu vel non adest lex, vel non obligat.

36. Saltem dices, praesumi legislatorem velle obligare subditos ad sequendas opiniones probabiliores pro lege. Respondetur, hanc praesumptionem non esse certam, sicut deberet esse, ut subditos adstringere posset: imo potius, cum id legislator non declaraverit, praesumitur oppositum, ne confusiones interveniant; cum enim lex debeat esse universalis et universaliter observari, magna intercederet confusio, si unusquisque teneretur sequi et absolute docere sententias, quae sibi probabiliores apparent, ut diximus et latius dicemus infra, in §. III. ex n. 42.

## §. II.

***Exponitur secunda ratio:***

***Quia lex ut obliget, debet esse sufficienter intimata.***

37. Ratio secunda est, quia lex, etiamsi exsisteret, non obligat, nisi sit sufficienter ut certa intimata; cum enim lex ad regulam subditorum constituatur, non sufficit, quod ipsa sit in mente legislatoris retenta, sed debet per promulgationem subditis applicari, alias nec valet obligare nec lex dici posset. Id omnes docent cum d. Thoma 1. 2. q. 90. a 4., ubi: *Lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem.* Idem ait Gratianus *in c. In ipsis.* Dist. 4. *Leges instituuntur, dum promulgantur.* Pariter s. Bernardus epist. 77. *ad Hug. de s. Vict.* scribit, legem etiam divinam promulgatione indigere; alias ait s. Doctor: *Valde injuste exigitur obeditio, ubi non praecesserit auditio.* Publicatio autem legis illa dicitur sufficiens, qua lex fit subditis certa per scientiam sive per intelligentiam, ut habetur in l. 9. *C. de Legib.*, ubi: *Leges sanctissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Et in *l. Quicquid, ff. de Verb. oblig. Quidquid adstringendae obligationis causa dictum, id, nisi palam exprimatur, omissum esse intelligendum est.* Et ita communiter docent Scotus in 4. d. 3. q. 4., ubi: *Nullus tenetur ad aliquod praeceptum divinum, nisi per aliquem idoneum et authenticum sibi promulgetur.* Item Suarez to. 2. in 3. p. d. 40. sect. 5. *Etiam lex naturalis nunquam obligat cum solo dubio,* v. gr. *an talis actus sit prohibitus. Tunc non obligantur homi-*

*nes ex vi legis ad abstinendum a tali actu; quia non est eis lex sufficienter proposita.* Item Glossa *in c. Cum sunt, de Reg. juris in 6. In dubio nullum praesumi obligatum, ex authentica, Quibus modis.* Sed clarius loquitur magister magistrorum d. Thomas in qu. 17. *de Verit.* a. 3., ubi: *Nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam; unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti: et ideo ille qui non est capax notitiae, praecepto non ligatur. Sicut in corporalibus corporale non agit nisi per contactum* (funes enim non ligant, nisi per contactum applicentur), *ita in spiritualibus praeceptum non ligat nisi per scientiam.* Sicut igitur, ut quis nequeat incedere, non sufficit, quod funes adsint, sed requiritur ut ei vere applicentur, eum ligando; sic etiam, ut quis prohibeatur ab aliqua actione, oportet ut lex prohibens per cognitionem certam ipsi applicetur. Sed quomodo potest dici lex vere applicata sive intimata, quande probabile est, quod lex ne exsistat quidem?

38. Patet igitur ex textu praefato d. Thomae, legem non posse dici satis intimatam per solam opinionem probabiliorem; cum enim opinio necessario formidinem in oppositum includat, ut supra ostendimus, nunquam scientia dici valet. Ergo etiamsi alicui probabilius appareat adesse legem prohibentem, nequit tamen dici, quod ipse legem sciat, quando probabiliter adhuc putat, illam non exsistere et forte revera non exsistit. Cum autem promulgatio legis pertineat ad legis essentiam, quando dubitatur de promulgatione, etiam de lege dubitatur: unde sicut lex debet esse certa ut obliget. ita et promulgatio, quae est constitutivum legis. Hinc dixit s. Leo Papa *in c. Sicut quaedam* dist 14.: *In iis quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis nec decretis ss. Patrum invenitur adversum.* Idem sensit Innocentius IV. *in c. Suas, de Simon.* dicens: *Non peccat mortaliter qui sequitur intellectum alicujus gravis auctoris, dummodo tamen error versetur circa subtilitatem legum,* Per *τό autem subtilitatem legum* intelligitur

juxta Panormitanum dictum aliquod obscurum, quodi nterpretes diverse declarant. Ergo ubi homo non est certus de lege prohibente, facere potest quidquid ei placet, ut pro indubitato supponit d. Thomas in eodem art. 3. in dict. quaest. 17. *de Verit.* ubi: *Dicendum, quod conscientia procul dubio ligat. Ad videndum autem quando ligat, sciendum, quod ligatio, metaphorice a corporalibus ad spiritualia sumpta, necessitatis impositionem importat; ille enim qui ligatus est, necessitatem habet consistendi in loco ubi ligatus est et aufertur ei potestas alio divertendi.* Ergo qui non est ligatus per scientiam a praecepto, potestatem habet divertendi quo vult.

39. Objiciunt I. Quod ut lex obliget non requiritur, quod ipsa cuique particulari intimetur, sed sufficit, eam communitati esse intimatam, ut docet d. Thomas 1. 2. q. 90, a 4., ubi: *Illi coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam, in quantum in eorum notitiam devenit per alios vel devenire potest, promulgatione facta.* Sed respondetur 1. Quis negabit, quod lex, ad obligandos particulares, sufficit eam aliquando fuisse communitati intimatam? Attamen, ut particulares teneantur, semper requiritur ut ipsi sciant intimationem legis certe communitati factam et hoc est quod dicit s. Doctor: *Obligantur ad legem, in quantum in eorum notitiam devenit.* Hinc respondetur 2. quod lex quae inter sapientes controvertitur, nè communitati quidem potest dici intimata; cum ipsa communitas in diversas partes scissa adhuc quaerit nec invenit lelem esse latam. Forte dicent, ex ipso lumine naturae esse communitati intimatam legem universalem, ut in probabilibus sequenda sint probabiliora imo tutiora, ut aliqui addunt. Sed quomodo ista lex dici poterit unquam communitati intimata, cum maxima communitatis pars lumine naturali talem legem non agnoscat; cum potius lumen naturae dictet, homines sua libertate certa per legem dubiam minime esse privandos?

40. Objiciunt II. Quod cum dubitatur de lege vetante aliquam actionem, dubitatur etiam an homo sit in potestate suae

libertatis ad illam faciendam. Respondetur, quod sicut quando lex est certa et dubitatur an sit revocata, in dubio servanda est, donec de revocatione constet; quia tunc lex possidet: ita contra, quando lex non est certa, possidet libertas; unde homo, post adhibitam diligentiam ad inveniendam veritatem, non prohibetur ab aliqua actione, donec ei constet de lege prohibente: prout quisque potest pro libito disponere de re possessa, donec post adhibitam diligentiam non est certus illam esse alienam. Quousque igitur, adhibita diligentia, homo non est certus de lege prohibente, ab omni culpa excusatur, etiamsi contra legem (si forte ipsa existat) operetur: invincibilis enim ignorantia illa utique est, quae studio superari non potest, ut docet d. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. Vide dicenda in cap. III. §. I. n. 61.

41. Objiciunt III., promulgationem non requiri in lege Divina sicut requiritur in humana. Recte dicunt et concedo, si hoc dicitur ad significandum, quod superior humanus potest legem editam velle ut non obliget nisi post promulgationem: non autem sic Deus; quia fieri potest, quod superior humanus tulerit legem et postea mutato consilio ad eam nolit subditos obligare, illam non promulgando: Deus autem statim ac legem edidit, simul etiam promulgasse intelligitur, adeo ut scientes hanc adesse statim ac sciunt, eam servare teneantur. Verumtamem respondetur, quod lex ut obliget, sive humana sive divina sit, semper debet esse sufficienter promulgata, sive cognita sive proposita, sive indita (dic ut mavis) tamquam certa. Nam si probabile est, aliquam legem non adesse (ut probabile, imo probabilissimum est de hac lege sequendi probabiliora, prout diximus), patet, probabile etiam esse, imo certum illam non esse satis promulgatam et ideo ad illam neminem teneri, cum adhuc in dubio legis nostra libertas possideat.

## §. III.

### *Exponitur tertia ratio:*

### *Quia si esset obligatio sequendi probabiliora, magna interveniret difformitas in observantia legis.*

42. Certum est, quod lex respicere debet non jam particularium, sed totius communitatis bonum. Ad hoc autem bonum communitatis utique opus est, quod observantia legis sit in omnibus uniformis, ut absint scandala, dissensiones, perplexitates et conscientiarum pericula, quae omnia bono communi adversantur. Ad promovendam igitur hanc uniformitatem observantiae legis, vel omnes sunt obligandi ad sequendas opiniones tutiores, vel omnibus permittendus est usus opinionis minus probabilis. Vel (inquam) omnes tenentur sequi rigidam sententiam, quia ubi lex est controversa, erit tunc uniformis obligatio sectandi opinionem tutiorem, sed haec obligatio communius nec ab ipsis adversariis admittitur. Vel omnes possunt benignam amplecti sententiam, quia, cum ipsa nitatur gravi fundamento, innixe alicui principio certo, quamvis aliqua opinio aliquibus videbitur minus, aliis magis probabilis, tamen communiter ut probabilis judicabitur et ideo communiter hominibus eam sequi permittetur. Contra vero, si ad observantiam legis regula majoris probabilitatis tenenda erit, necessario legis observantia difformis evadere debet; cum enim variae sint mentes hominum etiam sapientum, saepe accidit, quod opinio quae uni probabilior est, alteri minus probabilis videatur, ita ut hic lege adstringatur, alter non: imo eadem persona hodie lege non tenebitur, cras sic; quia eadem actio hodie videbitur ipsi probabilius licita, cras probabilius illicita. Hinc sapienter ait Gerson: *Itaque debet quilibit nunquam oblivisci quam incerta sit scientia nostra, ita ut idem saepe homo brevi momento temporis nunc in hanc nunc in oppositam feratur sententiam.* Si ergo teneremur probabiliores sententias am-

plecti, necessario inter fideles magna confusio oriretur; quia unus concionator docebit, adesse aliquam obligationen, alter non: unus confessarius dicet, aliquem contractum esse honestum, alter inhonestum, et ecce confusio et ex confusione innumera scandala, dissensiones, perplexitates et inde pericula conscientiarum.

43. Nec valeat dicere, quod sequendo benignam sententiam, etiam difformitas intercedere potest, cum eadem opinio alicui probabilis videri possit, alteri improbabilis. Non negatur hoc accidere posse; sed semper verum erit, quod cum aliqua opinio pollet solida probabilitate et certo gravi fundamento nititur, ipsa apud maximam partem sapientum probabilis existimabitur; idque jam satis erit ad conservandam universalem uniformitatem observantiae legis, non obstante quod apud aliquem particularem illa non sit probabilis; id enim quod raro accidit, universalem uniformitatem non aufert. Hoc tamen certe non evenit circa aestimationem opinionum probabiliorum; quia cum major vel minor earum probabilitas pendeat a moralibus motivis, nempe a judicio et ponderatione rationum, quas alii deducunt ex uno principio, alii ex alio, non raro sed communiter accidit, quod quae uni est validior, alteri debilior apparet.

## §. IV.

***Exponitur ratio quarta:***

***Quia, nisi licitus esset usus benignae sententiae, omnino turbaretur ordo obedientiae superioribus debitae.***

44. Omnes theologi tam recentes quam antiqui docent, in obscuris esse obediendum superioribus, ubi non est certum peccatum: ita s. Bonaventura in 2. d. 39. a. 1. qu. 3. Gerson *de Poll. noct.* cons. 3. Nyder *in Consolat.* p. 3. cap. 17., ubi citat Raymund. et Henr. Gandens. Halensem p. 2. q. 121. membr. 3. a. 2.

et sic docuerunt omnes qui de hac re egerunt. Ita etiam omnes mysticae theologiae magistri cum s. Ignatio Loyola *in epist. de Virt. obed.*, ubi: *Est igitur haec ratio subjiciendi proprii judicii, non solum sanctis viris usitata, sed etiam perfectae obedientiae studiosis imitanda, omnibus in rebus quae cum peccato manifesto conjunctae non sunt.* Audiatur praecipue d. Bernardus *de Praecept. et Dispens.* c. 12.: *Quidquid vice Dei praecipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus.* Deinde sibi objicit: *Sed homines facile falli possunt.* Et respondet: *Sed enim, quid hoc refert tua, qui conscius non es? praesertim cum teneas de Scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam etc.? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quae non sunt aperte contra Deum, audire debemus.* Item Leo X. (ut refert Casarubius v. *Declarare* n. 4. et 5.) concessit fratribus minoribus, ut possint in omnibus dubiis secura conscientia stare determinationi suorum superiorum. Item s. Bernardinus Senensis *in Dialogo de Obed.* ait: *Ubi subditus rationabiliter dubitat an quod praecipitur, sit peccatum an non, tunc profecto obedire debet.* Item b. Humbertus *in lib. de Erud. relig.* c. 1.: *Nisi aperte, sit malum quod praecipitur, accipiendum est, ac si a Deo praeciperetur.* Item Dionysius Carthusianus in 2. d. 49. q. 3.: *In dubiis an sit contra praeceptum Dei, standum est praecepto praelati; quia, etsi sit contra Deum, attamen propter obedientiae bonum non peccat subditus.* Item Glossa in c. *Ad aures, de Temp. ord. lit. E, in fine: Si vero dubium sit praeceptum, propter bonum obedientiae excusatur a peccato, licet in veritate sit malum.* Idem docuit prius d. Augustinus, loquens de obedientia debita superioribus temporalibus in c. *Quid culpatur* 3. caus. 23. qu. 1., ubi: *Ergo vir justus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si quod sibi jubetur vel non esse contra Dei praeceptum, certum est vel, utrum sit certum non est; ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.*

45. Certum igitur est, subditum teneri obedire superiori in omnibus, quae non sunt aperte mala et ratio hujus certa est, quia si subditus non posset aut non teneretur parere, quando dubitat de honestate rei praeceptae, ordo reipublicae omnino perturbaretur; fere enim semper in plurimis opinionibus dubia occurrunt et sic saepe praecepta superiorum obedientiam non obtinerent. Si ergo obediendum, ubi non constat de peccato; illud, quod superior praecipit ex opinione probabili, equidem non est certum peccatum: quando igitur ipse jubet aliquid ex opinione probabili, licet minus quam opposita, subditus tenetur obedire. At non posset subditus obedire, nisi cognosceret aut supponeret, superiorem prudenter praecipere; nam si subditus certo sciret, praelatum dubitare de honestate rei praeceptae, non teneretur ei parere; quia tunc praeceptum esset temerarium et obsequium subditi non esset rationabile. Et idem dicendum, si superior esset in aliqua re ita imperitus, ut non posset judicium sibi formare de probabilitate rei praeceptae et contra opinio de re praecepta non videretur subdito probabilis, puta, si superior esset laicus et praeciperet procuratori inire contractum, qui ipsi procuratori non videretur probabiliter licitus; quia tunc subditus esset moraliter certus de inhonestate suae actionis, cum in oppositum nec videat nec supponat probabilitatem rei praeceptae. Ut ergo subditus possit obedire, cum opinio rei praeceptae videtur ipsi minus probabilis, necesse est ut teneat, superiorem posse praecipere et prudenter praecipere, quoties praecipit ex illa opinione minus probabili ac proinde judicare debet, licitum esse illam sequi etiam in concursu probabilioris. Ergo non est sola ratio superioritatis, quae cohonestat operationem subditi; nam si hoc esset, subditus deberet obedire adhuc si sciret, praelatum in dubio praecipere, vel adhuc si praelatus esset imperitus circa materiam praeceptam. Tota igitur ratio cur obediendum sit, est, quia superior, ut diximus, potest operari et prudenter praecipit, quando praecipit cum opinione minus probabili.

46. Dicet aliquis, quod eo casu tenetur subditus quaerere ratio-

nes, quibus probabilior ipsi fiat praelati opinio. Sed perperam; quia potest esse quod quaerat et non inveniat: imo potest esse quod inveniat adhuc clarius, opinionem suam esse probabiliorem opinione superioris, qui forte erit minus doctus quam subditus: teneturne tunc iste obedire? Si non tenetur, corruit regula laudata, scilicet obediendum esse in omnibus, ubi non constat de peccato; quando enim adest opinio probabilis de honestate alicujus rei, nequit dici eam esse manifeste illicitam. Si tenetur, ergo judicare debet, quod bene possit superior praecipere rem illam cum opinione minus probabili. Instabit: tunc tenetur subjicere judicium suum judicio praelati. Sed respondetur, nullibi haberi, praelato promissam fuisse assistentiam Spiritus sancti et infallibilitatem, ita ut nunquam possit errare circa veritatem rerum quas praecipit, sicut summus Pontifex, quo praecipiente, tenetur subditus omnino mutare et subjicere judicium. Si ergo non peccat obediendo superiori, casu quo obediat forte in malo, sed non manifesto, hoc ex eo est quod cognoscit, superiorem non temere praecipere, cum praecipit ex opinione ipsi probabili: et contra, quod ipse subditus tenetur obedire, ubi peccatum non est certum. Et sic intelligitur illud (ad quod recurrunt adversarii, ut cohonestent obedientiam in rebus dubiis): *Qui vos audit, me audit;* nempe quod cum superior praecipit aliquid non certe malum, certus est subditus, immunem se esse a peccato. Inde est, quod si Pontifex declaret aliquid licitum, quod mihi videtur illicitum, illud certe possum operari, judicium submittendo. At contra, quamvis tenear obedire, quando superior praecipit mihi actionem, de cujus probabilitate dubito et obediendo tunc non peccem, non possum tamen, seclusa obedientia, deinde eamdem facere actionem.

## §. V.

### *Exponitur quinta ratio: Quia obligatio sequendi probabiliora si adesset, esset humanis viribus impar.*

47. Si adesset lex sequendi opiniones probabiliores, utique adesset necessario simul obligatio opiniones probabiliores inquirendi, ut bene arguunt Suarez, Sanchez, Laymann, Terillus et alii. Imo teneremur inquirere in opinionibus minus tutis illam notabilem praeponderantiam, quam aliqui ex adversariis amplius exigunt; unde teneremur (ut recte ait Sanchez l. 1. c. 9. n. 14.) prius perpendere omnes rationes intrinsecas cujusque opinionis, item conferre auctoritates Doctorum inter se diversas, item conferre rationes nobis probabiliores cum auctoritatibus aliorum; quandoque enim aliorum auctoritas propriae rationi praeferri debet, ut dicit d. Thomas 2. 2. q. 4. a. 8., ubi: *aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur.* Et sic deinde omnia haec librando, nempe rationes et auctoritates, formare deberemus judicium certum, hanc vel illam opinionem esse nobis probabiliorem et tutam. At quis non videt, hoc esse onus moraliter intolerabile, utpote innumeris scrupulis, perplexitatibus et periculis errandi obnoxium? Ac proinde non praesumitur benignissimus Deus, cujus misericordia superexaltat judicium, tantum pondus nobis imponere voluisse, moraliter impossibile ad portandum. Dicitur *impossibile;* nam sapienter ait d. Antonin. p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. reg. 7. loquens equidem de delectu opinionum: *Non solum autem dicitur impossibile, quod absolute non est possibile, sed etiam videtur interpretandum secundum virtutem epikeiae in lege nova esse impossibile, quod vix est possibile, utpote* (nota) *nimiam habens difficultatem. Alias quomodo salvaretur illud: onus meum leve?* Hinc p. Suarez in 1. 2. tr. 3. d. 12. se. 6. dicit: *Quotiescumque*

*opinio probabilis est, potest aliquis formare conscientiam certam, conformem tali opinioni. Praeter aa. citatos favent Navarrus, Sylvest. Angel. Significat Antonin.* p. 1. tit. 3. c. 10. *Ratio est, quia esset intolerabile onus, obligare homines ad conferendas singulas opiniones.* Ad hoc etiam facit illud: *Noli esse justus multum, neque plus sapiens quam necesse est, ne obstupescas. Eccle.* VII. 17. Recte ait Malderus: *Si ad operandum probabilitas non sufficeret, sed certitudo requireretur, homo quidem obstupesceret, in mille angustias, perplexitates et formidines implicatus et sic plura bona opera omitteret.* Revera enim maxima pars confessariorum et doctorum utique absterreretur ab excipiendis confessionibus, a praebendis consiliis, a docendo, a scribendo. Hinc fit, quod sectatores rigidae sententiae difficulter se adducant ad confessiones audiendas; quia vel deberent poenitentes dirigere juxta sententias semper tutiores et huic oneri velle omnes subjicere sibimet videtur nimis durum et intolerabile; vel juxta opiniones probabiliores, et quia difficulter valent discernere, quae sint ita probabiliores ut tute eas sequi possint, ideo, ab hujusmodi angustiis ut se eximant, ab audiendis confessionibus abstinent.

18. Dicit Mercorus, quod si homines tenerentur ad hoc onus exquirendi opiniones probabiliores, non dubitaret concedere, non adesse obligationem probabiliores amplectendi, sed potius benigna sequenda esset sententia; sed hoc (ut ait) non accidit, quia hujusmodi obligatio non adest indagandi probabiliora, sed tantum eligendi opiniones quae nobis praesto probabiliores videntur: hoc autem (dicit) non est onus intolerabile. Sed hoc Mercori confugium omni videtur probabilitate carere et si quis probabiliorista se gereret juxta hanc Mercori doctrinam, nescio quomodo tuta conscientia posset operari; etenim, ut omnes docent cum d. Thoma, qui tenetur ad finem, tenetur ad media: si ergo non possumus sequi opinionem minus aut aeque probabilem pro libertate in concursu probabilioris, tenemur sane debitam adhibere diligentiam, ut certi reddamur, quod illa opinio sit vere probabilior; alias certo exponimur periculo peccandi,

sequendo opinionem non probabiliorem, dum ignorantia eo casu studio vinci potest. Sicut igitur, juxta Mercori sensum, peccat qui sequitur minus probabilem, ita etiam peccat qui se exponit periculo eam sequendi. Quod autem fiamus certi, quod aliqua opinio minus tuta sit vere probabilior vel habeat requisitam praeponderantiam, hoc est moraliter impossibile; vel enim praeponderantia illa est parva et quis securus erit, opinionem esse vere probabiliorem? cum enim excessus sit modicus, difficile potest certo percipi: aut praeponderantia est magna et quis judicare poterit eam pertingere ad sufficientem mensuram, ita ut opinio tutior certo judicetur falsa aut saltem tenuiter probabilis? Et sic semper cum dubio practico agere deberemus; a quo ut redderemur immunes, opus nobis esset semper eligere sententias vel tutiores, vel undique moraliter certas, quarum oppositae nobis essent omnino falsae. Haec autem omnia, quae valde animum vexant fautorum rigidae sententiae, efficiunt, ut ipsi, eo quod ab hujusmodi haesitationibus satis se extricare nequeunt, ut plurimum in rigidum tutiorismum se conjiciant et ita sibi et aliis redduut intolerabile jugum divinae legis, quod Christus Dominus dixit esse leve et suave. Audiamus magnum Gersonem, qui *de Vita spir.* lect. 4. sic loquitur: *Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum, aliqua esse peccata mortalia; ubi non sunt* (nota) *certissimi de re; nam per ejusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras et nimis strictas in rebus universis nequaquam eruuntur hominès a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur.* Addit demum: *Quid prodest, imo quid non obstat coarctare plus justo mandatum Dei, quod est latum nimis? Quid expedit gravius reddere illud Christi jugum, quod suave est et onus leve?* Hinc ven. p. Paulus Segneri (qui ob vitae sanctitatem quanto merito fuerit apud Deum satis historia ejus gestorum testatur) scribit, quod si ipse putasset non posse sequi opiniones minus tutas, nisi essent probabiliores, nescisset modum quo salvus fieri potuisset. Sic enim dicebat: vel teneor sequi *probabiliores in se*, et tunc quando sciam quae opinio

sit vere probabilior, tot in casibus ubi graves occurrunt rationes et auctoritates hinc inde oppositae? vel *probabiliores mihi* et angustia augeretur; nam saepe mihi oporteret judicare, meam opinionem esse probabiliorem contra aliam plurium sapientium sententiam et tunc quis me tutum reddet, quod mea opinio sit certe probabilior et probabilior cum illa notabili praeponderantia, quam aliqui ex contrariis requirunt? Quomodo certus fiam, quod ipse rationes oppositas bene intellexerim et bene solverim? Quod dictamen conscientiae, quod mihi formavi, sit satis certum et tutum? Quod hallucinatus non fuerim a proprio sensu, ita ut, si errem, error meus sit vere invincibilis et inculpabilis?

49. Et revera quod in opinionibus maximam partem sibi sensus proprius sive passio vindicet et non ratio, passim accidit doctis et indoctis; immo saepius evenit doctis, quia facilius est rationes invenire ad sibi suadendum, quod veritas sit ex ea parte, in quam magis a passione feruntur: *Unusquisque facilius credit quod appetit*, dicit s. Thomas. Considera scotisticam scholam a tot saeculis thomisticae oppositam; per haec tempora nullum legimus aut ex fratribus minoribus doctrinis ordinis praedicatorum adhaesisse, nec quemquam ex istis adhaesisse illis. Et tamen, si franciscanus aliquis elegisset s. Dominici religionem, nonne certe manibus et pedibus Scoto adversaretur? Et converso, si quis dominicanus ordinem minorum introisset, nonne doctrinae s. Thomae absolute se opponeret? Peto, in istis quid praevalet? sensus an ratio? non quidem ratio, quia qui nunc existimat probabiliorem sententiam suae scholae, si esset alterius, illam minus probabilem profecto putaret. Denique dato, quod quis nulla irretitus sit passione, quis securitatem ei praebebit, quod sufficientem diligentiam jam adhibuerit ad sententiam probabiliorem inveniendam? Et nonne magnae istae essent angustiae, quae vitam redderent miserrimam, legem durissimam et pericula peccandi facillima?

50. Illi autem periculo in quo sunt probabilioristae, ut vidimus, non se exponunt qui sequuntur opinionem certo probabilem, licet minus. Quia postquam ipsi certi sint facti de pro-

babilitate opinionis, non tenentur majorem adhibere diligentiam; quando enim opinio aliqua nititur gravi et certo fundamento, non adest amplius moralis sive prudens spes inveniendi veritatem certam et ideo si falluntur, invincibiliter falluntur. Hinc recte infertur, quod licet sententia rigida videatur per se tutior, revera tamen tutior est benigna, quia rigida majus affert periculum peccandi formaliter, dum benigna magis periculum affert tantum materialiter peccandi. Et hoc dato etiam, quod qui utitur opinione probabili laedat materialiter legem, si forte lex adsit (quod jam ostendimus supra cap. II. §. 1. obj. 1. omnino esse negandum, quia lex, ut diximus, non comprehendit qui prudenter agunt) sed dato (inquam) etiam hoc periculo peccandi materialiter, ab illo non tenemur averti, postquam veritatem inquirere studuimus et non potuimus invenire; tunc enim ignorantia, cum sit invincibilis, est equidem etiam inculpabilis, dum peccatum invincibiliter ignoratum non imputatur ad culpam ut fuse videbimus infra cap. III. §. 1. n. 61.

51. Sed dicunt adversarii: Nos securius salutem nostram facimus, cum nulli periculo exponamur. Utinam sic esset. Illud scio, quod ex d. Thoma docet d. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 11. §. 28, nimirum peccare doctorem qui damnat de mortali aliquam opinionem, quae non est contra auctoritatem expressam Scripturae vel Ecclesiae vel contra evidentem rationem; quia animas periculo damnationis exponit: *Nam* (inquit) *si determinetur, quod sit ibi mortale et non sit, peccabit contra-faciens; quia omne quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam.* Item (ut mox supra vidimus) ait Gerson, doctores non debere aliquid damnare de mortali, *ubi non sunt certissimi de re; nam per ejusmodi assertiones rigidas homines in lutum peccatorum profundius demerguntur.* Item in *Constit. pp. praedic.* dicitur, relaxanda esse quantum fieri potest rigiditas in opinionibus; *terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut salutem propriam negligant.* Hinc Terillus q. 31. n. 12. non dubitat asserere (et non immerito) quod cum opinio rigida, sumpta pro conscientiae regula, sit opinio animarum

saluti valde noxia, suadere illam ut regulam est per se et ex objecto peccatum grave; quia suadere rem valde noxiam (maxime si sit universalis) caritati graviter repugnat. Ceterum magna mihi esset angustia et timor peccandi, si omnes quorum confessiones exciperem, sive validiores spiritu sive debiliores essent, obstringere vellem ad non utendum nisi opinionibus (cum sunt minus tutae) quae certe essent probabiliores, imo valde excedenter probabiliores, ut aliqui autumant. Tanto magis periculum animae vererer, si poenitentem qui mihi confessus esset peccata sua, sine absolutione dimitterem, eo quod sequi vellet opinionem graviter probabilem, quia opposita esset mihi probabilior. Item si poenitentem, qui est in bona fide, monerem (ut nonnulli adversariorum contendunt faciendum) de aliqua malitia illi incognita, praeter necessaria ad salutem etiamsi praeviderem, monitionem illi obfuturam, ita ut eum injicerem in statum peccati formalis. Nescio igitur, inquam, an ob haec et alia, quae fautores rigidae sententiae pro regulis sibi statuunt, nullum periculum salutis incurrant. P. Constantinus Roncaglia, vir doctrina et eruditione satis notus, fatetur in *sua Theol. mor.* tract. 1. c. 2. *reg. in prax.* se aliquando secutum fuisse rigidam sententiam eamque docuisse per plures annos: *At experimento vidi* (sic addit) *nihil ad praxim deservire; quis etenim vel studendo et praecipue dum audit confessiones, potest omnia momenta utriusque partis librare et inde definire: hoc est minus probabile, hoc est probabilius? Hoc esset onus intolerabile. Satis mihi fuit in praxi sequi sententias, quas rationabili fundamento innixas putavi et ita credidi satisfecisse meae conscientiae absque eo quod me judicem constituerem inter minus probabilem et magis probabilem.*

## VI.

***Exponitur sexta ratio:***
***Quia sententia benigna est probabilior, imo probabilissima.***

52. Etiamsi concedatur, quod adsit lex vetans usum opinionis minus tutae nisi sit probabilior, vel etiam cum magna praeponderantia, ut aliqui ex recentioribus contendunt: dicimus, quod nostra sententia, nempe quod liceat sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori, est longe probabilior sive probabilissima, imo moraliter seu lato modo certa. Id patet ex argumentis supra expositis, scilicet (ut paucis omnia praedicta perstringam) I. quia in dubio legis possidet libertas. II. quia lex nisi certe sit promulgata, non obligat: III. quia alias magna intercederet difformitas in observantia legis. IV. quia alias perturbaretur ordo obedientiae. V. quia obligatio sequendi probabiliora esset humanis viribus impar. Adde his potissimum argumentum sub initium propositum, nimirum quod si sententia benigna fuisset falsa, minime quidem communiter a doctoribus undique fuisset recepta (ut revera recepta fuit) aut saltem Ecclesia eam non tolerasset, permittendo, quod animae communiter per hanc perditionis viam (ut adversarii clamitant) a talibus coecis ducibus deceptae incederent. Haec argumenta singula quidem valent moralem certitudinem nostrae sententiae ostendere, tanto magis simul conjuncta. Ad formandam enim certitudinem moralem alicujus sententiae non requiritur, ut auctores oppositam tenentes omni ratione adhuc levi careant, sed sufficit si sententia illa, omnibus perpensis, ita vera appareat, ut contrariae vix supersit apparentia veritatis, vel ut contraria non videatur satis probabilis. Porro certitudo aliquando non resultat ex uno principio convincente, sed ex pluribus conjecturis gravibus et verisimilibus, quae ad idem conferunt, ut docet s. Antonin. p. 2. tit. 3. c. 3. his verbis: *Certitudo moralis non resultat ex evidentia demonstrationis, sed ex probabi-*

*libus conjecturis grossis et figurabilibus, magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus; dicitur autem probabile quod pluribus et maxime sapientibus apparet verum.* Idem dicit Gerson *de Contr.* p. 2. prop. 12. ubi: *Probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut non exponat quis se periculo, ut dicunt doctores de celebrante missam, ubi requiritur status gratiae, quod sufficit ad hoc probabilis conjectura; quia certitudo alia citra revelationem non habetur in moralibus: quae certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem vel opinionem alterius partis licet magis declinet ad istam quam ad aliam, quod sufficit.* Idem fere iisdem verbis concludit Nyder *in Consolat.* c. 13. Idem ait Sylvester v. *Opinio*, qu. 1. *In moralibus sufficit certitudo ex probabilibus.* Idem ex recentioribus Natalis Alexander *Theol. mor.* l. 3. de pecc. reg. 18. ubi: *Praesumptio vehemens pro certitudine habenda est.* Idem Fagnanus in *c. Ne innitaris, de Const.* dicit: *Et si argumenta seorsim sumpta non concludant omnino, sed sint tantum probabilia; tamen si simul jungantur et sint multi ponderis, sunt apta generare moralem certitudinem, ut virtus apprehensiva concipiat absque ulla formidine rem ita esse.*

53. Si ergo licitum est juxta eosdem adversarios operari cum opinione probabiliori, sane licitus erit usus sententiae benignae, quae ex omnibus praedictis non solum est probabilior sed etiam moraliter certa, saltem est longe probabilior sive probabilissima, cum qua certe licet operari, ut constat ex prop. 3. damnata ab Alexandro VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Cum autem hoc judicium, quod aliqui ex nostris auctoribus appellant reflexum, non sit aliud quam applicatio principii generalis ad casus particulares, evidenter in eo comprehensos, nescio quomodo contrarii, concesso principio universali, possint in dubium revocare, an sit licitum cum tali judicio operari. Si enim mihi concesseris, v. gr. legem dubiam non obligare; posito quod in hoc contractu non adsit lex certa, non poteris dicere, ad illam legem me teneri. Unde cum ad constituendam legem dubiam sufficiat vera probabilitas in contrarium, ut supra evidenter ostendimus; sequitur,

quod, etiamsi opinio pro lege sit probabilior, possum habere judicium certum sive probabilissimum, quod liceat mihi secundum probabilem operari, dato quod probabilissimum judicium habeam, quod lex dubia non obliget. Alioquin si ad operandum necesse esset habere judicium directe probabilius de veritate rei, subditus non posset superiori obedire, nisi certo sibi suaderet, opinionem de re praecepta esse directe probabiliorem; sed hoc subversionem induceret totius obedientiae, ut vidimus in quarta ratione et esset contra communem sententiam patrum et theologorum. Sic pariter alias vassallus non posset suo principi parere militando, nisi probabilius censeret, bellum esse justum; sed hoc esset contra doctrinam d. Augustini, qui docet, ei sufficere ad obediendum, quod nesciat, bellum esse certe injustum.

54. Sed dices: si per judicium directum aliqua opinio est minus probabilis, quomodo per judicium, quod dicunt reflexum, potest evadere probabilior? Sed omnino semper (ut pluries repetivimus) distinguere oportet opinionem ab usu opinionis. Aliud est enim quaerere, an haec opinio in casu particulari sit minus vel magis probabilis, aliud an liceat hac opinione uti. Unde minime nos dicimus, quod opinio aliqua juxta judicium directum sit minus probabilis et juxta reflexum sit probabilior; sed asserimus, quod illa juxta directum de veritate rei erit minus probabilis, juxta autem reflexum de honestate actionis, usus illius opinionis erit probabilius licitus. Et sic respondetur ad aliam objectionem quam faciunt, nempe quod cum sit obligatio sectandi veritatem, tenemur sequi quod verisimilius nobis videtur; nam ut supra diximus, duae veritates omnino sunt distinguendae, veritas opinionis et veritas honestatis quoad usum opinionis. Tenemur utique sectari quod verisimilius apparet circa veritatem honestatis usus, non autem semper quod apparet verisimilius circa veritatem opinionis: unde bene potest haberi formido de rei veritate et certitudo de honestate actionis; quia pluries, esto lex probabilius videatur adesse, tamen probabilius erit, eam non obligare et ex eo formamus practicum judicium

moraliter certum de licito: quare non est idem facere contra conscientiam seu dictamen honestatis, ac facere contra id quod speculative verisimilius apparet; *facere contra conscientiam* (inquit Sotus in 4. d. 18. q. 2. a. 5. in fin. §. *At vero*) *non est facere contra speculativam scientiam, sed contra id quod qui operatur putat licitum esse facere.*

55. Sed quomodo de eodem objecto poterit haberi formido et certitudo? Erras dicendo *de eodem objecto*; nam in nostro casu formido respicit unum objectum, certitudo aliud: formido respicit veritatem opinionis, certitudo honestatem usus illius; hinc bene potest quis esse dubius, an hic contractus sit usurarius et contra certus esse moraliter, licere illum inire ex rationibus reflexis supra declaratis, quae fundant certitudinem moralis honestatis; cum certe prudenter agat qui ducitur sententia moraliter certa aut saltem probabilissima. Quapropter merito ait Terillus q. 23. n. 142., quod spectatis rationibus nostrae sententiae, dicere, quod sit illicitum operari cum opinione certo et graviter probabili in concursu probabilioris, vix aut ne vix quidem est probabile; et e converso sententia benigna est moraliter certa vel saltem probabilissima. Ceterum, ut adversarii desinant hoc nomen *judicii reflexi* exprobrare, dicimus et patet, quod argumenta quae probant nostram sententiam, omnia non reflexe, sed directe illam probant, nempe quod liceat sequi opinionem vere probabilem in concursu probabilioris.

## CAPUT TERTIUM

### *Solvuntur objectiones.*

#### §. I.

***Solvitur objectio prima: Qui amat periculum, in illo peribit.***

*Eccl. 3, 27.*

56. Si igitur, dicunt adversarii, non excusatur a peccato, qui se exponit periculo peccandi, quomodo excusabitur qui utitur opinione minus aut aeque probabili? Sed hoc idem opponitur a tutioristis ipsis antiprobabilistis. Respondent hi, quod opinio probabilior respectu ad oppositam est moraliter certa, cum major probabilitas elidat minorem. Sed haec responsio futilis est (ut supra vidimus cap. II. §. I.), eamque facile dejiciunt tutioristae; quia revera, ut dicunt Fagnanus et Habert, semper ac opinio pro lege retinet grave motivum verisimile, quamvis sit minus probabilis, semper tamen superest periculum transgrediendi legem. Quis prudens vir, ait Habert, sumeret poculum, si quinque amici asseverarent, esse venenatum, licet alii decem hoc negarent? Et satis quidem convincenter sic loquitur, supposito quod sit obligatio vitandi periculum etiam peccati materialis, ut dicunt. Alia ergo responsio firmior quaerenda est adversus tutioristas. Vera et firma responsio haec utique est: distinguere oportet periculum peccati formalis a periculo peccati materialis. Quisque tenetur certe vitare periculum peccati formalis, quod proprie peccatum est et offensa Dei quatenus est transgressio divinae legis jam cognitae ex mala voluntate, quae peccatum format; nam ubi nulla voluntas prava intervenit, nullum adest peccatum. Et revera Scri-

ptura supra allata non agit de periculo peccati materialis, sed formalis, ut patet ex contextu, ibi: *Cor durum habebit male in novissimo; et qui amat periculum in illo peribit.* Si ergo ibi dicitur, quod obstinate viventes contemnendo damnationis periculum, damnationem incurrunt, quid hoc pertinet ad peccatum materiale?

57. Nullibi autem habetur, quod sit obligatio vitandi periculum peccati materialis, quo Deus non se tenet offensum, quatenus est transgressio legis dubiae, seu non adeo intimatae, ut valeat ligare, quando dubium vinci non potest, et tanto magis si grave fundamentum habeatur quod lex non existat. Quid aliud est, rogo, peccatum materiale (improprie revera appellatum *peccatum*) nisi physica materia peccati, expers et segregata ab omni voluntatis malitia? Potest Deus (dicam Contensonio praedictam objectionem acriter facienti) physice praemovere hominem ad materiale peccati, et non poterit homo se exponere periculo materialis peccati? Certum est quod peccatum materiale invincibiliter ignoratum non imputatur ad culpam. In hoc quidem omnes conveniunt cum d. Augustino *l. 1. de retract.* qui docet: *Usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non est voluntarium.* Et contrarium damnatum est in propos. 46. Baji, quae dicebat: *Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Voluntarium autem dici non potest, nisi sit a principio intrinseco, nempe a propria voluntate cum cognitione finis, ut dicit d. Thomas 1. 2. Q. 6. a. 1. ubi sic concludit: *Voluntarium dicitur esse secundum definitionem Aristotelis, Gregorii Nysseni et Damasceni, non solum cujus principium est intra, sed cum additione scientiae. Unde cum homo maxime cognoscat finem sui operis, et moveat seipsum, in ejus actibus maxime voluntarium invenitur.* Quapropter ubi non cognoscitur malitia finis, nempe cum aliqua actio eligitur velut ultimus finis, deficit voluntarium, et ideo nullum adest peccatum, ut idem d. Thomas docet, 1. 2. Q. 19. a. 6. dicens: *Manifestum est quod illa ignorantia quae causat involuntarium, tollit rationem boni et mali*

*moralis*. Ergo si ignorantia finis pravi tollit voluntarium, et quod tollit voluntarium, tollit peccatum; consequens est, quod illa quae fiunt ex ignorantia invincibili nullum sunt peccatum.

58. Nec valet dicere, quod s. Doctor loquatur hic non de ignorantia juris sed facti, ex eo scil. quod dicit in *3. p. Q. 80. a. 4. ad 5.* ubi ait aliquem dupliciter posse ignorare peccatum, *uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris, quae non excusat etc. Si vero ignorat, hoc quod facit esse actum peccati, propter ignorantiam facti, quae excusat etc.* Ergo (dicunt) ignorantia facti excusat, non autem juris. Nam respondetur, ibi d. Thomam loqui de ignorantia culpabili, ut patet ex contextu; unde illud, *per ignorantiam juris quae non excusat*, clare intelligitur *per ignorantiam* (i. e. per illam ignorantiam) *quae non excusat*, nempe quae est culpabilis. Sicut contra quando dicit, *propter ignorantiam facti, quae excusat*, pariter intelligitur per illam ignorantiam facti quae excusat; non enim potest intelligere Angelicus absolute, quod omnis ignorantia facti excuset, alias ignorantia facti etiam vincibilis excusaret. Ceterum idem d. Thomas *in opusc. de malo* Q. 3. a. 8. expresse docet etiam ignorantiam juris, quando est invincibilis excusare, dicens non adesse peccatum, *si ignoratur deformitas, puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.*

59. Quamvis autem non detur ignorantia invincibilis circa prima principia naturalia, et circa conclusiones immediatas eorum et claras, bene vero datur circa conclusiones mediatas vel obscuras, ut docent omnes ex d. Bonavent. et Alberto Magn. ap. Croix l. 1. n. 720 et ex eodem d. Thoma l. 2. Q. 94. a. 4. et clarius a. 6. ubi; *Quantum vero ad alia praecepta secundaria potest lex naturalis deleri in cordibus hominum, propter malas persuasiones etc.* Idque expressius tradit d. Antoninus *p. 2. tit. 1. c. 11. §. 28.* ubi loquens de montibus Florentiae ait: *Cum autem dicitur ignorantia juris naturalis non excusare, intelligitur de his quae expresse per se vel reductive sunt circa jus naturale et divinum, ut contra fidem vel praecepta per evi-*

*dentes rationes, vel determinationem Ecclesiae, vel sententiam communem doctorum; et non de his quae per multa media, et non clare probantur esse contra praecepta, et articulos.*

Unde Gonet oppositam opinionem (nempe quod non detur ignorantia invincibilis circa jus naturale) merito vocat improbabilem.

60. Nec dicas hujusmodi ignorantiam circa jus naturae semper esse culpabilem, quia media charitate et oratione quisque ad veritatem pervenire potest. Nam si hoc esset, quomodo inter doctores sanctitate et scientia maximos in materia morali, aliquando etiam circa necessaria ad salutem, esse potuissent tot contrariae opiniones, ut dixit d. Antoninus *part. 1. tit. 3. c. 10* § *10.* et exempla refert; nam d. Thomas docuit, quod post lapsum in mortale non oportet hominem statim confiteri sub praecepto adversus d. Bonaventuram etc. *Et sic* (concludit d. Antoninus) *exempla innumera posse poni.* Item doctissimus Morinus *par. 3. exerc. 5. c. 9. de sacr. ord.* sic ait; *Quicumque annales Ecclesiae attenderit, facile animadvertet, doctores ecclesiasticos multis aliquando saeculis opinionum varietate discordes fluctuasse.* Imo testatur Natalis ab Alexandro *tom. 3. d. 16. sect. 2.* plures SS. Patres non fuisse immunes a lapsu in aliquos errores inculpabiles, sic dicens: *Fatemur in singulis pene Patribus noevos reperiri, in plerisque etiam errores; neque id catholicorum ullus, ut puto, negavit.* Et revera de S. Joann. Chrys. sic refert Sixtus Senensis (*bibl. sacr. annot. 89*): *Restat tertium, quod in praemissis Chrysostomi verbis continetur assertum, videlicet Saram in eo potissimum esse laudandam, atque imitandam, quod servandi mariti causa, barbarorum sese adulterio exposuerit, consentiente tamen marito in ejus adulterium, immo etiam suadente.* Praeterea P. Viva in prop. 2. damnata ab Alexandro VIII. refert d. Augustinum (*in lib. 1. de serm. dom.*) non fuisse ausum peccati damnare eum qui ad declinandam uxoris mortem usum illius alteri permiserat. Numquid dicendum, hos sanctos caruisse charitate vel ab orando defecisse? Si ergo patet dari ignorantiam invincibilem in dubiis etiam circa res ad jus

naturale pertinentes, certum est eam excusare ab omni culpa cum damnata sit ab Alexandro VIII, prop. 2. Baji qui dicebat: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae non excusat a peccato.*

61. Tota igitur difficultas nunc reducitur ad videndum, utrum qui operatur cum opinione aeque vel minus probabili laboret ignorantia invincibili? In quo certum est, quod tunc dicitur quis aliquid vincibiliter ignorare, quando id scire debet et potest; ita docent omnes cum d. Thoma 1. 2. Q. 6. a. 8: dicitur *debet et potest;* unde si quis, licet debeat, non possit tamen aliquid scire, dicitur equidem hic invincibiliter ignorare, ut dicit idem S. Doctor 1. 2. Q. 76, a. 2. ubi: *non autem imputatur homini ad negligentiam si nesciat ea quae scire non potest, unde ea ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest.* Quo autem studio quaero, mihi erit vincibilis ignorantia alicujus legis, quando debitam adhibui diligentiam, doctores consulendo, rationesque sedulo perpendendo, et veritatem assequi non valuerim? Ergo eo casu peccatum materiale, si forte aderit, erit mihi certe invincibiliter ignoratum, cum mihi lex non appareat manifesta: imo juste praesumatur, tunc lex non adesse, ne ad vitanda peccata materalia, in tot dubiis quae assidue hominum mentibus occurrunt, fragilitas humana conjiciatur frequenter in evidens periculum perpetrandi plura peccata formalia.

62. Dices I. Si licebit operari cum opinione minus probabili, cur non licebit operari cum dubio, dum in utroque idem periculum incurritur? Respondetur: qui operatur cum dubio practico, peccat, quia non format sibi dictamen recte agendi, et sic exponitur periculo peccati formalis; qui enim operatur cum dubio laedendi legem, absque judicio practico, quod licite agat, saltem exercite legem contemnit, et consequenter ita opus aggreditur, ut sit paratus exsequi etiamsi illud sit contra legem. Qui vero operatur cum opinione probabili, dubium speculativum deponit ex rationibus supra allatis, et sic efformat sibi judicium moraliter certum de honestate suae actionis, paratus utique ad se ab opere abstinendum, si certus esset, vel si adhuc dubitaret practice de ejus inhonesta-

te. Hinc d. Antonin. *p. 2. tit. 2. cap. 11* §. *9.* expresse dicit, quod esto non liceat aliquid agere cum dubio, licet tamen cum opinione probabili, his verbis: *item cum dicitur a quibusdam, quod exponere se periculo peccati mortalis est mortale; respondetur, emere dicta jura non est exponere se periculo peccati mortalis, simpliciter loquendo, sed bene cum ista conditione adjuncta, scilicet dubitando ibi esse mortale, sumendo proprie dubium. Sed qui emit praedicta jura, potest non dubitare de hoc, sed opinari, licitum esse, ex quo per Ecclesiam non est determinatum contrarium, et multi sapienter licitum asseverent.*

63. Dices II. Ergo etiam *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili?* Sed hoc damnatum fuit in propositione 4. ab Innocentio XI. At respondetur, quod in rebus de necessitate medii ad salutem, prout est res fidei, certe non licet uti opinionibus minus probabilibus, nec etiam probabilioribus, sed solum tutioribus, aut moraliter certis: et idem dicendum, ubi dubium versatur circa valorem sacramentorum. Ratio est, quia in his non timetur solum periculum peccati materialis, sed etiam salutis jactura, quae sequeretur ex errore; qui enim errat circa fidem, vel circa sacramentorum valorem, vere errat circa media salutis. Et sic patet responsio ad illum textum d. Augustini, quem etiam opponunt contrarii *(in l. 1. de bapt. c. 5.)*: Si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum? Nam ibi s. Doctor loquitur de baptismo, quod certe spectat ad necessitatem salutis. De hoc textu S. Augustini fusius infra redibit sermo in responsione ad objectionem quintam.

64. In aliis autem rebus, extra necessarias de necessitate medii ad salutem, adhibenda est utique debita diligentia ad veritatem inquirendam: sed inde, si veritatem non assequimur, ita ut lex certe moraliter nobis non innotescat, tunc licite possumus opinari, vel legem non existere, vel saltem non obligare, utpote non sufficienter intimatam, et ideo invincibiliter ignoratam. Quapropter tunc licite utimur probabili opinione quae libertati favet. Et tunc minime nos committimus periculo peccati

formalis, ad quod, juxta omnium sententiam, etiam tutioristarum (vide Genett. *tr. 1. de peccatis qu. 9. in fine)*, sine dubio requiritur plena advertentia, ut docent omnes theologi cum d. Thoma *1. 2. Q. 88. art. 6.* Hinc ait Jo. Gerson, quod tunc peccatur operando cum timore peccati formalis, quando timor habetur ex conscientia formata: *Conscientia* (sic autem conscientiam formatam explicat praefatus auctor) *formata est, quando post discussionem et deliberationem ex definitiva sententia rationis judicatur aliquid faciendum, aut vitandum; et contra eam agere est peccatum.* Secus vero dicit, si timor non oritur ex conscientia formata, sed tantum ex trepidante, nimirum quando *mens inter dubia vacillat, nesciens quid sit melius, nec ad quid potius teneatur, non tamen quoquo modo vellet omittere quod sciret esse placitum divinae voluntati.* Ita Gers. *in trac. de consc. ap. Nat. Alex. tom. 7. de peccat. c. 4. reg. 10.*

65. Denique respondetur: quisnam in praesenti controversia probare poterit quod cum adest opinio probabilis libertati favens, exstet lex vitandi periculum peccati materialis? Dum e converso certum videtur, vel saltem longe probabilius ex pondere tum rationum, tum auctoritatum, quod hujusmodi lex non existat. Ad minus patet, quod in hoc casu talis lex non est cum sufficienti certitudine intimata, ut vidimus: quomodo enim sufficienter intimata, haec lex dici potest, cum certum aut saltem probabilius sit, eam nec etiam existere? Sed instabis, quod qui operatur cum dubio, exponitur periculo etiam peccati formalis. Respondetur, exponi qui operatur cum dubio practico, non autem qui cum dubio speculativo, ut melius declarabitur in responsione ad objectionem III.

66. Refert p. Wigandt ad terrorem infelicium probabilistarum historiam cujusdam Philippi cancellarii parisiensis, qui in ultimo agone constitutus, cum esset admonitus, ut relinqueret sententiam de pluralitate beneficiorum, respondit, *se velle experiri vim probabilitatis opinionum, et videre an haec sufficeret ad damnationem.* Et miser (prosequitur Wigandt) expertus est, nam apparens deinde episcopo, dixit, esse damnatum

propter plura peccata, et specialiter quia propriam illam sententiam fuerat secutus, contra sententiam aliorum doctorum. Sed hic sciendum, quod anno 1238. Guillelmus Parisiensis (ut refert Spondanus) coegit plurimos dd. seculares et regulares, et cum his communiter conclusit neminem posse plura beneficia habere, uno Arnoldo, et praedicto Philippo excepto, *qui cum aegre* (verba Spondani) *ab eo Guillelmo monitus plura quae habebat beneficia, uno pinguiori excepto, dimittere, miser negando respondisset, experiri se velle utrum id esset damnabile etc.* Haec verba quidem sunt diversa ab illis quae ut supra refert p. Wigandt. Ex his quis non videt, quod ille damnatus sit, non quia secutus fuerit opinionem probabilem, sed temerariam contra communem aliorum, et cum dubio practico, ut patet ex eo, *experiri se velle utrum id* (id est an retinere plura beneficia, non vero an sequi probabilitatem opinionum) *esset damnabile.* Numquid putare debemus, quod Philippus damnatus sit, quamvis ex opinione sibi certe probabili, certum sibi dictamen conscientiae formaverit, se posse licite plura beneficia retinere, contra id quod omnes docent, cum Gersone, ut vidimus, nempe quod ad peccatum formale et grave, omnino requiritur conscientia formata? Vel numquid dicere debemus omnes auctores et confessarios benignam sententiam sectantes, et probabilibus opinionibus bona fide utentes, damnationem incurrisse? Hoc incredibile est quod vel ipsi adversarii velint asserere aut cogitare.

## §. II.

### *Solvitur objectio secunda ex canonibus desumpta, nempe: In dubiis tutior via est eligenda.*

67. Antequam deveniamus ad discernendos casus particulares descriptos in pluribus textibus, nempe I. *in cap. Illud dominus de cler. excom.* — *II. in clem. Exivit.* §. *Item quia.* —

*III, in cap. Juvenis. de sponsal.* — *IV. In cap. Ad audientiam de homic.*, in quibus asserta regula enuntiatur, tria sunt videnda. *Primum*, an ipsa sit de consilio vel de praecepto. *Secundum*, an procedat in dubio practico de honestate actionis, an vero in dubio speculativo de veritate rei. *Tertium*, an currat in solo dubio negativo, quod est dubium proprie dictum, an etiam in positivo, nempe cum ex utraque parte adsunt opiniones probabiles? His positis, dicimus, quod in dubio practico aut negativo, scilicet quoties homo dubitat haeretque de honestate actionis, hic et nunc exercendae, vel quoties non habet rationem probabilem de veritate rei, unde postea formet sibi judicium prudens de honestate operationis, tunc de praecepto via tutior eligenda est. In dubio autem speculativo est tantum de consilio; et sic docent d. Antoninus *p. 2. tit. 1. c. 2.* ubi: *Inducunt illud, in dubio tutior via est eligenda; respondetur, hoc esse verum de honestate et meriti majoritate et non de salutis necessitate quoad omnia dubia.* Item *p. 1. tit. 3. c. 10* §. *10* dicit: *Eligere viam tutiorem consilii est non praecepti.* Idem tradit Jo. Nyder *in consolat. par. 3. cap. 16* ibi; *Non oportet semper viam tutiorem eligere; tutiorem enim viam eligere est consilii, non praecepti.* Idem Pelbartus ait: *Non tenetur homo semper in diversitate opinionum eligere tutiorem, quia opinio est tuta cum habet pro se doctorem satis acceptum.* Item Tabiena *v. Scrupulus*: *Imo etiamsi esset falsa opinio quae consulitur, secundum dictum Archiepiscopum, non peccat, nisi esset contra manifestam determinationem Scripturae, vel Ecclesiae. Nec valet quod in dubiis tutior via sit eligenda, quia hoc non est praeceptum, sed consilium; nec per hoc se exponit periculo, sed fugit periculum.* Et idem docent apud Terillum q. 26. n. 21. S. Bonavent. Gerson et Sylvester.

68. Item regula praefata valet in dubio proprie dicto, seu negativo, non vero in dubio quod oritur ex opinionibus probabilibus, alias neque probabiliorem libertati faventem unquam sequi liceret; ita Sylvester *summa v. Opinio q. 1.* ubi: *Nec obstat quod in dubiis tutior est eligenda, ex c. Juvenis de sponsal. quia non*

*est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem; cum in moralibus sufficit certitudo ex probabilibus.* Idem tradit Navarrus, *Man. cap. 27 n. 284*, dicens: *Rectus intellectus illius vulgati, tutior pars est eligenda in dubio, ex c. Ad audientiam. De Homicid. etc., nempe in eo quod est proprie dubium, quale non est, cum sufficienti auctoritate aut ratione altera pars creditur, neque cum ex multis opinionibus una pro vera eligitur.* Dicendo autem *pro vera eligitur*, non certe intelligit, quando pars illa appareret vera, veritas enim cognoscitur non eligitur; quando ergo dicit, *pro vera eligitur*, intelligit licere cum illa opinione operari, ac si esset vera; unde sicut mihi liceret illa uti, si vera mihi appareret; ita, quoad licite operandum possum eam sequi eligendo pro vera. Quod magis explicat idem Navarrus n. 288. ubi: *In foro conscientiae ad effectum non peccandi sufficit eligere pro vera opinionem ejus, quem merito censemus esse virum ad id idonea scientia et conscientia praeditum.* Idem ait Angelus *v. Opinio: Nec obstat praedictis illud cap. Juvenis. De sponsal. quod in dubiis tutior pars est eligenda; et illud Eccl. c. 3. Qui amat periculum peribit in illo. Ergo videntur se exponere periculo qui in diversitate opinionum non eligit tutiorem: Quia hoc verum est, quando proprie dubium est; sed quando etiam opinio, secus est, quia tunc non sumus in dubio, nec consequenter exponit se quis periculo.* Idem docet d. Antoninus *p. 1. t. 3, c. 10. §. 10.* dicens: *Ille qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat, etiamsi illud non esset mortale, sumendo proprie et stricte prout rationes sunt aeque ponderantes ad utramque partem nec magis quis declinat ad unam quam ad aliam.* Clare igitur S. Archiepiscopus loquitur hic de dubio negativo practico, dum ait, *sumendo proprie et stricte dubitationem*, quam potest quis habere, etiamsi habeat rationes hinc inde aeque ponderantes; hic utique peccat si operatur in tali suspensione judicii, et non deposito dubio: quod alias recte deponere poterit, si uni parti assentiatur, voluntarie eligens opinionem probabilem sibi faventem, et formando sibi judicium practicum moraliter certum ex rationibus

supra allatis de honestate actionis. Idque est conforme doctrinae d. Thomae in 2. 2. Q. 1. a. 4. ubi ait: *Assentit intellectus alicui dupliciter, uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto... Alio modo, non quia moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam. Et siquidem haec* (electio) *sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque formidine erit fides.* Falsum igitur est illud quod contrarii autumant, nempe quod inter duas opiniones, speculative aeque ponderantes, mens necessario debeat judicium suspendere, dum ex d. Thoma bene potest alicui parti assentiri, licet cum formidine oppositae.

69. Nec obstat id quod S. Antoninus ibi subdit: *Sed si dubitat leviter quis, et per modum scrupuli; sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhaeret ipsi sententiae, quod tamen formidat de opposito: sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhaeret opinioni alicujus doctoris, et habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita opinione, etiamsi ipsa opinio quam tenet non esset vera. Et hoc nisi ipsa opinio praesumpta esset contra manifestum testimonium Scripturae, vel determinationem Ecclesiae; talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem probabilem; quod magis declarabitur in septima regula.* Oportet haec membratim exponere. S. Archiepiscopus dicendo, *sed si dubitat leviter quis et per modum scrupuli* non quidem intelligit de quadam improbabili apprehensione contra aliquam sententiam moraliter certam, quae omnem prudentem formidinem excludat, sed vocat dubium leve, respectu ad dubium rigorosum prius expressum, quod caret ullo assensu. Ac proinde loquitur de eo qui habet probabilitatem pro una parte, et prudentem formidinem pro alia circa veritatem rei; prout deducitur ex verbis sequentibus: *sicut dubitat seu formidat habens opinionem de aliquo* (idest circa veritatem rei),*qui ita inhaeret ipsi sententiae quod tamen formidat de opposito.* Quando ergo dicit, *si dubitat leviter,* intelligit loqui de honestate actionis;

quando vero dicit *formidat de opposito*, loquitur de vera et prudenti formidine circa rei veritatem: et in tantum hanc formidinem vocat leve dubium sive scrupulum, in quanto formido circa veritatem rei non impedit, quominus homo ex judicio practico certo de honestate actionis tute operetur. Cum autem dicit, quod homo sic agendo non peccat, *dum adhaeret opinioni alicujus doctoris, et habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita* intelligendus est loqui de judicio practico circa honestatem actionis, non vero de majori probabilitate circa rei veritatem: aliter non subdidisset illud: *nisi ipsa opinio esset contra manifestum testimonium Scripturae, vel determinationem Ecclesiae.* Si ergo docet, quod cum concurrunt opiniones probabiles licet quacumque uti, semper ac pro opposita non adsit Scriptura vel determinatio Ecclesiae clare significat quod adversa probabilitas, licet major, cum non sit Scriptura vel Ecclesiae determinatio, non impedit usum opinionis minus probabilis de rei veritate. Quapropter ubi dicit, *si habent rationes probabiles pro ipsa magis etc.* intelligit de majori apparentia proxima qua formatur, omnibus pensatis, judicium practicum circa honestatem actionis, alias quomodo poterat intelligere, quod moralis certitudo pro licito stare posset cum levi dubio sive scrupulo et simul cum manifesto testimonio Scripturae pro peccato? Tanto magis quod in fine se remittit ad regulam septimam ubi agens de rei veritate dicit; *Inter duram et benignam sententiam benigna est coeteris paribus interpretatio facienda.* Et rationem adducit. *Quia Deus, nec Ecclesia per sua praecepta intendit obligare ad impossibile; impossibile* autem asserit esse id quod *nimiam habet difficultatem.*

70. Hinc videamus in quibus casibus ex circumstantiis, textus supra laudati fuerint locuti. Et quoad I. In *c. Illud de sent. excomm.* ibi merito depositus fuit ab Innoc. III. quidam episcopus, qui non obstante publica fama de excommunicatione contra eum emanata, temere celebrare voluit; tenebatur enim in dubio saltem inquirere de veritate excommunicationis, priusquam celebraret; *quia in dubiis*, ait Pontifex, *via tutior est*

*eligenda; etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere, quam sacramenta Ecclesiae celebrare.* Qua de re ignorantia hujus episcopi erat quidem vincibilis, imo ipse quasi certus erat de inhabilitate ad celebrandum, sine ulla probabilitate in oppositum: ideo ille viam tutiorem debuisset eligere.

71. II. In Clementina *Exivit*, ibi fratribus minoribus rogantibus Apostolicam Sedem, an sub gravi tenerentur ad ea quae in religione S. Francisci verbis imperativis exprimebantur, respondit Pontifex: *In his quae animae salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae, pars securior est tenenda.* Hinc sancivit ad illa teneri. Sed peto, ex praefatis verbis Pontificis quid infertur? Nihil aliud quidem nisi quod Pontifex censuit, ipsos fratres, practice utique dubitantes (ut arguitur ex verbis textus: *Quia circa aliqua ad regulam ipsorum statum pertinentia dubitationum in ipsis fluctus aliqui generentur etc.)* non solum cum formidine sed etiam cum gravi conscientiae remorsu, teneri ad servandum quod tutius erat, ad graves nimirum remorsus conscientiae vitandos: quibus angentibus, eis operari, quod non erat tutius, equidem non licebat. Dicimus autem, quod secus Pontifex sancivisset, si ipsi cum opinione probabili (quae non apparet in eo casu exstitisse), practice dubium deponentes, egissent.

Tunc enim non graves conscientiae remorsus, sed simplex formido tantum eorum actionem consecuta esset; quae formido, semper ac cum ignorantia invincibili conjuncta est, nequaquam actiones illicitas reddit; alias dicere deberemus, quod neque cum probabiliori liceret operari, cum opinio probabilior necessario cum formidine conjuncta esse debeat; nam alioquin esset certitudo, non opinio, cui intrinsecum est, ut diximus sub initio, formidinem annexam habere.

72. III. *In c. Juvenis. 3. de spons.* casus ibi fuit: quidam juvenis cum adhuc esset septennis matrimonium contraxerat cum puella: qua mortua, duxerat illius consobrinam. Cum autem dubitaretur an primum matrimonium fuisset invalidum defectu impotentiae viri, Eugenius III. jussit fieri separationem,

item *propter honestatem Ecclesiae*, dicens: *Quia igitur in his quae dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus.* Ex quo patet 1. quod Pontifex, praecipiendo separationem, habuit etiam respectum ad publicam honestatem scandalumque vitandum. Patet 2. quod Eugenius in hac sanctione illud, *quod certius existimamus, tenere debemus* non protulit respectu ad juvenem, qui bene conscius erat an tempore primi conjugii fuisset potens necne, sed respectu ad judicem, qui inter jura dubia partium, sane id quod est certius tenere debet; et ideo bene advertit card. Pallavicinus, quod Papa dixit *certius*, non tutius, quia possessio erat pro valore sponsalium, et exceptio nullitatis erat dubia.

73. IV. In *cap. Ad audientiam, de homicid.* quidam sacerdos vulneravit hominem, qui deinde e vita decessit; postea dubitabatur, an ille ex eo vulnere periisset. Clemens III definivit, conveniens esse, ut sacerdos tanquam irregularem se gereret, dicens: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero, ut non ministret.* Hinc Navarrus et Suarez bene advertunt, ibi non agi de observantia legis naturalis, sed tantum de quadam decentia sacrificii, ob quam non de praecepto, sed de convenientia consultius fuit injungere, ut sacerdos a celebrando se abstineret, ne si forte postmodum comprehenderetur ipse vere fuisse homicida, cum scandalo populi inveniretur celebrasse. Idque patet ex *cap. Petitio tua 24. eod. titulo* ubi in simili casu de homicidio dubio sic dicitur: *Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare etc.* Quis negabit, aliquando decere, quod per legem positivam ex rationabili causa etiam in dubio prohibeatur aliqua actio secundum se licita? Porro in illo peculiari casu merito Pontifex ad scandalum vitandum existimavit convenire, quod via tutior esset eligenda. Sed idem non procedit in aliis casibus in quibus talis convenientia non occurrit, et ubi taliter sancitum non invenitur. Quapropter in pluribus aliis casibus extra has circumstantias (ut vidimus cap. I. n. 12.) minime duxerunt canones praelaudatam regu-

lam fore servandam, sed in rebus controversis judicarunt sufficientem, ad licite operandum, esse quamlibet opinionem vere probabilem ab aliquibus sapientibus approbatam.

## §. III.

***Solvitur obiectio tertia, nempe: Quomodo potest haberi judicium practicum certum adversus speculativum dubium?***

74. Clamitant adversarii dicendo: Quomodo fieri potest, quod habeatur judicium certum practicum de honestate alicujus actus, de quo habetur judicium speculativum tantum probabile et dubium? Deinde prosequuntur: Quomodo ex praemissis probabilibus incertis potest inferri judicium certum? Quomodo tandem in eadem re potest esse judicium practicum diversum a speculativo? Ad haec omnia quae apparenter videntur quodammodo urgere, ex supradictis facilis patet responsio. Sed rursus brevi hic respondemus, succincte resumendo quae supra ostendimus, nimirum quod ad licite operandum non requiritur certitudo de veritate rei, sed tantum de honestate actionis: quae certitudo, dum utimur opinione certo probabili, formatur ex rationibus supra expositis, quarum singulae valent ad formandum judicium moraliter certum.

75. Hinc dicimus, quod cum utimur opinione probabili in concursu probabilioris, judicium illud speculativum probabile, sive speculative dubium, quod habemus de veritate rei opinatae, fit certum in praxi, non per solum judicium practicum, sed per aliud judicium certum etiam speculativum respiciens honestatem actionis. Exemplo id patebit. Miles habet judicium tantum minus probabile sive dubium de justitia belli: sed accedente praecepto regis ut militet, habet aliud judicium speculativum certum, respiciens actionem bellandi, nempe quod ipse teneatur pugnare, ut obediat regi jubenti, semper ac non constat de injustitia belli. Unde cum subditus bellum aggreditur,

non format sibi judicium practicum ex primo judicio speculativo de justitia belli, quia juxta illud peccaret bellando, carens certitudine morali de honestate suae actionis : in tantum igitur licite pugnat, in quantum habet judicium secundum, etiam speculativum et certum, quod in dubio de justitia belli ipse potest et debet obedire, atque ex hoc ultimo judicio speculativo certo format sibi judicium certum practicum, quod licite pugnet. Ita pariter qui utitur opinione probabili in concursu probabilioris, quamvis habeat judicium speculativum tantum probabile de veritate rei opinatae, habet tamen aliud judicium speculativum moraliter certum de honestate suae actionis, sive usus illius opinionis, formatum ex ratione, scilicet, quia lex dubia non obligat, et ex aliis supra allatis; ac proinde format sibi judicium practicum certum, quod licite operetur. Unde non valet dicere, quod judicium practicum nequit esse diversum a speculativo, nam judicium practicum operantis cum opinione minus probabili, licet sit diversum a primo judicio speculativo respiciente veritatem rei, non est tamen diversum sed conforme judicio ultimo speculativo respicienti honestatem actionis quod ex omnibus pensatis redditur moraliter certum, et ex eo formatur judicium practicum pariter certum. Hic ratiocinandi modus nullam certe involvit contradictionem, vel absurdum, nisi apud eos, qui rem aut non intelligunt, aut contendendi, causa intelligere nolunt.

## §. IV.

### *Solvitur objectio quarta, nempe:*

### *Quod sententia benigna adversatur s. Scripturae et canonibus.*

76. Saepius repetunt adversarii cantilenam hanc, quod sententia benigna est contra s. Scripturam, canones, patres et contra omnes antiquos doctores. Haec omnia saepius gratis ab ipsis asseruntur sed minime probantur nec in aeternum probabun-

tur. Quoad auctoritates s. Scripturae quae proferuntur ab eis, facilis est responsio. Opponunt 1. illud *Eccl. 37. 20. Ante omnia verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile.* Dicunt, verbis his significari, quod non liceat agere, nisi prius veritatem actionis assequamur. Respondetur, quod praedicta verba (ut affert Calmet) a textu graeco sic vertuntur: *Omnis actionis initium est ratio, et antequam aliquid facias, consulto opus est.* Item Jansenius Gandavensis vocat consilium stabile illud quod *firmis nititur rationibus.* Id ergo clare significat, quod in operando debemus certum nobis dictamen formare ex firmis rationibus; et hoc quis negabit? Et sic etiam respondetur illi d. Pauli *1. Thessal. 5. 21.* quod afferunt: *Omnia probate, et quod bonum est tenete; ab omni specie mala abstinete vos.* Antequam igitur agamus, discutere utique debemus dubias actiones, et eas tantum admittere, quae rectae rationi conformantur, ac de quarum honestate constat: et nos quid aliud dicimus?

77. Opponunt 2. illud Christi Domini: *ego sum via, veritas et vita. Jo. 14. 6.* Et dicunt: *Ego sum veritas*, Christus dixit, non *probabilitas.* Item illud: *Omnia mandata tua veritas Ps. 118.* Ergo veritas est eligenda, non *probabilitas.* Ergo, respondeo 1. neque probabilissimam sententiam sequi possumus. Respondeo 2. Sed nec etiam tutior est semper veritas. Ceterum revera (respondeo 3. interpretes docent, his verbis nihil aliud significari, nisi quod Deus vera docet et vera promittit; sic enim s. Bernardus *(serm. 7. in Coen. Dom.*, vel quisquis sit auctor) explicat illud Joannis: *Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in praemio.* Illud autem psalmi declarat Bellarminus; *Justissima lex Domini est immutabilis, et nihil falsi continet; promissiones enim et comminationes omnino impleri debent.* Quid haec ad quaestionem nostram?

78. Opponunt 3. illud *Prov. 14. 12. Est via quae videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad infernum..* Talis (dicunt) videtur opinio probabilis. Ergo respondetur, nec probabiliorem, nec probabilissimam quae videtur homini recta, sequi lice-

bit. Longe vero aliter interpretes hunc textum communiter explicant, quam de utentibus opinione probabili. Id merito dicunt intelligi de infideli, haeretico, aut de homine carnali, qui falso sperat salutem consequi, per viam malam incedendo, quam ipse per fallaces persuasiones bonam sibi promittit.

79. Demum undique clamant obstare probabilistis evangelia, ubi dicunt: *Arcta est via quae ducit ad vitam... Spatiosa via est quae ducit ad perditionem Matth. 7. 13. Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. Matth. 15, 14.* Verum (ait Terillus quaest. 25. n. 25.) ista vetulas et rudes movere possunt; non autem theologum nisi ad risum. Quis unquam ex sanctis patribus, vel seriis interpretibus, praedicta interpretatus est de usu opinionis minus probabilis? Quisnam dixit unquam, ideo viam vitae esse arctam, quia homini innumera alia observanda sint, praeter ea quae lex expresse nobis imposuit. Numquid stante usu opinionum graviter et certe probabilium, via salutis non est arcta? Non sensui valde repugnans? Utinam fideles observarent praecepta Dei certa! Conquerimur undique et ploramus, maximam horum partem ista non observare; et adstringemus eos ad pleraque alia praecepta dubia, ut eis viam salutis difficiliorem faciamus? Si Deus, si Ecclesia, si Pontifices non obstringunt, cur nos obstringere contendemus?

80. Quod ad canones pertinet, jam supra ostendimus (cap. I. n. 12) potius nostram sententiam confirmare. Regulam autem quae in pluribus eorum habetur, nempe quod in dubiis tutior pars sit eligenda, jam supra declaravimus (cap. III. §. 2), quomodo intelligenda sit.

## §. V.

***Solvitur objectio quinta, nempe: Quod sententia benigna sit contra omnes SS. Patres et praecipue contra d. Augustinum.***

81. Quoad Patres spectat, certum est, quod ipsi obscure valde de rebus moralibus locuti sunt, nec unquam de hac quaestione ex proposito egerunt. Ceterum Christianus Lupus, ut sub initium diximus, refert et probat plurimos SS. Patres docuisse et usos fuisse in praxi sententiis minus probabilibus, tutioribus et probabilioribus relictis. Hunc auctorem, apud omnes gravissimum, adeat et respondeat documentis quae allegat, ille qui hoc falsum esse putat. Objiciunt adversarii praesertim auctoritatem d. Augustini in illo vulgari: *Tene certum et dimitte incertum; in cap. Si quis autem. De Poenitent. disl. 7.* Sed ibi patet, S. Doctorem loqui de eo qui vellet omittere poenitentiam in vita, dum sanus est, eamque differre usque ad mortem; en ejus verba: *Agens poenitentiam ad ultimum et reconciliatus si securus hinc exit, ego non* **sum** *securus: quod horum futurum sit nescio. Ergo tene certum et dimitte incertum.* In hoc casu quis excusabit hunc temerarium peccatorem? Quis negabit hoc esse imprudentissimum, differre poenitentiam usque ad mortem? Sed quid ad casum?

82. Item opponunt doctrinam d. Augustini *in lib. 1. de bapt. c. 3.* qua valde nituntur adversarii, praesertim Juenius et Purchotius. Quidam dubitabat, utrum apud donatistas recte reciperet baptismum, quem in Ecclesia catholica recte accipi certum habebat; s. Doctor sic inquit: *si dubium haberet, non illic recte accipi, quod in catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta praeponeret.* Id iterum sic urget cap. 5: *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum, non ibi potius accipere ubi certum est non esse peccatum?* Ex quo incongrue inferunt con-

trarii, semper peccare qui incertus de peccato operatur, nullam distinctionem facientes inter dubia quae versantur circa praecepta, et circa res ad necessitatem salutis pertinentes, de quibus s. Doctor ibi loquitur, *in rebus ad salutem animae pertinentibus*. Dum e converso alibi loquens de praeceptis, aliter dixit, nolens damnare de peccato eos qui cum probabili ratione in die Coenae Domini post cibum ad Eucharistiam accedebant. Imo, ut supra vidimus, tractans de bello dubio, expresse definivit, non peccare subditum qui jubente principe militaret cum incertitudine, an opera sua esset contra praeceptum divinum propter belli injustitiam. Praeterquam quod ad textum allatum d. Augustini a Juenino (qui illum opponit, et praedictam responsionem renuit admittere, gratis supponens, quod casus ille spectabat ad rationem tantum praecepti divini, non autem ad valorem baptismi) alio modo facile respondetur sic: in casu proposito ille donatista, cum esset moraliter certus recte accipi baptismum in Ecclesia catholica, et e converso erat practice dubius an recte acciperetur apud donatistas, nullaque via patebat ei, qua dubium deponere posset; ideo s. Doctor ex illa certa incertitudine, seu dubietate peccati, quam ille deponere non poterat, merito infert certum esse peccatum.

83. Item objiciunt s. Augustinum omnino reprobare usum opinandi, dum ait, cum opinione probabili *(in lib. de utilit. cred. c. 11.)* nunquam licere operari: *Tria alia hominum genera profecto improbanda, ac detestanda: primum est opinantium, etc.* Sed patet ex ipsis adversariis, ut fatetur antiprobabilista continuator Tournely *tom. I. pag. 154. in fine, quod nomen opinionis aliter apud d. Augustinum intellectum est, quam nunc a theologis intelligitur; sanctus enim Doctor opinionem cum errore passim confundit, et sic (lib. de utilitate credendi c. 11.) inquit: Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus auctoritati, quod opinamur errori.* Praeterea videtur d. Augustinus locutus fuisse ibi adversus academicos, qui dicebant, quemcumque posse sectari probabilia quae ab aliquo probanda assumuntur per quamlibet rationem delectabilitatis vel utilitatis propriae

licet temere et contra jus ac lumen naturae, ut explicat idem s. Doctor l. 3. c. 16. contra Academ. dicens sic illos opinari: *Cum agit quisque quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Deinde ait: *Taceo de homicidiis, parricidiis etc. quae apud judices defenduntur. Quomodo enim non facerent quod probabile visum est?* Re autem sic se habente, miror quomodo Contensonius hunc textum d. Augustini potuerit nobis objicere.

84. Ceterum apparet, non obscure s. Augustinum benignae sententiae adhaesisse in epist. 19. ad s. Hieron. ubi: *Alios* (idest scriptores non canonicos) *ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel* (nota) *probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Sufficiebat igitur huic s. Doctori probabilis ratio, quae tantum a vero non abhorreret. E huic congruit illud s. Leonis *(in c. Sicut quaedam. dist. 14.)* alibi jam allatum: *in his quae vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis ss. Patrum inveniatur adversum.* En quomodo ubi lex est dubia, tuto possumus sequi opinionem probabilem, modo Evangeliis et ss. Patribus clare non opponatur. Dicit Jueninus, illud *sequendum* s. Leonis intelligi ut conditionem requisitam, non vero ut sufficientem; id est quod in dubiis requiritur quidem, ut actio non adversetur Evangeliis et Patribus, non autem quod sufficiat ad licite operandum, quia in dubio non licet operari. Respondetur: nulli dubium, quod in agendo requiritur moralis certitudo de honestate actionis; sed hanc certitudinem, ut supra diximus n. 18 sqq., ex ipsa incertitudine legis quisque recte sibi formare potest, per illud principium quod cuique licitum est facere quod non invenitur a lege certo prohibitum; commune enim est axioma, et certum, ac ab ipsa natura omnibus insitum, ut habetur *in l. Necnon ff. Ex quibus caus. maj. etc. quod omnia sunt permissa per legem quae prohibita non inveniuntur.* Idque confirmat, ut vidimus, d. Thomas *in 4. dist. 15. Q. 2. a. 4. q. 2.* docens: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur.* Hinc

consequenter s. Leo regulam statuit, in dubiis *id noverimus sequendum quod nec praeceptí* etc. Illud autem *sequendum* quis non videt, quod hic importat securitatem opinionis vere probabilis, ubi non constat de lege vetante?

## §. VI.

### *Solvuntur objectiones petitae ex d. Thoma.*

85. Objiciunt adversarii, nostram sententiam reprobari a d. Thoma, et praesertim in Quodlibeto 3. a. 15. ubi: *Omnis quaestio in qua de peccato agitur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* Hinc inferunt, quod sequi aliquam opinionem de qua veritas expresse non habetur, non potest esse sine periculo peccati. Sed errant, nam ibi s. Doctor loquitur de doctore nimis laxo, aut nimis rigido, qui incaute determinaret sine sufficienti fundamento usum alicujus opinionis esse licitum vel illicitum: *Quia*, sequitur Angelicus, *error quo non creditur esse mortale quod est mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad mortale.* Explicans autem s. Antoninus (cujus verba retulimus cap. I, n. 22.) hunc textum d. Thomae, dicit, quod si quis determinet, aliquem actum esse mortalem, non habens auctoritatem expressam Scripturae vel Ecclesiae, aut evidentem rationem, peccat, quia aedificat ad gehennam. Qui autem determinat non esse mortale quod est, adhuc peccat, sed tunc solum, *quando,* ut prosequitur S. Archiepiscopus, *erraret ex ignorantia crassa; secus si ex probabili, puta quia consulit peritos in tali materia, a quibus sibi dicitur, illud tale non esse mortale; videtur enim tunc ignorantia quasi invincibilis, quae excusat a toto. Et hoc quantum ad ea quae non sunt expresse contra jus divinum, vel naturale, ut contra articulos fidei, decem praecepta, et hujusmodi, in quibus ignorans ignorabitur.* Non exponitur igitur periculo pec-

candi sequens opinionem probabilem, cum non operetur ex ignorantia crassa, etiamsi erraret contra legem; quia tali casu lex est dubia, dum opinio non est expresse contra jus divinum vel naturale. Idque confirmat S. Antoninus sic subdens: *Et si diceretur, hic esse usuram, et usura est contra decalogum. Respondetur, usuram esse contra praeceptum decalogi verum est reductive; sed hunc contractum esse usurarium non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem sentiant.* Et inferius respondens ad illud, quod non liceat in dubio se exponere periculo peccandi, dicit, *id verum esse, sumendo proprie dubium; sed qui emit* (addit) *praedicta jura, potest non dubitare de hoc, sed opinari licitum esse, ex quo per Ecclesiam non est determinatum contrarium, et multi sapientes licitum asseverent.* Quis hic non videt, s. Antoninum expresse adhaesisse benignae sententiae, dum ait, quod non dicitur dubitare qui assentit alicui opinioni probabili, quae approbat aliquem contractum ut licitum, quia oppositum non est certum, i. e. *per Ecclesiam non determinatum; et quia multi sapientes* (licet alii contradicerent, ut prius dixerat) *licitum asseverent.* Quid clarius?

86. Item opponunt doctrinam d. Thomae, quam tradit in Quodlibeto 8. a. 3. ubi prima facie videtur s. Doctor docere rigidum tutiorismum, omnemque invincibilem ignorantiam excludere; dicit ibi enim: *Quod agitur contra legem semper est malum: nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Sed revera ex dicendis s. Thomas ibi non aliud docet, nisi quod cum aliquis habet opinionem probabilem pro solapart e legis, sine probabilitate in contrarium pro libertate, tunc peccaret si vellet sequi partem libertati faventem. Et quod res sic se habeat, observandum, quod ibi d. Thomas quaestionem proponit: *utrum qui habet plures praebendas peccet?* Supponit autem Angelicus, quod opinio magistrorum sit tantum pro parte legis, ex verbis quae subdit: *Videtur quod qui habet plures praebendas, peccat ex hoc quod opiniones magistrorum sunt in contrarium.* Deinde *in corp. art.* dicit: *Aut ergo ille qui facit contra opinionem magistrorum, utpote habendo plures praebendas, facit*

*contra opinionem veram.* Unde supponit quod ille temere agat contra communem magistrorum opinionem, de qua licet non habeat certitudinem, nullam tamen habet probabilitatem in oppositum. Deinde respondet, quod duplici modo potest is peccare, nimirum aut agendo contra legem, aut contra conscientiam: *Respondeo, quod duobus modis aliquis ad peccandum obligatur, aut faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur, aut faciendo contra conscientiam.* Et loquens de eo qui contra conscientiam agit, ait quod si ille temere agat, sive cum certitudine, sive cum opinione dubia de malitia illius actionis, quin dubium practicum deponat, semper peccat contra conscientiam: *Ex conscientia obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus, sive habeat opinionem cum aliqua dubitatione.* Postmodum loquens de eo qui agit secundum conscientiam, sed contra legem, sic inquit: *Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Tò *illud quod agitur contra legem* omnino intelligendum, cum agitur contra legem, quam quis scit, vel saltem scire potest et negligit; alias si scire non possit, non peccat, quia ignorantia tunc est invincibilis, ut alibi docuit idem s. Doctor *1. 2. Q. 76. a. 2.* ubi dixit: *non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea quae scire non potest; unde eorum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest.* Et revera agere contra legem, nihil aliud proprie est, nisi agere contra legem illam quae scitur, vel culpabiliter negligitur sciri; alioquin qui ageret contra legem, peccaret, etiamsi ageret ex opinione probabiliori, imo etiam ex probabilissima; quod omnino certe alienum est a sensu d. Thomae ex aliis ejus contextibus, ut dicit S. Antoninus *p. 1. tit. 3. c. 10. § 10.*, ubi praecise loquens de praedictis Angelici verbis, ait: *Haec verba d. Thomae non possunt intelligi nisi de his ubi manifeste patet ex Scriptura vel Ecclesiae manifestatione, quod sit contra legem Dei; et non de illis intelligitur, ubi non apparet. Alias sibi contradiceret in eodem libro. quod non est dicendum.* Hic autem locus de eodem

libro intelligi potest *art. 15* ejusdem Quodl. ubi d. Thomas dicit: *Quandoque vero error conscientiae non habet vim excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia ejus quod quis scire tenetur et potest.* Aut potest intelligi art, 10. in Quodl. 3. ubi ait: *Qui assentit opinioni magistri contra manifestum Scripturae testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem non potest a vitio excusari.*

87. Explicavit igitur divus Thomas casum, quo agens peccaret contra legem. Quaerit inde quando peccet contra conscientiam. Et dicit, quod si ipse credit, non licere plures habere praebendas, equidem peccat. Si vero non credit certe, sed remanet dubius propter contrarias opiniones, et tunc ait, quod operans casu dubio (scilicet practico), etiam peccat. Si autem ex contrariis opinionibus non remanet practice dubius, sed operatur cum dictamine certo de honestate actionis, tunc non peccat. En ejus verba: *Aut illa opinio magistrorum non est vera, sed magis contraria, quam ipse sequitur; ita quod vere licet habere plures praebendas. Et tunc distinguendum est: aut talis habet conscientiam de contrario, et sic item peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem. Aut non habet conscientiam de contrario, seu certitudinem* (in editione romana legitur *sed* certitudinem, at alii melius legunt *seu* certitudinem, aliter non bene connecterentur verba quae sequuntur); *sed tamen in quandam dubitationem inducitur a contrarietate opinionum: et sic si manente tali dubitatione plures praebendas habet, periculo se committit, et sic proculdubio peccat. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, et sic non committit se discrimini nec peccat.* Ex quo patet quidnam Angelicus voluerit sic docere; nimirum, quod si operans ageret cum dubio practico, nempe *manente dubitatione*, utique peccaret; non enim sufficit ad licite operandum solum judicium speculativum de probabilitate opinionis. Secus vero si addatur judicium practicum certum de usu licito illius opinionis, per quod honestas actio-

nis reddatur operanti moraliter certa, ut recte intelligenda sunt verba: *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, et sic non peccat.* Hoc commentum non est meum sed plurimorum sapientum, et praesertim doctissimi Christiani Lupi, qui tom. XI. part. 1. diss. 1. c. 12 sic explicat praefatum textum d. Thomae.

## §. VII.

***Solvitur objectio septima, nempe:***

***Quod sententia benigna est nova, et contra omnes antiquos theol.***

88. Dicunt adversarii, nostram sententiam fuisse inauditam usque ad tempus Bartholomaei Medinae, qui illam promulgavit. Sed hic sedulo est advertendum, quod antiqui locuti sunt de regula proxima ad operandum, nempe de ultimo dictamine conscientiae; et quidem dixerunt, ad licite operandum requiri certitudinem moralem de honestate actionis. Declarantes autem quaenam esset haec moralis certitudo necessaria et sufficiens, ad licite agendum, docuerunt sufficere rationabilem probabilitatem, quae licet non excluderet omnem oppositam probabilitatem sive formidinem, tamen hominem inclinaret ad eam amplectendam, formando sibi conscientiam tanquam de probabiliori parte. Non clare quidem explicarunt, an hoc dictamen formandum esset ex solis motivis directe probantibus veritatem rei, an vero etiam ex aliis directe probantibus honestatem actionis; sed quod locuti sint etiam de his ultimis quae respiciunt honestatem, patenter apparet ex eo quod ipsi semper agebant de formando conscientiae dictamine, quod utique maxime ex argumentis, diversis ab illis quibus probatur rei veritas, efformatur.

89. Et quod ita sit, audiatur in primis d. Antoninus qui scripsit ante annum 1450. *p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. v. Septima regula.* Ubi: *Cum bona conscientia potest quis tenere unam par-*

*tem alicujus opinionis, et secundum eam operari, dummodo ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam et credulitatem formet de eo quod credit, tamquam de probabiliori parte. Et praecipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum.* Nota 70, *formet tamquam de probabiliori parte,* ubi bene advertit Terillus, non dici de probabiliori parte, sed *tamquam* de probabiliori parte; ad denotandum, quod bene potest quis sequi opinionem minus probabilem circa veritatem rei, sed tamquam probabiliorem circa honestatem actionis, formando sibi conscientiam ex argumentis quae honestatem probent.

90. Pariter Armilla qui scripsit anno 1550. *verb. Opinio n. 2.* sic inquit: *Ad conscientiae securitatem non sufficit, quod sint qui doceant, partem minus tutam esse licitam, si operans ambiguus maneat, et dubitet; nec ullo modo directe aut indirecte formet bonam credulitatem de honestate operis.* Nota, *directe aut indirecte formet bonam credulitatem.* Hoc quid aliud denotat, nisi dictamen formatum, quod actio sit honesta vel ex rationibus id *directe* probantibus ex ipsa rei essentia, vel ex aliis quae indirecte id probant, puta quia lex est dubia, vel non ut certa intimata, etc? Alias peterem ab adversariis, quid significet illud *indirecte.*

Item Joannes Gerson, qui floruit ante annum 1420. *(in tract. de pollut. noct.)* afferens regulam, quod non licet agere cum dubio, dicit hoc intelligi *de dubio tali, quod est vehemens, et magis aut saltem aeque inducit mentem credere quod est mortaliter illicitum; secus ubi mens plus inclinatur ac judicat, quod sit licitum.* Unde patenter hic auctor loquitur de dictamine practico ad determinandum, an actio aliqua sit hic et nunc licita, vel ne; loquitur enim de licito non de vero. Et in hoc dicit sufficere, quod mens plus inclinetur ad judicandum quod sit licita.

91. Item Sylvester qui floruit anno 1500, quamvis, *V. dubium q. 2.* videatur requirere opinionem probabiliorem de veritate rei, dum ait, tunc licere sequi opinionem minus tutam,

quando illa est probabilior, esto non notabiliter: *si tamen*, addit, *probabilitas hinc inde esset aequalis, tutior eligenda, quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis.* Veruntamen cum auctor dicat, tunc peccare qui eligit opinionem aeque probabilem, *quando ex ejus electione imminet periculum peccati mortalis sive formalis*, bene intelligi potest loqui de eo, qui haeret, nec aliunde format sibi conscientiam probabiliorem de honestate actionis; nequit enim intelligi loqui de periculo peccati materialis, cum certe hoc non vitetur, quando eligitur opinio minus tuta paulo probabilior, quod certe Sylvester admittit licere. Ceterum idem auctor, *V. scrupulus*, quaerit: *Quomodo se debeat habere scrupulosus in eligenda opinione, ubi dd. variant. Et dico secundum Archiepiscopum quod tuta conscientia potest quis eligere unam opinionem, et secundum eam operari, si habeat notabiles doctores, et non sit expresse contra determinationem Scripturae vel Ecclesiae; nec sit scandalum, nec conscientia perplexa; praecipue si quis adhibuit diligentiam in quaerendo an liceat. Unde etiam Ulericus dicit in Summa, quod consulens peritiores in dubio, de quo non habet expressam auctoritatem, utrum ita sit, modo formet sibi conscientiam bonam, excusatur, etiamsi sequatur consilium falsum, quia fecit quod potuit.* Ergo ex Sylvestro sufficit, ubi dd. variant, eligere post adhibitam diligentiam in dubio unam opinionem et secundum eam operari, si illa habeat notabiles fautores, et non sit expresse contra determinationem Scripturae vel Ecclesiae; modo homo non haereat perplexus, sed formet sibi conscientiam de honestate actionis: quia tunc juxta sensum Sylvestri, ignorantia, cum sit invincibilis, non imputatur ad culpam.

92. Clarius loquitur Jo. Nyder qui floruit anno 1430. *In consolat. an. tim. p... c...* ubi: *Cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, quae habeat pro se notabiles dd. dummodo talis opinio non sit contra expressam auctoritatem Sacrae Scripturae, vel Ecclesiae; et dummodo ex contrarietate opinionum non inducatur quis ad dubitandum, sed conscientiam sibi formet de probabiliori parte, quando adhibet*

*diligentiam et non invenit aliquid quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum.* Ergo cum quis, pensatis omnibus, sibi format conscientiam tanquam de probabiliori parte, quod actio non sit illicita, bene potest, probabilem sequi opinionem. Et revera idem auctor c. 13. sic ait: *inter contrarietatem opinionum eligens unam partem, tunc videtur securus in conscientia, quando opinio illa non est evidenter contra s. Scripturam, vel determinationem Ecclesiae; modo sciat per se, vel per alium cui credit, probabiliter rationes contrarias solvere, quas videt alios prudentes eas contemnere et abjicere; sed contentus esse debet certitudine morali, et pro posse formare bonam conscientiam in illa opinione, atque ita habere animum dispositum, ut paratus sit obedire Ecclesiae, si contrarium determinaverit, quando veritas* (nota) *sufficienter innotuerit.* Ergo, licet veritas a me non sit cognita, quousque tamen illa mihi non innotuerit, bene possum operari juxta probabilem opinionem. Et quod hoc intelligat Nyder, expresse declarat, confirmando hic principium traditum a Jo. de Cambaco, Willelmo, s. Antonino, et aliis, nempe illud: *Inter duram et benignam de praecepto sententiam, benigna est ceteris paribus interpretatio facienda.* Atque in cap. 20. addit, quod tale principium valet *tanto magis circa divina praecepta quanto Deus rationabilior est magisque benignus, quam quisque alius legislator.* Ergo quando hic auctor dicit eligendam partem probabiliorem, intelligit de probabilitate qua formatur dictamen conscientiae, quod ipse vocat moralem certitudinem. Idque magis patet ex eo quod subdit ex Bernardo Claramontensi; nam loquens de probabilitate circa veritatem rei, nullam exigit praeponderantiam, sed censet, in opinionibus dubiis sufficere amplecti quamcumque a Doctoribus approbatam: *Ex quo enim,* ait, *opiniones sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit alteram partem, teneat* (nota) *quam voluerit, dummodo judicium in hoc resideat, propter dicta eorum, saltem quos reputat peritos.* Plus non dicunt probabilistae. Et sic pari vel fere pari modo loquuntur alii antiqui, qui aut loquuntur de dubio practico, cum quo non licet operari; vel de ultimo dictamine conscientiae

quod ex rationibus probabilioribus recte quisque sibi format circa honestatem actionis.

93. Ubi vero antiqui dd. egerunt de opinione quae directe respicit veritatem rei, non aliud exegerunt ad licite operandum, quam opinionem simpliciter probabilem, nempe quae gravi ratione vel auctoritate nitatur. Audiamus primo loco doctissimum Dominicum Soto, quem adversarii pro se citant, sed an merito, mox videbimus. Hic auctor in lib. 3. de just. q. 6. a. 5. ad 4. ait, *quod in speculabilibus non oportet sequi probabiliora, in practicis vero* (dicit), *quia aliena jura respiciunt, nefas est judici infirmiorempartem sectari, sicut et medico in practica ex qua salus pendet infirmi, et multo magis theologo in his quae sunt fidei.* Ex hoc loco contrarii inferunt, Sotum secum esse quoad omnes opiniones quae ad mores pertinent; sed perperam; nam Sotus expresse hic loquitur de illis opinionibus practicis, quae *aliena jura respiciunt*, nempe ubi agitur de non laedendo per usum opinionis probabilis jura proximi certa, ut exemplificat in judice, medico et in theologo in his quae sunt, non morum, sed fidei. E converso ubi agit auctor de opinionibus quae non respiciunt jura certa aliena, aut fidem, expresse docet licere sequi quamcumque opinionem, modo sit probabilis. Hinc *in libro 6. de eod. tract. q. 1. a. 6. circa fin.* sic ait: *Sed rogas, numquid non esset Ecclesiae conducens, ut casus omnes de quibus dimicatur, sintne usurarii, Ecclesiae auctoritate definirentur? Apparet enim hoc ad salutem animarum necessarium. Respondetur minime id expedire, ut tamquam de fide definirentur si tales sunt qui nonnisi ex mera philosophia perpendi debeant; quoniam Spiritus Sanctus non curat Ecclesiae nisi Scripturam Sacram exponere et leges necessarias sancire.* Ac deinde statim subdit: *Et quando sunt opiniones probabiles inter graves doctores, utramque sequaris, in tuto habes conscientiam.* Item *in 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad 5.* dicit; *Postquam opinio poenitentis est probabilis* (nota) *excusat eum a culpa: et ideo jus habet absolutionem petendi quam ideo plebanus tenetur impendere.* Ex his

merito igitur miratur Terillus, quomodo Mercorus adducere potuisset Sotum pro sua sententia.

94. Item S. Antoninus plurima quidem tradit, quae benignae sententiae tantum congruunt ac favent. In *p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. reg. 7.* ait: *In foro conscientiae circa praecepta et humana et divina, dico, quod pertinet ad quemlibet* (interpretari) *pro facto suo, si tamen rationabiliter interpretatur.* Item *ibid. doctrina 1.* addit: *Inter duram et benignam circa praecepta sententiam, quod benigna est potius ceteris paribus interpretatio facienda; quia praecepta Dei et Ecclesiae non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, qualis certe tollitur, quando nimis scrupulose et timide praecepta interpretantur.* Et merito hoc dicit, quia multo durius est observare praecepta dubia, quam certa. Item deinde: *ex responsis quae videntur data ab Alberto Magno habetur, quod quilibet potest sequi quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus doctoris magni opinionem sequatur.* Idque dicunt etiam Panormitanus, Nyder, Sylvester et Angelus. Idem S. Antoninus plura alia affert quae supra jam retulimus, et quae nostram sententiam adjuvant; ac praesertim illud (*in p. 2. tit. 1. c. 11. §. 28.*): *Et si diceretur, hic esse usuram, respondetur, usuram esse contra praecepta decalogi, verum est reductive; sed hunc contractum esse usurarium non est clarum* (Ecce tota ratio contractum ineundi) *cum sapientes contraria sibi invicem in hujusmodi sentiant.* Et inferius id expressius confirmat dicendo: *Non enim emere praedicta jura est exponere se periculo, sed cum ista conditione, scil. dubitando ibi esse mortale, sumendo proprie dubium cum scilicet non magis declinat ad unam quam ad aliam secundum rationem* (hoc est haeret nullique parti praestat assensum). *Sed qui emit praedicta jura, potest non dubitare de hoc, sed opinari licitum esse* (nota hic, cuinam rationi, quam mox subdit, innixus possit quis aliquam opinionem amplecti) *ex quo per Ecclesiam non est determinatum contrarium et multi sapientes* (aliis contradicentibus ut supra) *licitum asseverent.*

95. S. Bernardinus Senensis (*to. 1. fer. 2. post dom. quinq.*

*serm. 3. art. 2. c. 1. in fine*) inquit: *secundum Scotum et Hostiensem, quando sunt diversa jura, et opiniones, quae tamen non sunt contra Deum, et bonos mores, ceteris paribus humanior praeferenda est.*

96. Cardinalis Hostiensis *in cap. si vir de cognat. spirit.* postquam dixit; *ubi sunt diversae opiniones, et jura, semper humanior est praeferenda, idest rationabilior et aequior:* addidit: *istud etiam tibi trado pro regula, quod ubicumque magistri per suas glossas solverunt matrimonium, nec jus expressum inducunt, si invenias contrarium scribentem, ei adhaereas.* Itaque, esto adsint plures doctores dicentes matrimonium esse nullum, potest quis adhaerere uni contrarium scribenti, si illi alii dd. jus expressum non afferant.

97. Navarrus affertur ab adversariis pro se, et revera videtur cum ipsis sentire *in cap. Si quis autem de poenit. dist. 7. num. 57 et 59.* Sed revera ibi loquitur de operante cum dubio practico, juxta doctrinam d. Thomae *in Quodl. 8. a. 3.*, ut citat (quam jam expendimus n. 86.); ac proinde merito dicit peccare qui facit aliquid non certo credens immune esse a peccato formali. Ceterum *in manuali cap. 27. n. 286. v. Quinto* videtur expresse admittere usum opinionis simpliciter probabilis, cum dicat: *ad honeste operandum sufficere illam opinionem quae pluribus fundamentis et rationibus nititur, quamvis satis apte solvi queant.* Quippe rationes quae satis *apte solvi queant* non sunt quidem probabiliores, et tanto minus sunt notabiliter probabiliores. Item. *num. seq.* addit: *Sexto cessantibus praedictis* (licet sequi opinionem), *quae benignior aut favorabilior fuerit, qualis est quae juramento favet, et quae matrimonio, doti, testamento aut libertati.* Item *num. 228* ait: *In foro conscientiae ad effectum non peccandi sufficit eligere pro vera opinionem ejus, quem merito censemus esse virum idonea ad id scientia et conscientia praeditum.* Illud eligere *pro vera* quomodo intelligendum sit jam explicavimus num. 68.

98. Panormitanus explicans verba Glossae in *cap. Capellanus de fer. v. alii vero* ubi, *in his vero quae ad solemnitatem*

*spectant, diversa tenere non est peccatum,* sic ait: *Notandum ex hac glossa, quod non peccat non servans jus praecepti, ubi sunt varie optiones, licet postea appareat, contrariam fuisse veram.*

99. Pelbartus: *Nec tenetur homo semper in diversitate opinionum eligere tutiorem, quia opinio est tuta cum habet pro se doctorem satis acceptum.*

100. Wilhelmus Glossator Raymundi (ap. Nyder, de sent. praec. c. 24.): *In capitibus juris, ubi dubitant etiam sapientes, excusabilis est ignorantia; unde si aliquis bona fida partem illam vel illam elegerit, non debet super hoc conscientiam habere nimis scrupulosam.* Idque est etiam secundum Innoc. IV. qui in *c. Per tuas. 2. de simon.* dicit: *Non peccat mortaliter qui sequitur intellectum alicujus gravis auctoris, etiamsi erret, dummodo error versetur circa subtilitatem legum,* idest ubi lex non est manifesta. Prosequitur Nyder: *Item idem Wilhelmus in materia de decimis recitans duas opiniones, dicit, quod illa prima opinio, scilicet quod antiquas decimas sine peccato in feudis retinere possint laici, benignior est et ideo magis amplectenda.* Idem *(l. 2. de Duello. v. Non peccare): Propter hoc credo, quod haec opinio potius tenenda est, cum ratione non careat, et sit benignior.* Idem Nyder (in consolat. p. 3. c. 12.) dicit: *Goffridus dicit quando confitentis opinio non procedit ex protervia, sed ex probabili ratione, debet eum confessor absolvere, nisi peccatum esset certum.* Addit: *Concordat etiam Bernardus claramontensis dicens: Ex quo enim opiniones sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit, teneat quam voluerit, dummodo judicium in hoc resideat, propter dicta eorum, saltem quos reputat peritos.*

101. Richardus (in 4. dist. 15. a. 5. q. 8.) *Communis opinio quae est securior tenet, quod eo modo quo ludus taxillorum est prohibitus, homo tenetur ad restituendum lucratum; quia tamen, ut aliquibus probabiliter videtur, talis restitutio non est praecepta per jus civile, non videtur quod ad hanc restitutionem sint obligati,* non obstante quod opinio contraria tutior communis es-

set, ut Richardus ibidem testatur. Item Immola *(vol. 2. cons. 1.); Dato quod circa hoc variae essent opiniones, tamen servans unam non peccaret.* Jason in *l. Admonendi de jurejur: Qui facit contra praeceptum habens plures sensus, in quo sunt variae opiniones theologorum, non peccat.* Viguerius qui scripsit ante Medinam *(Inst. theol. cap. 51. §. 1. num. 2.): In dubiis sequens opinionem alicujus magistri est excusatus a peccato quod valde notandum est ad sedandos scrupulos.* Corduba, licet afferatur in contrarium *in lib. 2. de ignor. q. 3.* cum ibi dicat, inter sententias aeque probabiles tenendam esse tutiorem, tamen (ut bene advertit Terillus q. 22. num. 68.) ex contextibus, quos ibi affert, clare intelligit loqui de haerente inter opiniones illas; nam secus ait de eo qui ex judicio practico format sibi conscientiam de alterutra opinione tanquam probabiliori circa honestatem actionis. Et revera loquens de probabilitate circa veritatem rei, idem sentit quod alii antiqui dicunt, inquiens: *Si quis illius sit animi quod nullo modo vellet operari contra legem, si sciret, et sequatur in dubio contractuum opinionem alicujus doctoris, dato quod illud quod facit sit malum, non peccat.* Et Martinus de Prado, qui non contemnitur quidem ab adversariis sicut alii probabilistae *(tom. 1. de consc. q. 3. n. 2.)* testatur, sententiam quod liceat inter aeque probabiles sequi alterutram, semper fuisse communem dicens: *Quoties opiniones oppositae sunt aeque probabiles practice* (prout sunt ut plurimum opiniones quae solida hinc inde probabilitate pollent) *licitum est, per se loquendo, quodlibet sequi: fuit semper* (nota) *haec conclusio communis.* Ex his omnibus igitur doctorum textibus allatis concluditur, non immerito asseruisse Vasquez, sententiam benignam ante Medinam communem fuisse in scholis.

## §. VIII.

***Solvitur objectio octava, nempe:***
***Quod sententia benigna est implicite damnata per plures propositiones ab Innocentio XI. proscriptas.***

102. Ultimo objiciunt, quod a probabilismo ortae sunt postmodum tot opiniones laxae et propositiones damnatae, inter quas proditae sunt primae quatuor illae proscriptae ab Innoc. XI. per quas saltem implicite damnatus videtur probabilismus, tanquam modus opinandi alienus ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, ut ait Alexander VII. in sua Bulla damnationis. Ita passim exclamant adversarii, plura in unum cum magno apparatu congerentes, sed unumquodque gratis sine ullo fundamento asserentes.

103. Respondemus: multum differunt a laxis opiniones benignae, quae sunt graviter probabiles. Si quaevis opinio probabilis benigna, sive libertati favens, appellanda esset laxa, eo quod falsa esse potest, hac ratione etiam opinio probabilior pro libertate laxa dici deberet, dum etiam probabilior potest esse falsa. Sed revera opinio laxa illa tantum est dicenda, quae gravi caret fundamento; ideo repugnat asserere, aliquam opinionem esse simul gravi motivo innixam et simul esse laxam. Porro hinc vanum est dicere, quod ex opinionibus benignis mores relaxantur; non enim ex usu benignarum opinionum, sed laxarum et improbabilium corruptio morum vere derivatur. Nec verum est, quod a probabilismo ortum habuerunt tot opiniones damnatae, cum istae jam ante damnationem ab ipsis probabilistis cernantur fere communiter rejectae; sed verius derivatae sunt ab humanarum mentium imbecillitate, ob quam etiam probabilioristae falli possunt. Et de facto quoties ipsi plurimas sententias improbabiles docuerunt? Qua de re omnino falsum est consequenter dicere, quod usus opinionum probabi-

lium sit ille *modus opinandi*, appellatus a Pontifice *alienus ab evangelica simplicitate*. Nam si Pontifex judicasset Probabilismum esse infaustum fontem opinionum laxarum, quomodo non illud primo loco damnasset? Cur tanta ejus cura ad rivulos exsiccandos et non fontem? Revera igitur Alexander VII. ibi questus est non jam de justo modo opinandi cum gravi fundamento, sed de modo incauto et imprudenti, orto ex *summa licentia luxuriantium ingeniorum*, ut loquitur decretum; et ideo Papa opiniones illas damnavit. quia nulla gravi ratione nitebantur. Et revera cur Pontifex tam sedula discussione voluit ut aliquae propositiones (quae mox afferentur) examinarentur an essent vere probabiles, uti a suis patronis propugnabantur, nisi ut si in discussione reperiebantur satis probabiles, intactae relinquerentur? Et quoad modum opinandi, ille tantum modus deinde vetitus est ab Innocentio XI., qui per tenuem probabilitatem, aut per simplicem dictum cujusque auctoris moderni permitteret operari. Quibus propositionibus duntaxat proscriptis potius videtur Papa approbasse, quam interdixisse modum opinandi cum gravi fundamento, licet oppositum esset probabilius, prout communiter tunc temporis ab auctoribus docebatur; exceptio enim firmat regulam. Praeterea, hic modus opinandi per licentiam luxuriantis ingenii non solum apud probabilistas invenitur, sed etiam apud probabilioristas, quia ut plurimum forte aa. propositionum damnatarum non solum illas defenderunt uti probabiles, sed etiam ut probabiliores. Tandem notandum, quod Innocentius XI. in pluribus propositionibus damnavit posse eas teneri tamquam probabiles, prout dicebat propositio 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.* Item propositio 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.* Item propositio 57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Si ergo Papa ideo has propositiones damnavit quia uti probabiles afferebantur, supposuit igitur, quod si revera pro-

babiles fuissent, non eran damnabiles, sed potius in usum deducibiles.

104. Sed videamus quid dicebatur in quatuor primis propositionibus ab Innocentio proscriptis, quibus dicunt adversarii usum probabilium fuisse tacite interdictum, non obstante quod videant has easdem propositiones fuisse ante damnationem reprobatas, aut saltem exceptas a nostris auctoribus. Propositio I. dicebat: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore etc.* Hinc arguunt et dicunt: cur in sacramentis conferendis tantum non possumus uti opinione probabili, et possumus in aliis? Num reverentia quae debetur sacramentis, non debetur etiam praeceptis divinis? Sed respondeo 1. retorquendo argumentum, si praecepta eamdem requirunt reverentiam quam sacramenta, cur Ecclesia usum probabilitatis interdixit tantum in sacramentis et non in aliis? Deinde respondeo, quod juxta damnationem praefatae propositionis illicitus est usus non tantum opinionis probabilis sed etiam probabilioris, ut supra diximus (quidquid aliter proferat Natalis Alexander); et ratio est, quia in sacramentis conferendis certa adest lex qua prohibemur sequi opinionem probabiliter dubiam, sed uti omnino debemus sententia tuta pro valore sacramenti, vel saltem moraliter certa, quae etiam tuta est, ut vitetur periculum vel frustrationis sacramenti, quae (ut plurimi dicunt) est gravis laesio reverentiae specialis sacramentis debitae; vel ut vitetur periculum damni sacramenta suscipientium, ut forte probabilius alii sentiunt cum Vasquez, Sanchez, Perez, Salonio et aliis. Certum enim est, non esse licitum usum opinionis probabilis, ut omnes probabilistae conveniunt, ubi est periculum damni alieni quando opinio versatur circa substantiam rei, v. g. an suscipiens recipiat sacramentum vel non; vel an medicina prosit aut noceat aegroto. Secus autem quando opinio versatur circa modum rei, nempe an actio sit honesta vel non: ratio, quia opinio quantumvis probabilis non potest efficere, ut sit sacramentum quod non est sacramentum, vel ut sit medicina quae est potius venenum. Sed contra in aliis materiis,

ubi non agitur de substantia rei solida, probabilitas bene efficit ut actio sit honesta, posito quod lex prohibens probabiliter non existit, vel satis manifeste non est proposita, ut dictum est cap. I. §. I. et II. Procedamus ad alias propositiones.

105. Propositio II. dicebat: *Existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Si ergo judex (dicunt) non potest judicare secundum minus probabilem, nec potest confessarius, quem nemo negat in tribunali poenitentiae judicem esse constitutum. Resp. eodem modo: ideo judex nequit judicare ex minus probabili, quia lex certa existit tum humana, tum divina, ut ipse unicuique jus suum tribuat; necesse enim erat ad bonum publicum, rixasque vitandas, ut judicibus potestas jurisdictionis conferretur, qua secundum jura validiora partium ipsi dominium bonorum eis tribuerent, ubi pro aliqua ipsarum non staret possessio; nam alias doctores docent, quod judex non potest in causa criminali reum damnare, etsi probabilius sit eum deliquisse, nisi reus sit de crimine convictus; imo etiam in causa civili dicunt nec posse judicem expoliare reum, qui legitime rem possidet, nisi actor pro se afferat rationes convincentes, ut tenent Croix *l. 4. n. 1485.* cum Filguera etc. ac Cardenas *in prop. 2. Inn. XI. d. 3. c. 4. n. 33. et 39.* Quia tunc judex, jus dicendo pro reo, non quidem judicaret secundum opinionem minus probabilem, sed secundum probabiliorem, imo et certam de jure, nempe quod legitima possessio dat jus certum reo retinendi rem, donec constet de jure actoris, ut late probat Carden. *p. 1. in Crisi d. 16. c. 8.* legibus expressis, auctoritate dd. communissima et claris argumentis. Pro confessariis autem nullibi habetur talis lex sequendi probabiliora. Verum est quod confessarii in Sacramento Poenitentiae sunt judices, sed nonnisi super peccatis commissis ut de eorum gravitate judicent debitamque poenam imponant, et super dispositione poenitentium ut absolutionem eis impertiantur si sint dispositi, et negent si indispositi, puta si illi aliquam certam obligationem adimplere nolint. Haec tantum ad confessarium pertinent quoad officium judicis. Quoad officium vero

doctoris, ad ipsum etiam pertinet instruere poenitentes de rebus necessariis ad salutem circa fidem, et de obligationibus certis circa mores. Circa autem opiniones probabiles nihil ad eum spectat, ut teneatur definire quae inter probabilia sint vera, modo poenitens sit in bona conscientia. Hac lege tantum confessarii ligantur et hanc solam potestatem habent. Ceterum nec tenentur nec possunt obstringere poenitentes, ut probabiliora sequantur; quinimo semper ac eos dispositos inveniunt, tenentur utique rigoroso jure absolvere. Nequimus autem intelligere quomodo possit confessarius judicare poenitentem indispositum, eique absolutionem denegare (ut adversarii dicunt), quando ille velit sequi aliquam opinionem graviter probabilem, relicta probabiliori; cum ipse ex una parte jus habeat certum ad absolutionem obtinendam ratione confessionis peractae, ut tenet communis sententia cum Suarez 3. p. de poen. D. 32. S. 5. n. 4.cum s. Anton. Nav. etc: Lugo de poenit. d.. 22 n. 39. Sanchez l. 1. in dec. c. 9. n. 28. Croix l. 1. n. 445. et Salm. de poen. c. 12. n. 44. cum Soto, Vasq., Azor, Salas, Vict. Salon., Valent., Rodrig. et aliis innumeris. Et ex alia parte per sententiam saltem communiorem doctorum, hujusmodi poenitens rite dispositus existimatur.

Hinc argumentum judicis retorquemus et dicimus: si judex nequit reum damnare, nisi convictum de crimine, quia non potest ex delicto incerto poenam certam imponere; pariter non poterit confessarius damnare poenitentem tamquam reum peccati et indispositum, ubi obligatio est incerta, imo ubi rationem ille probabilem habet, quod ab ea non ligetur. Ergo, instant, judex stare debet judicio rei? Resp. Minime, tunc enim non est quod confessarius censeat veram opinionem poenitentis, sed tantum judicat illam a poenitente ut tutam teneri, ita ut jam ipsum credat dispositum; quo casu non potest quidem ei denegare absolutionem, modo non judicet opinionem poenitentis evidenter improbabilem et falsam: Nam sicut ad theologum spectat judicare de veritate, sive de majori probabilitate opinionum, ad confessarium non pertinet nisi judicare de dispositione poenitentis, ut eum absolvere vel dimittere teneatur.

106. Ideo plures ex ipsis probabilioristis ex hac convincenti ratione fatentur, non posse confessarium negare absolutionem poenitenti sequi volenti opinionem probabilem, quam ille putat tute posse sequi.

Pontassus rigidae fautor sententiae (v. Confessarius. c. 2.) sic loquitur: *Fatendum tamen, quod si confessario persuasum foret, opinionem sui poenitentis esse probabilem tum ei absolutionem posset impertiri, quandoquidem tunc contra conscientiam suam non ageret.* Idem tenet Cabassutius *theor. jur. l. 3. c. 13. n. 13.*, dicens: *Quivis confessarius absolvere debet eum poenitentem qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem piorum et doctorum aliquot hominum non reprobatam in Ecclesia auctoritatem est licitum, quamvis juxta probabilem aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur confessarius, habeatur minus probabilis, ut ostendunt Navar. Silvius, etc.* Et rationem dat, quia, *esto confessarius agat contra propriam opinionem, non tamen contra propriam conscientiam, cum teneatur absolvere dispositum.* Item Victoria, qui scripsit ante annum 1545. *(de confess. n. 109.)* sic ait: *Sed quid facit confessarius quando ambae opiniones sunt probabiles, et habent suos proprios assertores? Respondeo, sive sit ejus proprius sacerdos, sive non, tenetur eum absolvere in tali casu; ita Paludan. 4. Dist. 17. q. 2. a. 1. et Goffr. Quodl. 9. Probatur aperte, talis enim est in gratia, et confessor habet probabilitatem quod sit in gratia, quia scit esse probabilem ejus opinionem; ergo non debet ei negare absolutionem. Ergo sufficit probabilitas, etsi non sit major, et etiamsi sit minor.* Hucusque Victoria. Item Adrianus pariter *(de confess. q. 5. dub. 7).* sic dicit: *Si a pluribus doctoribus gravioris seu etiam aequalis auctoritatis contrarium teneatur, non debet adeo de se praesumere sacerdos, ut totum velit in suam opinionem (quae forsitan erronea est) coarctare.* Idem dixit Navarrus *(Manuale c. 26. n. 4.): Si sint contrariae doctorum opiniones, et confessarius credit evidenti se textu vel ratione niti, poenitentem autem dubia, non debet eum absolvere; at si poenitens utitur pari ratione vel*

*fere pari, et habet pro se aliquem doctorem clarum, poterit eum absolvere. Addit postea: Cum dubitatur, an poenitens hoc facere aut dare debeat, benigniorem opinionem confessarius eligere debet.* Et citat Angelum et Sylvestrum.

107. Non negandum cum Croix *l. 6. p. 2. n. 1737.* quod si poenitens ostendat se paratum ad sequendum id quod est probabilius, vel etiam tutius, tenetur confessarius, per se loquendo, eum dirigere secundum opiniones probabiliores, imo et tutiores; quia cum id sit majoris perfectionis, tenetur confessarius incumbere majori profectui sui poenitentis. Spectat autem ad prudentiam confessarii videre, utrum benignae an rigidae sententiae usus sit profuturus suo poenitenti; licet enim usus benignae sententiae nullum morale periculum peccandi involvat, tamen non est omnibus indiscriminatim suadendus. Praesertim dico, quod ubi opinio probabilis magis inducit hominem in periculum peccati formalis, omnino tunc suadenda est opinio tutior; imo censeo ad eam suadendam praecipue teneri confessarium, cujus est tamquam medici tutiorem pro suo poenitente curam adhibere. Et universe, per se loquendo, omnes quidem debemus usum opinionum tutiorum inculcare, sicut et consiliorum; ad ea enim quae perfectioni repugnant, non possumus sine culpa alios inducere. Verumtamen sicut usus consiliorum suadendus est, non imperandus, ita et usus sententiarum tutiorum. Imo aliquando sicut usum consiliorum justis de causis dissuademus, prout alicui facile in turpia relabenti, de matrimonio consilium damus: ita alicui qui praevidetur ex usu cujusdam opinionis tutioris constitui in facili periculo peccati formalis, recte suadebitur usus sententiae minus probabilis, qui illius saluti magis expedit: *Licet sit tutius* (ait Sylvester *v. Confessio) statim habita commoditate confiteri, quam differre, non tamen tutius est tenere quod sic obligemus, quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi.* Hinc ait Gerson *(de vita spir. p. 3. lect. 4. coll. 10): Fit ut per tales assertiones publicas, nimis duras et strictas, praesertim in non certissimis* (nota) *nequaquam eruantur homines a luto*

*peccatorum sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur. Demum quid prodest, imo quid non obest coarctare plus justo mandatum Dei, quod est latum nimis? Quid expedit gravius reddere Christi jugum quod suave est?*

Idcirco in praxi confessarius potius debet esse benignus quam rigidus cum poenitentibus; etenim S. Gregorius Naz. Orat. 26. hortatur sacerdotes, ut cum poenitentibus leniter agant ex illo Apostoli *ad Gal. 6: instruite in spiritu lenitatis.* S. Bernardus (Serm. de S. Andr.) loquens de confessario dicit: *Habeat in voluntate compati et liberare cum et nitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini sui.* Addit, *serm. 42. in Cantic.*: *Mallem aliquando tacuisse et dissimulasse quod perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.* S. Odilo abb. (apud Ribaden. *p. 2. die 1. jan.)* reprehensus de nimia benignitate ab aliquibus in admniistrando sacramento poenitentiae, respondit: *Etiamsi damnandus sim, malo tamen de divina misericordia, quam ex duritia damnari.* B. Humbertus Dominicanorum generalis *(in Gloss. Prol. Const. Ord. lit. I)* dixit salutem animarum impediri pluries per nimiam austeritatem in opinionibus: *Terrentur enim addit homines ex hoc in tantum, ut salutem negligant; idcirco relaxanda est quantum fieri potest rigiditas et austeritas et agendum benigne, quia sic melius trahuntur ad salutem, cum sententiae mitiores tenentur.*

Item S. Antonin. p. 3. tit. 13. c. 1 §. 7. dicens ibi attentionem internam non necessario requiri ad satisfaciendum horis canonicis, hanc rationem adducit: *Hunc intellectum tenens, quia benignior est, et quia non debet Ecclesia laqueum injicere.* Atque *p. 3. tit. 2. de decimis §. 6.* disserens an peccent milites per consuetudinem exigentes decimas, dicit opinionem benigniorem removere a periculo peccandi, *et ideo* (addit) *ad vitandum animae periculum expresse est amplectenda.* Ac propterea Francolinus (*de discipl. poenit. l. 3.*) refert praefatum s. Antoninum atque s. Raymundum, s. Nicolaum Tolentinum, s. Joannem Capistranum etc. fuisse benignissimos in administratione sacramenti poe-

nitentiae. Unde immerito et non sine charitatis defectu, aliqui dixerunt quod auctores qui in quasdam laxas opiniones inciderunt, plausus ambitione ducti id fecerint: cur aequius non debemus dicere, quod ipsi desiderio salutis animarum impulsi in eas devenerint, ut illas a periculo peccatorum averterent, tutiusque ducerent ad portum salutis?

108. Propositio III dicebat: *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus semper prudenter agimus.* Dicunt adversarii: quaenam est haec opinio tenuiter probabilis damnata, quae non exit a finibus probabilitatis, nisi opinio minus probabilis in concursu probabilioris? Ergo in hac propositione, arguunt, aequivalenter interdictus est usus opinionis minus probabilis.

109. Sed antequam respondeam, rogo, ad quid haec tam obscura circumductio, cum potuisset Pontifex tam facile aequivoca de medio tollere, damnando signanter propositionem, quae in auctoribus jam tunc temporis inveniebatur expressa, scil. quod liceat sequi probabilem, relicta probabiliori? At revera Pontifex minime nostram sententiam damnare aut infirmare voluit, sed potius damnatione illâ eam roboravit; quia proscribendo usum opinionis tenuiter probabilis, verius approbavit usum opinionis solide probabilis. Hinc respondemus I. quod merito praefata propositio damnata fuit, cum generatim licitum faceret usum opinionis probabilis, quando certum est quod est illicitus in sacramentis conferendis, in pharmacis praebendis, in sententiis proferendis etc. Resp. II. quod auctores praedictae propositionis immerito volebant (ut colligitur), quod opinio quantumvis tenuiter probabilis adhuc haberet probabilitatem sufficientem ad operandum. Hoc enim sane falsum est, nam ad prudenter agendum omnino requiritur, ut opinio qua utimur, sit solide probabilis, idest gravi fundamento munita. Quapropter sicut homo tenuium virium nequit dici robustus, ita tenuis probabilitas dici gravis et vera. Praeterea, esto aliquis intelligat hanc opinionem tenuiter probabilem adhuc gravem probabili-

tatem attingere, etsi in infimo probabilitatis gradu, quia tamen hic infimus gradus est valde obscurus et dubius, ideo qui hanc opinionem sequeretur, non haberet ad operandum sufficientem securitatem, sicut contra bene habet qui utitur opinione certe gravi et absolute probabili.

110. Propositio IV. demum dicebat: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Dicunt igitur cur in materia fidei probabiliorem opinionem sequi tenemur et non in praeceptis divinis? Fortene opera bona non sunt etiam, ut fides, necessaria ad salutem? Sed breviter respondeo I. Falsum est suppositum, quod qui habet opinionem probabiliorem, quod nostra religio sit unice vera possit unquam habere opinionem solide probabilem de suae sectae veritate. Resp. II. Jam supra declaratum est quod ubi agitur de rebus necessariis necessitate medii ad salutem, non solum prohibemur uti opinione minus probabili sed etiam probabiliori et probabilissima quia in his omnino tenemur sequi non solum probabiliorem sed etiam tutiorem. Et quae res magis necessaria ad salutem quam professio nostrae catholicae fidei, quae inter sua dogmata docet eam esse unice veram? Unde cuique patet lex divina obligans ad complectendam religionem quae tutior est. Tanto magis, quia infidelis, licet sua secta appareret ei probabilior, si debitam diligentiam adhibebit, lumenque necessarium convenienter a Deo postulabit, profecto nostrae verae religionis certam obtinebit notitiam, qua nixus et divino lumine adjutus deinde assensum verae fidei praestabit. Cur autem opinio probabilis sicut in aliis materiis non sufficiat in materia fidei, ratio specialissima est, quia in illis aliis, si forte opinio probabilis invenitur a parte rei, aliena a veritate, secundum eam operari nullum erit praejudicium, nam peccatum materiale etiamsi adsit, ad culpam (ut diximus) non imputatur; in materia autem fidei, si opinio probabilis falsa fuerit, qui eam contra veritatem sectatur, extra salutis viam incedet necessario damnandus; sicque ob tale periculum salutis peccat sine dubio qui illam sequitur.

111. Ex his omnibus infertur, quod si Ecclesia prohibuit, posse sequi opinionem probabilem in materia fidei, sacramentorum, judiciorum etc. et proscripsit usum opinionis tenuiter probabilis; ergo de facto non obscure declaravit, usum opinionis graviter probabilis licitum quidem esse in aliis materiis. Dices: Ecclesia illum tolerat, non approbat. Sed contra hoc valent ea quae sub initium attulimus, n. 10, et praesertim id quod dicit S. Augustinus (*ep. 119*) ubi: *Ecclesia Dei multa tolerat, et tamen quae contra fidem sunt vel bonam vitam, nec approbat nec tacet.* Valet etiam id quod ait S. Thomas *Quodl. 3. a. 15.* dicens: *Illud quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum. Sed Ecclesia sustinet, ut aliqui communiter habeant duas praebendas; ergo in hoc non est periculum peccati mortalis.* At quid magis vergeret in commune periculum animarum, quam libertas sequendi opiniones minus probabiles, si hoc a divina lege esset prohibitum, et Ecclesia toleraret?

## CAPUT QUARTUM

### *De probabilitate extrinseca*

112. Rigidae sententiae sectatores videntur omnino objicere [1] probabilitatem extrinsecam, scilicet quae fundatur in auctoritate dd. nisi ratio persuadeat. Et hinc provenit, ut non raro isti quasdam opiniones libertati faventes probabiliores dicant, quas forte nostri auctores nec etiam probabiles appellare audent. Ratio est, quia qui probabilioristarum nomen praeseferunt, nihil facientes doctorum auctoritates, et omnino audacterque deferentes solo proprio judicio, istud unicum semetipsorum judicem constituunt; quapropter Thyrsus Gonzalez in quodam suo libro tractans de obligatione sequendi opinionem sibi probabiliorem, non dubitavit asserere, ut refert p. Paulus Segneri, quod pro-

[1]) Legendum videtur *rejicere* vel *abjicere.*

positio 3. ab Innoc. XI. damnata quae dicebat: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus semper prudenter agimus*; intelligenda sit de probabilitate opinionis alienae, quae omnibus inspectis, exigua appareret operanti; non autem de opinione propria ipsius, quae apud ipsum esset probabilior quam opposita. En usquequo pertingit elatio probabilioristarum, quod ipsi sequi possint opiniones etiam tenuiter probabiles, adhuc spreto aliorum judicio si judicio proprio illae probabiliores videantur. Praedicant isti, parum aestimandam esse auctoritatem aliorum cum ratio aliquid non suadet; quia, ut dicunt, auctoritas nonnisi super ratione fundatur. Sed hoc, salva pace ipsorum, est incongruenter loqui; nam vel deferre debemus rationi, vel auctoritati; si rationi, non egemus auctoritate: si auctoritati non est opus ratione convinci, aliter ratio non auctoritas in nobis praevaleret; hoc enim est proprium auctoritatis, ut ubi ratio non apparet, ipsa teneat rationis locum praesumptionem nobis faciens, quod illi quorum auctoritati innitimur, rationem satis probabilem in id habuerint. Ideo S. Augustinus *l. 3. contra Academ. c. 20.* dixit: *Nulli dubium est, gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis.* Idem S. Augustinus *epist. 18. c. 7.* sic scribit: *Neminem cogimus ante Dominicam illam coenam prandere; sed nulli etiam contradicere audemus.* Ex quo innuit S. Doctor existimasse utrumque probabile, scilicet licere et non licere ante sumptionem Eucharistiae comedere ex auctoritate eorum quos tanti habebat, ut contradicere eis non auderet. Et in *l. de utilit. credend. c. 12* docuit non esse reprehendendos, qui auctoritatem humanam sequuntur. Hoc confirmatur, imo monetur in pluribus Sacrae Scripturae textibus. *Inclina aurem tuam et audi verba sapientum.* Prov. 27. 17. *Inclina*, idest audi cum humilitate, magis deferendo auctoritati sapientum, quam judicio proprio. *Ne innitaris prudentiae tuae* Prov. 3. 5. Quo inducitur, nos magis inniti debere judicio sapientum, quam nostro; alias dictum fuisset potius *in-*

*nitaris*, non autem *ne innitaris prudentiae tuae*. Dicitur etiam in Eccli. 6. 5. *In multitudine presbyterorum prudentium sta et sapientiae illorum ex corde conjungere*. Ille autem dicitur conjungi sapientiae aliorum, qui auctoritati aliorum ita defert, ut ob illam operetur contra id quod sibi videtur, dicens: *In verbo tuo laxabo rete*. Non vero se conjungit auctoritati aliorum qui tunc illam sequitur, quando cum proprio judicio ipsa concordat.

113. Fatentur autem ipsi adversarii, deferendum esse aliquando auctoritati, nam ipsimet jam vident, nimis intolerabilem esse audaciam illam, qua quis vellet omnem auctoritatem spernere, nisi ratio propria suadeat; sed clamitant arcendos ac comburendos esse casuistas, et tantum legendos libros Sacrae Scripturae, conciliorum, ss. canonum et SS. Patrum. Attamen non sic loquitur S. Carolus Borromaeus in sua instructione ad confessarios, ubi ipse illos praemonet legere sedulo auctores casus conscientiae tractantes. Non sic S. Franciscus Salesius, qui hortatur confessarios utique perlegere casuistas et signanter nominat probabilistas Toletum et Reginaldum. Non sic denique loquitur Ss. Pontifex Benedictus XIV, in sua bulla, *Vix pervenit* super *usura*, ubi monet in quaestionibus morum plures scriptores examinandos qui hanc moralem scientiam pertractant. Utinam in Sacrae Scripturae libris, conciliorum, canonum et SS. Patrum decisas inveniremus quaestiones morales! Quis ignorat, ex ipsis Scripturae verbis utpote obscuris, quaestiones ortum habuisse? Quis autem ignorat SS. Patres pauca de scientia morali tractasse? Ipsi enim, cum eorum tempore plura dogmata fidei nondum fuissent patefacta et definita, ac multae haereses ebullirent, pene unice in suis scriptis in illud intendebant, ut res fidei elucidarent. Scripserunt aliqua circa mores, sed vel in concionibus, vel in aliis, et incidenter, et sic modice atque obscure, ut non raro ne erremus, alios oportet legere auctores, qui illorum sententias exponant. Bene ideo notavit Vincentius Lirinensis (apud Canum *l. 7. cap. 4.*): *Antiqua SS. Patrum consensio, non in omnibus divinae legis quaestiunculis*,

*sed solum in fidei regula nobis certa sequenda est.* Canones pariter modica statuerunt circa mores, et hi praecipue maximaque veneratione a nostris auctoribus jam citantur et suscipiuntur. Multo minus concilia resolutiones morales edidere, cum praecipuum intentum eorum fuerit haereses et schismata exstirpare, ut legitur in concilio constantiensi apud Cabassutium *sect. 39*, his verbis: *Conciliorum celebratio agri dominici praecipue cultura est, quae spinas haeresum et schismatum exstirpet.*

114. Ceterum quam magni facienda sit auctoritas doctorum de re morali tractantium, vide quid dixerint auctores allati ex n. 93. Praesertim S. Antoninus *p. 1. tit. 3. c. 10.* sic scribit: *Ex responsis quae videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod quilibet potest sequi quamcumque opinionem, dummodo alicujus doctoris magni opinionem sequatur.* Et hanc regulam antiquitus semper viguisse testantur Humbertus, Nyder et alii, ut asserit p. Segneri in sua epistola de Probabilitate. Praesertim magister Nyder utens verbis Bernardi a Claramonte in *consol. tim. consc. 3. part. c. 21.* Sic ait: *Ex quo opiniones sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit alteram partem, teneat quis quam voluerit, dummodo judicium in hoc resideat, per praedicta eorum, saltem, quos reputat peritos.* Etenim ex *l. si quis* §. *de fide edit. in Glossa ff. de edendo etc.* habetur: *Tanto validior est probatio, quanto quis majori nititur auctoritate.* Innocentius IV. *in cap. Suas, de simonia*, adnotavit: *Non peccat mortaliter qui sequitur intellectum alicujus gravis auctoris; dummodo tamen error versetur circa subtilitatem legum.* Per illam autem *subtilitatem legum* intelligitur, juxta Panormitanum, dictum aliquod legis, circa quod non bene discernitur inter duos oppositos interpretes legis quis verum dicat. Idem pariter legitur in *tabula aurea* S. Thomae, quam ejus interpretes ediderunt: *Auditor diversorum magistrorum tenentium contrarias opiniones potest sequi quam velit, nisi aliter determinetur esse contra fidem ab Ecclesia.*

Nec obstat textus quem opponunt contrarii S. Thomae in *Quodlib. 3. art. 10.* qui dicit: *Respondeo dicendum quod diversae opiniones doctorum S. Scripturae, siquidem non pertineant ad fidem, et bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt; tunc enim habet locum quod Apostolus dicit ad Rom. 14. Unusquisque in suo sensu abundat. In his vero quae pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri; in talibus enim ignorantia non excusat.* Hucusque adducit verba divi Thomae Genettus *tr. 1. c. 2. qu. 19.* Sed taeduit eum alia sequentia verba referre quia forte illa ipsi non arridebant. Subjungit tamen Angelicus: *Alioquin immunes a peccato fuissent qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii etc. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. In rebus enim dubiis non est de facili praestandus assensus quinimo, ut Augustinus dicit (in lib. 3. de doctr christ). consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit. Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri* (nota) *contra manifestum Scripturae testimonium, vel contra id quod publice tenetur. secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Idem iisdem verbis docet S. Bonaventura *Quodl. qu. 4. a 10.* dicens: *Qui assentitur opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturae testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Quibus verbis clare docent hi ss. dd. recte nos posse sequi opinionem Doctoris, quae non adversetur Scripturae vel Ecclesiae anctoritati. Et revera si ego minus doctus sententiam sequerer d. Thomae, contra rationem quae mihi probabilior videretur quis neget, quod prudentius agerem, si mea opinione suspensa, tantae auctoritati deferrem? Nam, ut supra retulimus, docet ipse s. Thomas *2. 2 Q. 4. a. 8. ad. 2: aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo*

*quod sibi secundum suam rationem videtur.* Qua de re male ego operarer, si quamdam opinionem sequi vellem, quae communiter ad auctoribus rejicitur, etiamsi illam judicio meo directo probabiliorem existimarem; deberem potius tunc, meo judicio suspenso, ex judicio reflexo opinionem oppositam aliorum sequi. Si ergo, ad proprium judicium directum corrigendum uti debemus judicio reflexo aliorum dd. ne ruamus in excessum laxitatis; cur contra, ne ruamus in excessum rigiditatis uti non possumus judicio reflexo, proprio directo suspenso? Utrumque periculosum est, nimis laxare, et nimis obstringere conscientias; imo damnosior est rigiditas quam laxitas, juxta id quoc dicit S. Bonaventura; *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem. Prima saepe salvat damnandum; secunda contra damnat salvandum. Ita s. Bonavent. Comp. Theol. verit. l. 2. c. 32. n. 1.*

115. Fatemur quidem, quod nulla opinio potest esse extrinsece probabilis, nisi ex intrinseco, nempe ex ratione sit etiam vere probabilis; sola enim ratio probabilitatem opinionum constituit. Sed probabilitas extrinseca ex auctoritate dd. tanti roboris est, ut aequiparetur aliquando probabilitati intrinsecae rationis, praesumptionem certam faciens, quod dd. illi qui opinionem aliquam docuerint, rationibus inixi rei veritatem perpenderint. Hocque expresse docuit S. Thomas *1. p. Q. 1. a. 8. ad 2.* ubi: *Tamen sacra doctrina utitur.... auctoritatibus aliorum dd. Ecclesiae, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter.* Quo clare docet S. Doctor, quod auctoritas dd. fundat veram probabilitatem intrinsecam. Et hinc bene notavit Croix l. 1. n. 365. « Prudenter praesumi potest, quod adsit probabilitas intrinseca, ubi multi auctores, satis noti aliquam opinionem tuentur: minime enim censendum est eos temere et sine gravi fundamento loqui. »

116. Quando autem et quomodo possimus inniti auctoritate extrinseca doctorum sequentibus regulis declaratur.

Regula I. Non est cujusque judicare de opinionum probabili-

tate, sed tantum (ut sapienter advertit p. Cardenas) viri docti, et in re morali versati; pluries enim (bene ait Granadus) viris ingeniosis, sed parum in scientia morali eruditis, videtur evidens quod periti falsum existimant.

117. Regula II. Auctoritas paucorum dd. qui ex professo quaestionem aliquam discutiunt, praeferenda est dictis plurium aliorum, qui obiter de illa scribunt, ut docent Melchior Canus *de locis theol. l. 8. c. 8.* et Castropal. *to. 1. tr. 1. d. 2. p. 1. n. 10.* cum Azor et Bonac. Unde Canus ait: *Plurium auctoritas obruere theologum non debet, sed si paucos viros, modo graves, secum habeat, poterit sane adversum plurimos stare, non enim numero haec judicantur, sed pondere.* Hinc dicunt Azorius *to. 1. l. 2. c 17. q. 7.* Castropal. *l. c. n. 12.* Vasquez *1. 2. d. 62. c. 4. n. 13.* Sanch. *dec. c. 9. n. 16.* Torres *de fide d. 55. dub. 5.* Reginald. *l. 13. c. 10. n. 93.* et Tapia *l. 1. catech. mor. q. 8. n. 11. a. 14.* cum Navarr. Sylvest., Ang., Valent. et Montesin. ex d. Thoma *Quodlib. 3. a. 10.*, quod aliquando, licet raro, auctoritas unius doctoris poterit constituere opinionem probabilem, et adhuc probabiliorem contra communem aliorum, si auctor ille sit valde doctus, probus et prudens, nec novitatum amans, et utriusque partes sedulo librarit, validamque rationem adducat; modo (adderem) illa non fuerit ab aliis sufficienter soluta, nec animadversa. Neque huic obstat propositio 27. damnata ab Alexandro VII. quae dicebat: *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Hoc enim, dicunt Viva *super dicta propositione n. 6.* Croix *l. 1. n. 155.* et Bonac. *cap. 2. quaest. 11.* intelligendum esse, si opinio sit cujuslibet auctoris; non vero si auctor sit omni exceptione major, et rationem afferat quam alii non consideraverint, aut satis non solverint, et e contrario ipse commode solvat rationes oppositas; tunc enim dicunt posse censeri probabilem illius sententiam, licet sit contra communem. Et idem docuit S. Augustinus, de bapt. *lib. 3. c. 4.* (ut advertit Christianus Lupus *loco supra citato*) affirmans, ali-

quando sententiam unius magni doctoris bene posse esse probabilem contra communem, licet recte advertat, hoc non facile credendum. Addunt insuper Viva n. 11. Croix n. 325. et Roncaglia c. 2. q. 1. cum S. Antonino, quod si aliquis magnus theologus testetur, aliquam opinionem esse probabilem, jam reddit nos moralitur certos de illius probabilitate.

118. Regula III. quam tradit Sanchez *dec. l. 1. c. 9. n. 11. et de matrim. l. 7. d. 92.* et quae maxime adverti debet, est, quod cum apparet pro aliqua sententia quaedam ratio vel auctoritas convincens, cui nulla adaequata responsio superesse videtur, tunc opinio contraria non potest haberi ut probabilis; nam bene ait Croix l. 1. n. 369., quod aliquando potest alicui docto occurrere aliqua ratio tam firma, ab aliis non animadversa, quae omnem excludat contrariam probabilitatem. Ac proinde ibidem addit: « Quamvis admittant indoctum sequi posse opinionem datam a doctis, doctus tamen tenetur examinare rationes, nisi prudenter praesumat ab illis examinatas. » P. Paulus Segneri pariter in sua *epistola de Probabilitate* inquit quod, si quinque doctores auctoritate pollentes aliquam teneant opinionem, etiam contra communiorem aliorum, posses eorum auctoritati acquiescere, quamvis ob rationes intrinsecas opinio opposita probabilior tibi videretur; modo (recte addit) rationes illas non ita disertas et convincentes judicares, ut dubitandi locus tibi non remaneret. Ex alia parte etiam advertendum est id quod dicunt Sanch., Palaus, Vasq., Sayr., Pasq. etc. cum Boss. *t. 1. p. 1. tit. 1. §. 16. n. 84.* nempe quod si appareat in contrarium ratio insolubilis, non illico fit ut opinio opposita deseri debeat, vel damnari ut improbabilis, si judicetur ratio illa satis solvi posse ab aliis dd. gravibus antiquis et modernis eam sententiam docentibus. Insuper Terillus *in reg. qu. 29. n. 90.* sic loquitur: *Si vero docto solum repraesentatur, quod plures teneant utramque partem, non erit tutus, si sequitur partem minus tutam, sed vel scire debet qualitatem doctorum, ut sine investigatione eorum sententiam accipiat, vel tenebitur ipse rationes investigare.* Sic denique concludit Croix: » Si examinatis

utrinque rationibus, nec appareat veritas, sed utraque pars habeat grave motivum, quis sequi potest quam volet. »

119. Sedulo igitur semper advertendum, quod auctoritas scriptorum non ex multitudine, sed ex eorum gravitate aestimari debet; ita ut paucorum vel etiam unius doctoris speciali scientia ac pietate praediti auctoritas aliis pluribus aliquando praeferenda sit; non enim eodem modo inniti possumus auctoritate aliquorum auctorum, puta Caramuelis, Zanardi, Joannis Sancii, Leandri, Martini a S. Joseph, Dianae, Antonii a spir. Sancto, Tamburini, Pasqualigi et aliorum qui, licet docti et probi, ac bono fine ducti fuerint (non enim mala fide tradidisse ea quae scripserunt fas est suspicari), tamen incaute in pluribus opinionibus nimis benignitati indulserunt; sicut innitimur auctoritate Suarii, Soti, Azorii, Cani, Sylvii, Cajetani, Bannez, Navarri, Paludani Toleti, Sylvestri, Lessii, Sanchez, Angeli, Vasquez, Armillae, Valentiae, Laymanni, Molinae, De Lugo, Castropalai, Bonacinae, Emmanuelis Sa, Pontii, Cabassutii, Continuatoris Tournely, Roncaglia, Salmanticensium, Petrocorensis, Abelly, Cardenas, Coninkii, Gammachaei, Isamberti et aliorum quorum scientia quanta sit, undique perspecta est; praeter d. Thomam, d. Bonaventuram, d. Antoninum, aut Scotum quorum auctoritas aliis equidem praeponi debet. Advertit insuper Croix *l. 1. n. 165.* quod hujusmodi aa. classici, etiam cum citantur ab aliis aa., qui sunt satis noti scientia et fidelitate, communiter loquendo, bene possunt constituere probabilitatem alicujus opinionis.

120. Demum pro hujus dissertationis conclusione, vellem ut lectores benevoli animadverterent, quantum claritatis et ponderis principia benignae nostrae sententiae praeseferant: quae si adversarii bene intelligerent aut intelligere vellent, utique non frustra clamitarent, vocantes auctores nostros casuistas laxos, caecos ducentes caecos, mortuos sepelientes mortuos, excusationes in peccatis excusantes, magistros prurientes auribus, placentia loquentes, moralis christianae corruptores, vetustam Ecclesiae disciplinam evertentes, ad perditionem per

latam viam deducentes, aliisque similibus conviciis hujusmodi viros doctrina ac pietate insignes insectantes.

Nec advertunt, in quot et quos laqueos seipsos aliosque per eorum rigidas sententias tam periculose injiciant. Dixi *sententias* nam probabilioristae ex nostris principiis et rationibus valde agitati et constricti, huc illuc divertentes, in varias et valde discordes sententias discesserunt. Alii enim cum p. Wigandt et Natali de Alexandro admittunt opinionem probabiliorem libertati faventem, modo nitatur fundamento, quod sit gravius ratione opposita. Alii cum Juenino admittunt opinionem probabiliorem si hauriatur ex Scriptura et Traditione, non autem si ex ratione, aut doctorum auctoritate. Alii apud ipsum Jueninum admittunt in jure positivo, non autem in jure naturali. Alii denique cum Fagnano et Habert fidelium conscientias ita coarctant, ut inter opiniones probabiles eas tantum sequi possint, quas omnibus et singulis rationibus ac auctoritatibus perpensis, moraliter certas et a formidine immunes cognoverint: quod idem est ac omne probabilitatis pondus nomenque abjicere, homines cogendo ad operandum ex sola certitudine; ex quo quis non videt, quam salutis viam perdifficilem reddant? Eo magis quia ipsi probabilioristae, licet se jactent veritatis sectatores, tamen, ut diximus, in designando probabilioris sententiae usum, ita dissident, et principia tam inter se diversa adstruunt ut veritatis inveniendae viam penitus intercludere videantur. Et quomodo suis ipsi conscientiis consulere possint nescio: ii praesertim qui confessarii munus exercent, cum juxta eorum communem sed improbabilissimam sententiam, toties sine absolutione teneantur dimittere poenitentes vere contritos ac propria peccata confessos, probabili imo quandoque probabiliori opinione suffultos, eo quod, omnem contrariam formidinem vincere et sufficienter deponere ipsi forte non potuerint. Fateor, quod ipse minime capere valeo, quomodo possint hi divinae legis custodes animarumque salvatores id exsequi sine ulla formidine, cum sit communis et certa sententia apud doctores, tam modernos quam antiquos (ut vidimus num.

105 et 106), quod confessarius sub gravi tenetur absolvere poenitentem sufficienter dispositum, postquam mortalia peccata ille est confessus, quia poenitens tunc habet jus certum ad absolutionem.

121. Ceterum, antequam nostrae dissertationi finem ponamus, precari vellemus tyrones, qui in morali scientia institui cupiunt ad ministerium salutis animarum, quod licet rigidam sententiam sectari velint, nostros auctores legere non dedignentur. Non enim sufficit ad theologiam moralem comparandam eos tantum libros forte gallicanorum pervolvere, qui eruditionis specimen praeseferentes, in generalibus principiis totam hujus longae artis seriem consistere putant: necessariis quaestionibus dubiisque praetermissis celebriorum auctorum, nostrae sententiae auctores elate et inepte despicientes. Quapropter hoc animadvertendum credimus, quod ii qui tantum Genetti, Natalis, Haberti, aliorumque hujus generis auctorum lectione contenti sunt, non facile se existiment ad arduum confessarii munus sufficientes, nam certe non erunt. Quidam asserunt, satis esse notitiam principiorum: prorsus falluntur: principia enim pauca sunt et nota cuique vel primis rei moralis rudimentis imbuto. Maxima quippe hujus scientiae difficultas in hoc consistit ut principia ad casus particulares bene applicentur, et diversimode, prout diversae occurrunt circumstantiae, ex quibus resolutionum pendet variatio.

Hocque utique est, in quo auctores nostri laborant, ut ex principiis particulares resolutiones deducant; et ideo versantur in pluribus dubiis enucleandis, tot voluminibus practicas quaestiones fuse pertractantes, de quibus probabilioristae nec mentionem quidem facere dignantur, undique declamando, futile quiddam esse hos pueriles casusculos agitare. Sed negare non possunt quotidie difficiles et novos casus accidere; ac propterea adeundi sunt auctores illi in quibus hi casus discussi inveniuntur. Et cum antiprobabilistae teneantur debitam adhibere diligentiam, ut probabiliorem sententiam perquirant, non minus ab ipsis quam a probabilistis perlegi debent hi casuistae, apud

quos non solum probabiles, sed etiam probabiliores opiniones propugnatae reperiuntur.

122. Quisque sibi suadeat moralem theologiam nonnisi longo labore addisci, pro qua certe non sufficit aliquam percurrere summulam earum quae circumferuntur. Porro moralis scientia non solum est necessaria christianae reipublicae, cum ex ea pendeat bonum regimen animarum, sed etiam valde difficilis; tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium, tum quia tot diversas et inter se dissitas materias complectitur; tum quia constat in magna parte tot legibus positivis, quae non ita facile, sicut apud casuistas, relatae inveniuntur, et maxime apud recentiores, cum hujusmodi sanctiones in dies prodeant. Hinc sapientissime n. ss. p. regnans Benedictus XIV. in Bulla *Apostolica* (*num. 19. in Bullar. tom. 3. §. 21.*) monet: *Cum moralis theologia tot tantasque quaestiones quae a sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum notitia pendent, complectatur, ut ardua plane res sit posse aliquem omnia simul bene nosse, atque illico nodos quoscumque dissolvere, ut ii solent qui eminenti scientia praefulgent; sat igitur erit si inferioris notae confessarii ope librorum quos consulant, difficiliora quaedam rite expediant, etc. Cum igitur aut difficilior aut nova quaedam facti species ad confessarium defertur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate ac librorum delectu id agendum.*

Tum postquam dixit ex Alexandro VII., quosdam auctores ingenio luxuriantes in plures opiniones laxas irrepsisse, subdit: *Sat erit confessarios monuisse, ut in re dubia propriae opinioni non innitantur, sed antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cum primis quorum doctrina solidior, ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet et firmat auctoritas.* Ita Pontifex, non vero, ut aliqui malunt legere, nempe: *illam amplectantur sententiam, cui* MAGIS *suffragari rationem et auctoritatem favere cognoverint;* ex quo contendunt probare, Pontificem probabiliora sequenda

declarasse; alioquin si sic legeretur, minime cohaereret illud cui Papa deinde se remittit, subdens: « *Nec aliud sane docuimus in nostra Encyclica super usuris* (*ordine 143 in Bullar. tom. 1.) ubi* §. *8. ita scripsimus: suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent qui magis inter ceteros praedicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligant. Idipsum modo repetimus.* Ubi nota quod τὸ *Magis* non apponitur quoad *suscipiendas partes* sed quoad examinandos scriptores, qui *magis praedicantur.*

Itaque studiosos adolescentes hortamur, qui tantum munus excipiendarum confessionum aggredi intendunt, ut nostros prius auctores sedulo legant, et inde quisque suam rigidam aut benignam sententiam, quam mavult, sequatur. At si quis rigidam tenere eligat, advertat, ne erga fidelium animas amarum zelum exerceat, qui potius in earum perniciem et laqueum, ut superius ostendimus, quam in salutem et utilitatem cedat; eas ita adstringendo, ut nonnisi id quod moraliter certum, aut probabilius sit, agere valeant, omni formidine gravi exclusa. Quod quis non videt quot et quantis periculis, anxietatibus et angustiis, inter hujus saeculi caligines, poenitentes miserrime premat et angat; cum eos pro materiali peccato vitando, quod Deus quidem non punit, in formalia crimina saepe injiciat; tot enim ex humanis divinisque legibus dubia etiam sapientibus insurgunt, ut probabiliora sine culpa seligere pene impossibile videatur. Illud sane probabilioristis evenire solet, quod aut auctores nostros ignorant, Genetto, Alexandro, ceterisque similibus acquiescentes, et hi pluries in dubiis decidendis, plus quam licet liberi sunt: probabiliores non raro existimantes opiniones, quae apud nos forte nulla probabilitate nituntur: aut vero nostrorum libros pervolverunt, et hi variorum dubiorum ambagibus territi, cum formidinem deponere satis non valeant, ad tutiorismum ut plurimum declinant, sicque divinis humanisque praeceptis multa alia superaddunt, et seipsos ac fidelium conscientias periculose illaqueant. Fatemur equidem et nos de eo-

rum numero aliquando ab initio fuisse, et pro rigida sententia non parum contendisse, antequam auctores legissemus contrariae sententiae. Sed postmodum, cum benignam sententiam intelleximus communiter teneri a quamplurimis magnae probitatis et sapientiae viris (et praecipue ab illustrissimo et doctissimo magistro meo d. Julio Torni), hinc ejus momenta accuratius perpendimus, et rigidam sententiam animadvertimus non solum paucos habere patronos et sequaces, et hos magis forsitan speculationibus, quam excipiendis confessionibus deditos; sed etiam parum probabilem, attentis principiis, et insuper undequaque difficultatibus, angustiis ac periculis vallatam. E converso sententiam benignam tum communiter recipi, tum opposita longe probabiliorem esse, imo et probabilissimam, atque juxta plures non sine valde gravi fundamento moraliter certam deprehendimus: quapropter omnia haec a pristina sententia nos detruserunt. Ceterum quisque in suo sensu abundet; sed nemo, quod a Deo aut ab Ecclesia injudicatum est, judicare praesumat: ut ab adversariis fit audacter, undique declamando contra nostram sententiam, quam appellant falsam, scandalosam, laxitatum fautem, Ecclesiae perniciem, aliisque similibus conviciis inficiantes; sed neminem latet, quod declamationes aliquorum nimis excedentes non raro proveniunt potius ex penuria quam ex copia rationum. Maximum autem nobis solatium sit, quod ante Probabilioristarum tribunal non sistendi erimus, sed ante tribunal Christi, ejusque judicium expectamus, qui solum transgressores legum illarum damnat, quarum ipsis ex divino Verbo, aut ex Ecclesiae declaratione certa pervenit notitia; non autem earum quae ex tenebricosis confusisque hominum mentibus emanant; cujusmodi forent tot opiniones, quas tanquam leges servari nostri adversarii nimis injuste exigunt, quamplurima nova mandata ac praecepta effingentes quae Deus nunquam imponere decrevit; eaque tam multiplicia, et inter se dissidentia proponuntur, quot et variae cogitationum species in hujus saeculi tenebris humanis mentibus obveniunt. Porro aequum et divinae benigni-

tati valde conforme videtur, nequaquam arguendos homines, qui opiniones rationabili fundamento innixas secuti fuerint, postquam debitam adhibuerint diligentiam invincibilique ignorantia laborantes, veritatem assequi non valuerint.

**Vivat Jesus, Maria, Joseph.**

# INDEX CAPITUM


Proœmium. — n. 1-3. . . . . *Pag.* 353

Caput I. Probatur nostra sententia auctoritatibus. — n. 4-12. » 355

Caput II. Probatur sententia rationibus. — n. 13-17. . . » 364

§ I. *Exponitur prima ratio:* quia lex dubia non obligat. — n. 18-36 . . . . . » 368

§ II. *Exponitur secunda ratio:* quia lex ut obliget, debet esse sufficienter intimata. — n. 37-41 . . . . » 386

§ III. *Exponitur tertia ratio:* quia si esset obligatio sequendi probabiliora, magna interveniret difformitas in observantia legis — n. 42-43 . . . . . » 390

§ IV. *Exponitur quarta ratio:* quia nisi licitus esset usus benignae sententiae, omnino turbaretur ordo obedientiae superioribus debitae. — n. 44-46. . . . » 391

§ V. *Exponitur quinta ratio:* quia obligatio sequendi probabiliora, si adesset, esset humanis viribus impar. — n. 47-51 . . . . . » 395

§ VI. *Exponitur sexta ratio:* quia sententia benigna est probabilior, imo probabilissima. — n. 52-55 . . » 401

Caput III. Solvuntur objectiones.

§ I. *Solvitur objectio prima:* Qui amat periculum in illo peribit. — n. 56-66. . . . . » 405

§ II. *Solvitur objectio secunda, ex canonibus desumpta:* In dubiis tutior via est eligenda — n. 67-73. . . » 412

§ III. *Solvitur objectio tertia:* quomodo potest haberi judicium practicum certum adversus speculativum dubium? — n. 74-75 . . . . . » 419

§ IV. *Solvitur objectio quarta:* quod sententia benigna adversatur S. Script. et Canonibus — n. 76-80. . . » 420

§ V. *Solvitur objectio quinta:* quod sententia benigna sit contra omnes SS. PP. et praecipue contra August. — n. 81-84 . . . . . » 423

§ VI. *Solvuntur objectiones petitae ex d. Thoma.* - n. 85-87. » 426

§ VII. *Solvitur objectio septima:* quod sententia benigna est nova et contra omnes antiquos theologos. — n. 88-101. » 430

§ VIII. *Solvitur objectio octava:* quod sententia benigna est implicite damnata per plures propositiones ab Innoc. XI. proscriptas. — n. 102-111. . . . . » 439

Caput IV. De probabilitate extrinseca — n. 112-122. . . » 449

Nonnulla menda quae correctorem effugerunt, editione completa, subjicimus. Ea et alia quae forte occurrerint, Lector benignus imperitis condonet.

| Pag. | Lin. | ERRATA | CORRIGE |
|---|---|---|---|
| 9 | 10 | sapeissime cum in | saepissime cum in |
| 13 | 13 | doctrina, | doctrina. |
| 19 | 6 | consistere, debent. | consistere debent, |
| 23 | 27 | proebebit | praebebit |
| 24 | 9 | qua dicuntur | quae dicuntur |
| 26 | 24 | determinet in ipsum unam | determinet ipsum in unam |
| 41 | 22 | cuncurrere | concurrere |
| 43 | 4 | n. auctoris 4. (3 | n. auctoris 43 |
| » | 18 | infallibilitate | in fallibilitate |
| 48 | 9 | demontrare | demonstrare |
| » | | post titulum Puncti VI. supple omissa: | Alterum tertiae partis membrnm (n. 40 seqq.) est probabilitatem proprie dictam exigere motivum relative gravius. |
| 51 | | in titulo paginae: gravitas | gravius. |
| 61 | 28 | surs | sûrs |
| 66 | 24 | scentiae | scientiae |
| 71 | 15 | venit | verit. |
| 81 | 13 | proemio | prœmio |
| » | 27 | op nio qua | opinio quae |
| 85 | 15 | etc. *relative* | et *relative* |
| 89 | 23 | veminorem | minoremve |
| 101 | | in titulo paginae: Aequi vocationis | Aequivocationes |
| 106 | 16 | n. 7 | n. 71. |
| « | 18 | Adolfo | Adelfo |
| 108 | 1 | fideles. | fideles |
| 111 | 1 | a ut | ita ut |
| 121 | 18 | n. 11. | pag. 11. |
| 135 | 27 | rejicare | rejicere |
| « | 28 | alteri: | alter: |
| 138 | 1 | appellatam rigoristum | appellatum rigoristam |
| 139 | | in titulo paginae: Punct. IV. Expe-duntur | Punct. VIII. Expendentur |
| 149 | 4 | istat | citat |
| 151 | | in titulo paginae: Punct. XI. | Punct. IX. |
| 159 | 13 | hunc judicium | hoc judicium |
| 185 | 28 | Sylvius | Silvester |
| 209 | 33 | 399 | seqq. |
| 230 | 28 | a posteriori inductam, | a posteriori, inductam |
| 230 | 33 | Katolische | Katholische |
| 259 | | titulus totus erratus | Punct. VIII, An S. Anton. Auctori faveat. |
| 263 | | « « | « « |
| 273 | 3 | beae vere | bene vero |
| 285 | | in titulo: Punct. XI. | Punct. IX. |
| « | 1 | judicare | judicari |
| 307 | 11 | probabilisticio | probabilisticis |
| 308 | 22 | possessione juris | possessione furis |
| 311 | 10 | implextionem | implet1onem. |
| 335 | 9 | eaedem | eadem |
| « | 10 | eadem | eaedem |
| 354 | 3 | *Carvenda* | *Carenda* |
| 416 | 18 | *habent* | *habeat* |
| 420 | 23 | contendendi, | contendendi |
| 439 | 441 443 | 445 in titulo paginae: oby. | obj |
| 456 | 6 | moralitur | moraliter |
| 460 | 24 | *delcelu* | *delectu* |
| 461 | 8 | *repetimas* | *repetimus* |

239.13
AR33

6151

ARENDT, GUILLELMO
AUTHOR

Crisis de Aequiprobabilismo
TITLE

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER |
| --- | --- | --- |
| | STORAGE - CBPL | |

6151